ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS XI - VOLUMEN XI

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXIX

c l *

Afe.

l;

Annus XI - Vol. XI 2 Ianuarii 1919 Num. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

Feria IV, die 27 novembris 1918

In generali consessu Supremae huius Sacrae Congregationis Sancti Officii Emi ac Rmi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales damnarunt ac proscripserunt et in Indicem librorum prohibitorum inserenda esse decreverunt opuscula:

1. ERNESTO BONAIUTI, *La genesi della dottrina agostiniana intorno al peccato originale.* Roma, Tipografìa del Senato di Giovanni Bardi, 1916.

2. ERNESTO BONAIUTI, *Sant'Agostino.* A. F. Formiggini, Editore in Roma, 1917.

Et insequenti feria V, die 28 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus divina Providentia Papa XV, in audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit ac publicari iussit.

Datum Romae in aedibus Sancti Officii, die 14 decembris 1918.

A. Castellano, *S. B. et U. I. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

T

SERENENSIS

COMMUTATIONIS FINIUM

Postulante R. P. D. Carolo Silva Cotapos, Episcopo Serenensi, cum favorabili sui Cathedralis Capituli suffragio et consentiente Aloysio Silva Lezaeta, Vicario Apostolico Antofogastensi, ut regio vulgo nuncupata « Departemento de Taltal » distraheretur a dioecesi Serenensi ac praefato Vicariatui uniretur; SSmus Dominus Noster Benedictus PP. XV preces benigne excipiendas censuit et decrevit. Ideoque, habito Nuntii Apostolici voto, praesenti Sacrae Congregationis Consistorialis Decreto, tota regio de Taltal distrahitur et separatur a dioecesi Serenensi et Vicariatui Antofogastensi adiicitur et unitur, ut spirituali fidelium bono praestantius ac facilius consulatur: simulque respectivi fines Dioeceseos et Vicariatus commutantur. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die novembris 1918.

)$(C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. jig S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

Il

DECLARATIO CIRCA DECRETUM *BEDEUNT1BUS*

Essendo stato sollevato il dubbio, se i chierici reduci dalia milizia con *licenza illimitata* siano tenuti a presentarsi ai loro Ordinari^ al pari di quelli che avessero ottenuto il *congedo assoluto,* ed a fare gli esercizi spirituali entro il tempo fissato, sotto le penalità stabilite nel decreto *Bedeuntibus,* la S. Congregazione ha risposto: *Affermativamente.* Ed il Santo Padre ha confermato la risoluzione, ordinando che, nel pubblicarla, si aggiungesse: 1) che coloro i quali, dimessi con licenza illimitata, non si fossero presentati, credendo non esservi tenuti, per motivo di questa buona fede non debbono ritenersi caduti nella censura, 2) che in ogni caso gli Ordinari si guardino dal riméttere nell'esercizio della

cura di anime i reduci dalia milizia, prima che i medesimi con il prescritto ritiro non abbiano rinnovatoli loro spirito.

Dato dalla Segreteria della S. Congregazione Concistoriale, il 21 dicembre 1918.

)$(G. CARD. DB LAI, Vesc. di Sabina, *Segretario.*

L. % S.

-}- V. Sardi, Arciv. tit. di Cesarea, *Assessore.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, SSmus D. N. Benedictus XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

8 novembris 1918. — Titulari episcopali ecclesiae Valonensi praefecit R. P. D. Iacobum Aloysium Copello, presbyterum dioeceseos Platensis, quem deputavit in Auxiliarem Revmi Episcopi Platensis.

29 novembris. — Cathedrali ecclesiae Tarantasiensi R. D. Ludovicum Termier, parochum loci « Aix les Bains », in archidioecesi Chamberiensi.

— Titulari episcopali ecclesiae Anemuriensi Sophronium Hacbang y Gaborni, Calbayoganae dioeceseos presbyterum, quem deputavit in Auxiliarem Revmi Episcopi Calbayogani.

4 decembris. — Cathedrali ecclesiae Abulensi R. D. Henricum Pia y Deniel, canonicum Cathedralis ecclesiae Barcinonensis.

— Cathedrali ecclesiae Oscensi R. P. Zachariam Martínez y Nuñez, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

5 *decembris.* — Cathedrali ecclesiae Guayanensi R. P. D. Xistum Sosa, hactenus Episcopum titularem Claudiopolitanum et Guayanensis dioeceseos Administratorem Apostolicum.

13 decembris.— Titulari episcopali ecclesiae Croiensi R. D. Iosephum Antonium dos Santos, e Congregatione Missionis, quem deputavit in Auxiliarem Rmi Archiepiscopi Adamantini.

14 decembris, — Archiep. ecclesiae Camerinensi R. P. D. Hectorem Fronzi, hactenus episc, cathedr. Ecclesiarum Calliensis et Pergulanae.

21 decembris. ~- Cathedrali ecclesiae Bakeriensi R. D. Iosephum Mae Grath, parochum S. Patritii loci Tacoma in dioecesi Seattlensi.

— Titulari episcopali ecclesiae Gerasensi R. D. Edmundum Heelan, parochum ecclesiae Ss. Cordis loci Ford Dodge dioecesis Siopolitanae, quem deputavit in Auxiliarem Rmi Episcopi Siopolitani.

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

SS. EUCHARISTIAE

Relatum est huic S. Congregationi de disciplina Sacramentorum in nonnullis Dioecesibus quosdam Vicarios Foraneos, aut Decanos, vel Parochos solere singulis duobus vel tribus mensibus hostias comparare easque distribuere in propriis et filialibus Ecclesiis pro Missae sacrificio peragendo ac pro fidelium eucharistica communione. Elapso hoc temporis spatio, nova fit acquisitio et distributio hostiarum, quae pariter duobus vel tribus mensibus sufficiant, ac ita deinceps. Et exquisitum est an probari possit huiusmodi praxis adhibendi, pro SSmo Eucharistiae sacramento, hostias a tribus vel duobus mensibus confectas.

Haec S. Congregatio, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondit : *negative, et servetur praescriptum Ritualis Romani et Codicis Iuris Canonici.*

Rituale Romanum (tit. IV, cap. I, *De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento)* haec praecipit: « Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter « renovabit (parochus). Hostiae vero seu particulae consecrandae sint « recentes; et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat».

• In Codice Iuris Canonici haec statuuntur: Can. 815: «panis (pro « Missae sacrificio) debet esse mere triticeus et recenter confectus ita « ut nullum sit periculum corruptionis. Vinum debet esse naturale de « genimine vitis et non corruptum ». Can. 1272: « Hostiae consecratae « sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem San« ctissimi Sacramenti et recentes sint et frequenter renoventur, vete« ribus rite consumptis ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo « servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de. re dederit ».

Propter maximam autem quae debetur reverentiam erga SS. Eucharistiae Sacramentum mandat haec S. Congregatio ut in cunctis ecclesiasticis Dioecesium ephemeridibus datum responsum edatur, quo facilius omnibus patescat et ab iis, ad quos spectat, fideliter ác religiose servetur.

Datum ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 decembris 1918.

PH. CARD. GIUSTINÍ, *Praefectus.*

L. % S.

f A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

MEDIOLANEN.

PRAECEDENTIAE

20 novembris 1915 - 1 aprilis 1916 - 13 aprilis 1918

SPECIES FACTI. - Ante decreta napoleonica a. 1805 ex praebendis Metropolitani Capituli Mediolanensis, in triplicem consuetum hierarchicum ordinem distinctis, una dumtaxat iuripatronatui subdebatur, videlicet Praepositura, quae quum postrema dignitas esset, nullam circa, praecedentiam ambiguitatem suppeditabat. Depraedatis autem in publicarum rerum eversione, ineunte saec. xix, praebendarum bonis, ex decreto 8 iunii 1805 constituta fuit unica summa in titulis publicis pro universo Capitulo, quae *communis massa* in singulos Capitulares iuxta quasdam praefixas normas distribuentur. Restitutum tamen hac ratione Capitulum, iterum in distinctos ordines presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem coaluisse, vel ex eo patet, quod, quum postea, a. 1806 et 18:26 privati fundatores duos alios canonicatus cum separata praebenda, ipsorum patrònatui obnoxios, instituere vellent, impetrârunt a Capitulo ut novi isti canonici vel a limine in ordinem presbyteralem cooptarentur, idque sancitum voluerunt tabulis fundationis ubi legimus : «L'individuo investito del Canonicato di cui si tratta, apparterrà, «giusta la mente del fondatore, *all'ordine presbiterale* ». Quin etiam, an. 1836 tertius canonicatus iurispatronatus laicalis fundatus est cum explicita conditione, quod de eo investitus ad ordinem *diaconalem* statim pertineret; qui tamen canonicatus brevi exstinctus fuit.

Hisce fundationibus efficiebatur haud semel ut in ordine presbyterali quidam canonici reperirentur, qui tamen Capitulo aliquot post annis ab aliis canonicis adhuc in diaconali ordine constitutis, adscripti essent : quum autem hi postremi ex diaconali ad presbyteralem ordinem legitima optione ascendere vellent, ambiguum erat utri praecedentia deberetur: aliis verbis, utrum norma praecedentiae ab ingressu in *Capitulum,* an ab ingressu *m ordinem* esset desumenda. Casus hic contigit an. 1847, 1851, 1854, 1856, 1862: et quamquam Constitutiones Capituli de re silerent, tamen ex Mediolanensis cleri descriptionibus (quamquam non officialibus, vulgo: *Milano Sacra),* satis constat, semper in praxi id observatum esse, ut praecedentia in casu daretur ei qui prior in *ordine* seu in

gradu presbyterali reperiretur, quamquam is *in Capitulo mniorprsie* novo presbytero appareret. Posteriores casus invenire non datur, propter felicem eam circumstantiam quod duo canonici de iure patronatu privato, alter per 60 circiter, alter per 45 circiter annos sua praebenda fruiti sint.

At vero hunc rerum statum aegre ferebant canonici de communi massa, quibus satis incongruum videbatur capitulares a legitima auctoritate ecclesiastica constitutos post diuturnum iam praestitum servitium locum demum cedere debere novensilibus quibusdam a laicis viris, quamvis benemeritis, praesentatis. Idcirco a. 1912, quum quidam canonicus ex ordine diaconali ad presbyteralem ascendere vellet, qui iam ab a. 1905 Capitulo erat aggregatus, dum in presbyterali ordine reperietur alter an. 1909 a patrono praesentatus, Capitulares illi prae hoc praecedentiam adiudicarunt; subindeque cogitarunt de eadem norma in novis quae adparabantur Statutis inserenda, quod saltem ex parte obtinuerunt; nam in iisdem Statutis, decreto Archiepiscopali diei 24 augusti 1913 approbatis, legitur: « *In choro et capitularibus sacris actionibus,* «ne hierarchicus ordo perturbetur, inter omnes Ordinarios (ita am- « brosiano ritu appellantur Capitulares) post Dignitates et Personatus « praedictos, "praecedunt illi qui, sive praebendati sive honorarii, in « ordine presbyterali recensentur; eos vero subsequantur Diaconi (non «tamen Archidiaconus, qui secundus incedit) et demum Subdiaconi, *«• servata in singulis ordinibus anterioris possessionis ratione. - In ceteris « actionibus non capitularibus,* nulla habita distinctione inter Ordinarios « primae vel secundae erectionis, salvo honore ex laudabili consuetu- « dine Dignitatibus tributo, *is praecedit qui primus Capitulo est aggre- « gatus ratione praebendae,* deinde Canonici honorarii. Inter praeben- « datos qui ad optandum ius habent, hac ipsa regula antiquioritatis « fiant optiones, si quae sint faciendae » (P. I, c. II, capoverso IV). Ambigua vero prioris commatis verba « servata .... anterioris *possessionis* «ratione» re et effectu ita interpretati sunt, ut ea ad possessionem *canonicatus,* non ad possessionem *gradus* hierarchici traducerent•.; quam interpretationem, quum in dubium vocassent duo mox cooptati (octobris 1912 et iulii 1913) canonici iurispatronatus, prius ceteri Capitulares, per deliberationem datam die 21 octobris 1914 et dein Emus Archiepiscopus per decretum diei 17 martii 1915, ratam habuerunt, confirmantes hisce verbis intelligi : « il posto che a loro compete dall'anteriore « possesso *canonicale* ossia dall'*'aggregazione al Capitolo* ». Quamobrem canonici iurispatronatus ad hanc S. Congregationem recursum interposuerunt, in qua generali quadam dubii formula causa proponitur, nimirum: « An, et quibus provisionibus locus sit in casu ».

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - I, *Ex parte et favore Capitularium de massa* haec deducta sunt Observandum in primis est in Capitulo Metropolitano Mediolanensi non haberi distinctas praebendas^ nisi quae Dignitatibus aut Personalibus aut duobus canonicatibus de iuspatronatus addictae sunt: reliqui omnes Canonicatus fruuntur massa communi ideoque, quoad hos, non datur vera distinctio in gradus hierarchicos; haec enim distinctio ne mente, quidem concipi potest, ubi non sunt distinctae praebendae, quibus gradus illi essent coniungendi. Hinc fit ut distributio in gradus sit mere nominalis, ad effectus et necessitates liturgicas dumtaxat, adeo ut numerus Canonicorum in unoquoque ordine distributorum, pro voluntate Capitularium et pro necessitate publici cultus fluctuans varietur; hinc etiam fit ut, de uno ad alterum ordinem, seu potius ordinis nomen, ascendatur simplici voluntatis declaratione, per meram *optionem,* quam non consequitur ulla beneficii permutatio, aut in possessionem immissio, sed sola ratihabitio ex parte Capituli. Quae cum ita sint, -/cedere praestat verba cl. De Herdt - «cum in huiusmodi optione non mutetur titulus Canonicatus, illud « omnino sequitur quod *Canonicus senior digniorem locum in choro non « amittat;* adeoque non auctoritate Ordinarii nec nova collatione opus « est, *atque omne ius habitum retinetur et perseverat* »¿ Quam doctrinam^ sequitur et approbat cl. Gennari *(Monit. Eccl., v.* IX, p. II, pag. 146) addens: « trattandosi di beneficii che non hanno prebenda separata, «masólo massa comune, e sono senza titolo e consistenza giuridica « distinta, il passaggio da uno ad altro di siffatti beneficii *non porta «secóla perdita dell* anzianità £ della precedenza* ». Idque iure merito, quum, data huiuscemodi collegii aequalitate, tritum intret principium: « Potior in possessione, potiore etiam in loco habendus est ». Cf. S. C C. in *Albanen.,* 1826, apud Pallottini, v. *Canonici quoad stallum,* § 8, ubi principium illud expressis verbis ad rem nostram trahitur: «Omnibus compertum est, inter illos qui collegium constituunt, « quique pares sunt in dignitate, ei praecedentiam deberi, qui ante alios « in idem Collegium fuit admissum » (S. C. C, in *Romana,* 23 nov. 1754 » ibi). - Contraria quidem regula et norma statuenda forsan esset, si praebendae distinctae haberentur pro distinctis beneficiis : enimvero tunc qui de uno ad alterum Canonicatum transiret, censeretur priori renuntiasse alterumque de novo seu primitus obtinuisse, adeo ut nova fidei professione novaque installatione opus esset : quamobrem praecedentia tunc iure desumenda foret ex immissione in novum beneficium non ex possessione olim capta praecedentis: ac propterea canonicus in hoc casu « *amittit praecedentiam* ultimoque sedere debet in loco »

(S. R. C, n. 1609, in *Gallien, et Sutrina, Praeced.):* quod tamen à casu nostro longe procul abest.

Haec quidem luce meridiana clarere videntur. Neque ad hanc evidentiam obnubilandam afferre licet tabulas- fundationis utriusque canonicatus iuris patronatus : primo quidem quia illae non respiciunt canonicatus de massa communi quorum iura et conditio nunc investiganda sunt; secundo, quia verba illa « apparterrà all'ordine presbiterale » nihil in subiecta materia conficiunt, quam e contrario penitus illustrant, in sensu Capitularibus favorabili, adiacentia verba: « e riterrà in quelPor-« dine quel grado che gli compete... *a titolo di anzianità da computarsi « dall'epoca dell'installamene* » : i. e. ex quo *stallum* in Capitulo habere coeperit. Quando autem adducitur posterior observantia, ut contrarius sensus tabularum fundationis evincatur, in primis ad hunc effectum nonnisi pauci casus ad a. 1851-1862 attinentes recensentur, quod temporis spatium non sufficit ad praescriptionem complendam; ac praeterea, quod gravius est, hi casus non probantur nisi ex quadam Cleri descriptione non ex officio confecta neque gravioribus mendis carente, quae, caeterum, si Capitulares recenset in tres ordines hierarchicos distributos, id non facit nisi ad seriem liturgicam - si ita loqui fas est - exhibendam, dum in casu in quaestionem venit series iuridica, prout antianitatis iure decernebatur.

Ceterum haec omnia ad abundantiam prolata sunto: non enim in casu agitur de innovanda seu abroganda dispositione Statutis Capitularibus, cap. 2, contenta, sed de interpretandis verbis quae in ea leguntur: «servata... anterioris *possessionis* ratione». Nefas etenim est eam dispositionem Statutorum nunc impetere, quae olim^ deliberatione Capitulari, ex unanimi omnium, *non exceptis canonicis de iuspatronatus* qui tunc erant, sententia approbata, sancita est. At quidem in casu interpretationem praefati commatis legitimam esse, praeterquam aequitati consonam, vel ex eo constat, quod Emi Ordinarii auctoritate data est ; etenim in ipsis Statutis (p. IV, c. 16) - quod Emus in suo decreto explicite recolit - cavetur: « Quidquid his constitutionibus sancitum est, siquid difficulta-« tis vel controversiae, vel ambiguitatis fortasse unquam orietur, *id omne « interpretari,* declarare, explicare, *integrum ac perpetuum ius ArcJiiepi-« scopi sit...* cuius sententiae etiam sine ulla iudicii forma sineque ulla « exceptione *plane acguiescatur* ». Quare hoc solo argumento quaevis serotina recurrentium expostulatio a limine reiicienda videtur.

II. *Recurrentium vero contrariae deductiones Hii* compendio dari possunt. Omisso quod ad quaestionem facti attinet, num in Capitulo Mediolanensi, praebendae distinctae habeantur, necne, contendunt

prae primis hanc circumstantiam nihil ad praesentem quaestionem attinere, quum ordo praecedentiae non ex temporalitate, sed ex *gradus* dignitate sit desumendus: sive enim Canonicatus sint de communi massa, sive secus, semper tamen aliquam distinctionem inter Canonicatum et Canonicatum, eamque non nominalem, sed realem, admittendam esse constat: alioquin nullum sensum praesens quaestio haberet. At, posita hac qualicumque distinctione Canonicatuum, statim exsurgit ordo seu distributio seu distinctio membrorum, de quorum praecedentia quaeritur. Quamobrem per meram aequivocationem Capitulares respuunt omnes adversas auctoritates, quae, de Canonicatuum distinctione in classes agentes, loquuntur de distinctis, non ab invicem, sed *in tres ordines* « praebendis », quasi hoc loco temporalitas praebendae intelligenda esset, quum e contrario exploratum omnino sit nomine « praebendae» saepe saepius ipsum Canonicatum qua talem venire, et in casu in hunc sensum accipiendas esse doctorum sententias, ex contextu abunde liquet. Item ex adverso, nihili facienda est coarctatio quam Capitulares praetendunt distinctorum Canonicatuum seu praebendarum «ad « usus et necessitates *liturgicas »,* quasi inde nihil ad ordinem *iuridicum* praecedentiae conficere liceret, quum immo apprime constet utriusque ordinis sive liturgici sive iuridici parem esse in casu rationem.

Sed propius ad quaestionem accedendo, quae tandem ad hoc redit, num canonici ordinis diaconalis, etiam possessione anteriores, ascendentes per optionem ad ordinem presbyteralem, consequantur praecedentiam supra canonicos iam in ordine presbyterali constitutos, liquet hanc quaestionem recto tramite pendere ab alia, utrum in qualibet classe seu ordine presbyterali, diaconali, subdiaconali, servanda sit ratio receptionis in ipsum ordinem, seu classem, an potius ratio adscriptionis in* Capitulum: verum haec rursus quaestio solutionem certissimam accipit ex indubitato principio quo iubetur classem presbyteralem semper super diaconali, hanc vicissim super - subdiaconali praevalere. Can. *Praecipimus,* 26 Dist. 93, ibi: « Praecipimus ne Diaconus ante Presbyterum « sedeat »; c. *Statuimus,* 15 de maior, ibi: « Statuimus ut Presbyteri, pri« mum locum teneant, diaconi secundum, subdiaconi tertium, *etsi poste« rius admittantur* ». Enimvero si senior in presbyteratu quamquam iunior in canonicatu, locum cedere debet iuniori in presbyteratu eo quod is pluribus annis servierit in diaconatu et subdiaconatu, nemo non videt, *virtualiter* saltem, diaconatum et subdiaconatum in casu praevalere presbyteratu^ quod absonum est dicendum. Quadrat in rem nervosa argumentatio quam ad cognatam materiam adhibet De Luca *(De Praeeminentiis,* disc. IX, n. 6): « Si enim iunior, seu inferior Episcopus

« efficeretur Archiepiscopus, utique praeeminentiam obtineret supra «Episcopum alias antiquiorem et digniorem : qui, si deinde Archiepi- « scopus pariter crearetur, locum cedere deberet dicto Archiepiscopo prius « creato, quamvis in statu episcopali iste posterior Archiepiscopus « esset antiquior et dignior: quoniam *attenditur concursus in hoc novo « diverso statu maiore, non curato statu antiquiore et inferiore ».*

Alia via ad eamdem conclusionem devenitur, ex generali illo principio «quod absolutissimum ex iure est - ait card. Antici in magistrali « voto quod scripsit pro h. S. G. in *Romana, Praecedentiae,* 27 nov. 1790, « quae causa, in hac re, absolutum exemplar suppeditat *(TÉesaur. « Resol,* t. LIX, p. 211) - in Collegiis - nimirum - et Universitatibus, « ad statuendam honoris praerogativam spectari non debere *quae « privatim sit cuiusque dignitas,* sed quo quisque gradu sit in ipso «Collegio: eosque proinde qui altiorem in Collegio gradum obtinent, «ceteris anteferendos esse, quorum alioqui *privata dignitas longe* «praestet». Enim vero, ut arguit Pallottini, s. *v. Praecedentia* n. 58: «si posthaberi solet maior cuiusque privata dignitas ut Collegii gradus « ac status servetur, eo vel minus habenda ratio videtur maioris aetatis, « vel *longioris servitii,* quo quis praestat: secus enim vix est quo prae- « scripta haec praecedentiae methodus posset umquam ad actum perduci «aut consistere diu. Quamobrem singulis in classibus eos esse antefe- « rendos constat, qui prius in suam classem recepti fuerint, tametsi « ordine fortasse sint inferiores. Manat id scilicet ex *eadem* illa iuris « regula, ut in Collegiis non privatus cuiusque ordo spectari debeat, «sed Collegii gradus ».

Hisce praemissis satis intelligitur cur omnes quotquot hanc quaestionem tractarunt vel tetigere doctores, unanimi sententia censuerint praecedentiam in casu competere ei qui antiquior in gradu seu ordine aut classi reperiretur. Cfr. De Herdt, *Prax. Capit,* c. VII, § 9 (ed. II, pag. 35 s): « In quolibet ordine ...receptionis ratio servanda est. Si práe- « bendae distinctae non sint... Canonici inter se praecedunt ratione « ordinis sacri et non possessionis atque locum semel acquisitum non « amittunt etsi antiquiores ad eumdem ordinem ascendunt... Haec regula « generalis est » ad quam confirmandam scite affert decreta S. C. R., quae in nova collectione prostant sub nn. 961 *(Aesina,* 10 iul. 1654), 1237 *{S. Miniati,* 3 iun. 1662), 1878 *{Bituntina,* 14 iun. 1692 ad III). Quamobrem superius obiectum a Capitularibus eiusdem de Herdt textum ad rationem praesentis componere oportet: quod facile obtinetur si attendatur agi in illo de optione quidem, *at in eodem ordine:* quod idem constat de auctoritate cl. Gennari pariter obiecta a Capitularibus, qui

tamen praeterire videntur praemissam ab eo casus circumstantiam « ex « testimonio videlicet Episcopi indubitanter haberi in eo Capitulo *omnes « esse in ordine seu classi presbyterali* » (ibid). - Cfr.. quoque Ferraris, s. v. *Canonici,* art. VII « quoad praecedentiam », ubi plures allegat tum doctores, tum S. R. C. decreta; et praesertim Moneta, auctor Mediolanensis, in tractatu De *optione,* cap, VIII, q. % n. 36 ss.

Adeo verum hoc est ut idem Moneta, cum aliis, tamquam *exceptionem* constitutae normae consideret, positivam (ex decreto *Sanctissimus,* Clementis VIII, 18 aug. 1597) legem de sacro Cardinalium Collegio aliter statuentem, huiusque singularis exceptionis, singularem afferat rationem.

« Similiter - ita ille, 1. c. - *locum non habet* haec conclusio in Collegio S. R. E. Cardinalium in quo ita observatur ut, cum diaconus « Cardinalis optat titulum sacerdotalem, ut sacerdos Episcopalem, non « solum ascendit ad postremum locum hic Episcoporum ille Sacerdotum « Cardinalium, sed etiam *iuxta antiquitatem suae promotionis* ad Gardi- « nalatus dignitatem, obtinent locum ante omnes alios, ille sacerdotes, «hic Episcopos, medio tempore promotos ad Cardinalatus dignitatem, « ac deinceps tamquam antiquiores in eo ordine habeantur quoad « optionem vacantium titulorum, iisdem Cardinalibus medio tempore « promotis, quos, ut dixi, praecedunt.

« Atque haec quidem observatio illam potest habere rationem *d&scri- « minis* a Canonicorum optione, quod antiquitas in optione Canonicorum « et *praerogativa in praecedendo* sumatur ex longiore servitio Ecclesiae « praestito in suo *ordine;...* id cessat in Cardinalibus, quibus hoc optionis « ius et *praecedentia* non datur ratione alicuius servitii in aliquo ordine «Ecclesiae praestiti, sed ratione generalis obsequii quod Romanae et « Universalis Ecclesiae cuius sunt Cardinales, diutius in *huiusmodi « dignitate* praestant: unde inter eos simpliciter est attendenda anti- « quitas promotionis, dummodo, praeter aetatem et requisita, velint ipsi « ascendere: neque enim coguntur. Sic etiam videmus inter ipsos Çano- « nicos, cum agitur de optandis domibus, non attendi distinctionem « ordinum, sed simpliciter, qui antiquior est canonicus, licet subdiaconus, « in optione domus vacantis, quae non sit adnexa praebendae, praefertur « iuniori diacono... quia nempe ratione domorum canonicus nullum « speciale servitium Ecclesiae exhibet ».

Hisce argumentis generalibus, peculiaris accedit in casu confirmatio sive ex tabulis fundationis duorum canonicatuum iurispatronatus, sive ex subsequuta observantia, u% in facti specie satis adnotatum est. Quod autem contrai primum obiicitur ex additis in tabulis verbis « *Riterrà*

« *in quell'ordine quel grado che gli compete o* può successivamente « competergli a titolo di *anzianità da computarsi dall'epoca dell'in-* « *slattamento »,* id in confirmationem revera cedit. Enimvero, si Canonici antiquiores massae communis, ascendentes per optionem ad ordinem presbyteralem, *antecedere possent* ac deberent canonicos iurispatronatus iam in ordine presbyterali constitutos, quomodo hi *servare* possent *(« riterrà* ») in eo ordine gradum semel acquisitum in actu installations? Apte conferuntur cum his tabulae verbis, quae supra ex de Herdt recitata sunt: « Canonici inter se praecedunt ratione ordinis sacri et non posses- « sionis, *atque locum* semel acquisitum non amittunt etsi antiquiores ad « eundem ordinem ascendanl ». Item quae opponuntur adversus subsequutam observantiam quae verba illa fundationis interpretata est, satis sunt ieiuna: *error* enim in descriptione cleri *Milano Sacra,* quae ab officialibus Curiae prodiit, quamvis non ex officio, *non praesumitur,* sed probari debet; quod autem *pauci casus* sunt aliati, ex toto tempore quod ab a. 1805 ad a. 1912 defluxit, rei perspicuitati non obest, si illi casus etsi pauci, *omnes* sunt in quibus applicandae normae locus erat, ac praesertim, si, ut in re est, *nullus contrarius* ex adverso perhibetur. Ceterum ea consuetudo Ecclesiae Mediolanensis conformis est consuetudini quae in re viguit et viget in plurimis orbis ecclesiis, potissimum in Basilicis Urbis, ut facile, at nimium esset ostendere: sufficiat tamen afferre art. 22 Constit. Basil. S. Mariae in Transyberim, in qua, sicut praetenditur in Mediolanensi Capituli, praebendae distinctae non habentur, sed Massa communis: « Vacando un canonico *(sic)* i canonici presenti in Roma « solamente possono salire di grado, cioè il primo suddiacono al diaco- « nato, e il primo diacono al luogo ***aeìY*** *ultimo* prete »,®quam dispositionem affert et illustrat in sua oratione card. Alitici, loco sup. cit.

Quae cum ita sint, cum iuris communis dispositio favere videatur recurrentibus, cum praeterea ex tabulis et ex consuetudine acquisitum illis appareat ius non cedendi locum novis presbyteris etsi hi antiquiores sint canonici, consequitur etiam nec novis Statutis, nec ipsa confirmatione aut interpretatione Emi Ordinarii, huiuscemodi ius tolli seu,aboleri potuisse. Utriusque argumenti eadem causa est, nam Statuta Capitularia nullam vim habent, nisi a confirmatione Ordinarii: at quidem « cum de novo iure praecedentiae statuendum peragitur, non possunt « Antistites iura tertii labefactare, maxime si tertius in pacifica posses- « sione reperiatur » (Pallottini, s. v. *Praecedentia,* n. 11; cfr. Pyrrh. Corrad. *Praxis benef.*, 1. II c. 10, n. 152). Hoc igitur acquisitum ius, si et quatenus ea dispositione Statutorum aut decreto Ordinarii in discrimen vocetur, postulant recurrentes in integrum restitui. «

RESOLUTIO. - Proposita autem recurrentium expostulatione, praescripto dubio semel et iterum in plenariis Emorum Patrum comitiis, Emi Patres, sub die I° aprilis 1916, respondendum censuerunt: «Ad «mentem. *Mens est:* " Si scriva all'Emo Arcivescovo, che corregga le «costituzioni capitolari nel senso, che l'anzianità, per i canonici che « passano dall'ordine diaconale a quello presbiterale, debba computarsi «dal tempo del*loro passaggio all'ordine presbiterale e non dell'ante« riore possesso canonicale „ ».

Facta autem SSmo Dno Nostro relatione per S. Congregationis Secretarium in audientia diei 3 aprilis 1916, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbavit.

CAUSAE PROSEQUUTIO. - Ab hac resolutione beneficium novae audientiae impetrarunt Capitulares de massa, eo facilius concessum, quod in exsecutione datae decisionis non levis oborta fuerit ambigendi occasio. Canonici videlicet iurispatronatus contendebant datam praecedentiae normam extendendam esse ad universos actus vitae capitularis, dum ex adverso sustinebatur in casu nonnisi exceptionem aliquam approbatam fuisse, respicientem nimirum transitum de ordine diaconali ad presbyteralem. Quaestio igitur sub duplici dubii formula tertio proposita est, nimirum :

I. *An standum vel recedendum sit a decisis in casu.* Et quatenus *in decisis:* ^

II. *An et quousque extendenda sit ipsa decisio in casu.*

Verum quoad primum, quum ex exhibitis deductionibus nihil novi erueretur, nisi Capitularium primae erectionis querelae, se minus celeriter ad superiores classes ex constituta norma ascendere posse, ceteris argumentationes ad iam disceptata redeuntibus, praesertim quoad minime vigentem in eo Capitulo praebendarum distinctionem ; quumque interea Canonici Iuris Codex can. 408, § % ius commune in re perspicue et absque ullo discrimine sanxisse!, vix ullus dabatur ambigendi locus.

Quod autem alterum attinet, animadversum est ex recensitis iam decretis et decisionibus, potissimum S. R. C. satis constare quanam definite extensione constituta norma donanda sit. Cfr. signanter *Aesin.*, 18 iul. 1854: «Cum in ecclesia cathedrali exorta fuerit controversia an « idem quod servatur in choro, et quando inceditur cum cotta et habitu « canonicali debeat etiam servari in Capitulo et in aliis actibus in quibus « Canonici conveniunt in eorum habitu ordinario clericali, eadem S. R. C, « auditis partibus, censuit et declaravit: Canonicis presbyteris *ubique « locorum competere praecedentiam in functionibus capitularibus,* tam

« quae fiunt cum habitu canonicali, quam sine habitu ». Similiter in eadem S. R. G. Bituntina, 14 iun. 1692 ad III, ac meliore fortasse et breviore dictione laudatus card. Antici in voto quod pro Romana *Praeced.* 27 nov. 1790 in h. S. C. egregie scripsit: « In choro, aliisque *muniis « capitulariter obeundis* », a quibus formulis constanter adhibitis, nulla subesse videbatur in praesenti causa recedendi. Itaque propositis ut supra dubiis, in plenario conventu diei 13 aprilis 1918, Emi Patres respondendum censuerunt:

Ad I. *In decisis.*

Ad II. *Extendendam etiam ad ordinem diaconalem et subdiáconalem, itemque ad omnes casus in quibus Capitulum capitulariter interveniat.*

Quam etiam resolutionem, referente super omnibus infrascripto S. C. Secretario in audientia diei 15 eiusdem mensis et anni, SSmus Dnus Noster ratam habere et confirmare dignatus est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACEA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

RESPONSIO CIRCA PETITIONEM QUORUMDAM RELIGIOSORUM E MILITIA REDEUNTIUM

SSmo Dno Nostro Benedicto Papae XV humillimae porrectae sunt preces ut consulere dignaretur iis Religiosis, qui, bello perdurante, militiae nomen dare coacti, impares forte se sentiant ad regularem vitam instaurandam.

Porro Sanctitas Sua preces remisit ad H. S. Congregationem, ut, habito respectu ad peculiares horum Religiosorum circumstantias, paterna sollicitudine provideat in casibus particularibus. Hoc autem Eadem Sanctitas Sua publici iuris fieri voluit.

Datum ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 23 decembris 1918.

R. CARD. SGAPINELLI, *Praefectus.*

L. & S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius.*

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

DECRETUM

DE EXPERIMENTIS AD GRADUS IN IURE CANONICO ASSEQUENDOS

Legum canonicarum Codice promulgato, Sacra Congregatio de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, litteris datis die VII augusti elapsi anni, viam et rationem praescripsit, quam in disciplina Iuris posthac Pontificia Athenaea sequerentur. Huic autem rationi, seu methodo, ut ipsa doctrinae pericula, quae fiunt ad gradus academicos assequendos, sint consentanea, eadem S. Congregatio experimentis in iure canonico moderandis has leges constituit.

Í. Quoniam in praelectionibus Codex Iuris canonici est tamquam textus adhibendus, periculorum materia sint ipsi Codicis canones, vel omnes vel partim, pro diversitate gradus adipiscendi, remoto quolibet indice thesium, vel quae doctrinam exhibeant in ipsis canonibus contentam.

II. Candidati ad academicos gradus exegesim seu interpretationem exponant canonum, prout habentur in Codice, sive singillatim considerentur, sive coniuncte cum aliis.

III. Candidati non modo singulos canones interpretari et explicare, quantum gradus ratio exigit, probe noverint; sed etiam de uniuscuiusque instituti iuridici ortu, progressu et historia, doctrinae suae specimen dabunt.

Quas. leges SSmus D. N. Benedictus PP. XV ratas habuit et confirmavit, atque in omnibus Athenaeis seu Universitatibus vel Facultatibus, quae e Codicis praescripto (can. 256, § 1) huic Sacrae Congregationi subsunt, servari iussit ab anno academico^ qui propediem incipiet. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, die 31 octobris, anno 1918.

C. CARD. BISLETI, *Praefectus.*

L. © S.

f I. Sinibaldi, Ep. Tiberien., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACHA POENITENTIARIA APOSTOLICA

PIA UNIO CLERI PRO MISSIONIBUS, QUAE VULGO « PIA UNIONE MISSIONARIA DEL CLERO » NUNCUPATUR, SPIRITUALIBUS FAVORIBUS AUGETUR.

Beatissime Pater,

Praeses generalis Piae Unionis Cleri pro Missionibus (vulgo *Pia Unione Missionaria dei Clero),* a Sanctitate Vestra iam benigne approbatae,[1] cuius finis est, iuxta vota eiusdem Sanctitatis Vestrae, efficere, ut in corde omnium sacerdotum illa exardescat, qua nemo prorsus carere deberet, sacri Apostolatus flamma; ad osculum s. Pedis provolutus, humiliter petit ut, ad facilius huiusmodi finem assequendum, dignetur Sanctitas Vestra sacerdotibus, in praedictam Piam Unionem cooptatis, sequentes spirituales favores concedere:

I. Indulgentiam plenariam, sub consuetis conditionibus lucrandam, in festis: 1) Epiphaniae, 2) SS. Apostolorum, 3) S. Michaelis Archangeli, 4) S. Francisci Xaverii, 5) semel in mense, die ad proprium cuiusque arbitrium eligenda, 6) in articulo mortis, servatis servandis.

II. Indulgentiam centum dierum pro quolibet pietatis opere in favorem Missionum expleto.

III. Facultatem, dummodo adscriptus ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus: 1) benedicendi, extra Urbem, unico crucis signo, coronas,,rosaría, cruces, crucifixos, numismata et parvas statuas, cum applicatione indulgentiarum apostolicarum (de quibus in *Acta Apostolicae Sedis,* sub die 5* septembris 1914); 2) benedicendi, unico signo crucis, coronas, iuxta typum Rosariorum B. M. V. confectas, cum applicatione indulgentiarum, quae a PP. Crucigeris nomen habent; 3) benedicendi ac imponendi, servatis ritibus ab Ecclesia praescriptis, scapularia Passionis Ü. N. I. C, Immaculatae Conceptionis B. M. V., SS. Trinitatis,

*** Vide *Acta Apostolicae Sedis,* vol. IX, p. 22.**

B. M. V. Perdolentis, B. M. V. a Monte Carmelo, ab Apostolica Sede approbata, firmo onere legitimae inscriptionis pro tribus postremis; 4) benedicendi, unico signo crucis, crucifixos, cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a Via Crucis nuncupati, in favorem fidelium, qui quominus sacras visitent « Stationes », legitime impediuntur; 5) benedicendi, unico signo crucis, crucifixos, iisdemque applicandi plenariam indulgentiam, in articulo mortis ab iis acquirendam, qui praescriptis expletis conditionibus illos osculati fuerint, aut saltem aliquo modo tetigerint.

IV. Indultum personale altaris privilegiati, quater in qualibet hebdomada, dummodo simile indultum pro alia die non obtinuerint.

Et Deus...

Die 15 novembris 1918.

SSmus D. N. D. Benedictus, div. Prov. Pp. XV, in Audientia infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, benigne annuere dignatus est pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis apostolici expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

O. CARD. GIORGI, *Poenit. Maior.*

L. ✠ S.

F. Borgongini Duca, *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

FLORENTINA

NULLITATIS MATRIMONII (BENVENUTI-TAZIOLI)

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die 28 ianuarii 1918, RR. PP. DD. Guilelmus Sebastianeiii, Decanus Ponens, *Petrus Rossetti et Raphael Chimenti, Auditores de turno, in causa* Florentina - Nullitatis matrimonii *inter* Ivum Philippum Benvenuti, *repraesentatum per legitimum procuratorem Angelum D'Alessandri advocatum, et* Adelem Tazioli, *interveniente et disceptante in causa Rev. Substituto Defensoris vinculi ex officio, sequentem tulerunt in gradu appellationis definitivam sententiam.*

Ivas Philippus Benvenuti Ferrariensis, cum Florentiae stipendia mereretur, amicales relationes contraxit cum familia Tazioli, in qua aderat quaedam iuvenis nomine Adelis. Hanc deperire coepit Philippus et eo amor progressus fuit, ut praegnans iuvenis evaserit. Quam ob rem offensa familia, praesertim Aegistus Adelis frater, matrimonium Philippo imposuit, mortis poena comminata, et certo inferenda, si illud non contraxisset. Hoc metu compulsus Philippus promisit se Adeli nupturum. At die statuta ad matrimonium celebrandum, loco se praesentandi coram parocho ad ritum nuptialem explendum, Ferrariam petiit. Ira vehementer exarsit Aegistus, qui minas mortis renovavit non solum Philippo sed eius fratri, ac patri. Quibus commotus I vus, Fiorentiam reversus, die 23 augusti 1900 Adeli nupsit, quin tamen cum ea individuum vitae consortium institueret. Imo post duos annos ab initis nuptiis obtinuit a magistratu civili separationem legalem. Cupiens deinde plenam libertatem recuperare, die 4? aprilis 1906 coram tribunali civili, et die 19 decembris 1908 coram tribunali ecclesiastico iudicia instauravit de nullitate sui cum Adele matrimonii. Eius votis cessit sententia tribunalis civilis diei 28 februarii 1910. Curia vero florentina validum matrimonium edixit die 8 iulii 1909. Ab hac sententia Philippus provocavit ad H. S. Auditorium petens eodem tempore suppletorium processum. Quo peracto, nunc causa iterum discutienda proponitur sub geminis dubiis :

1. *An constet de nullitate sententiae diei 8 iulii 1909.*

IL *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

1. Quoad primum dubium Patres adnotarunt ad iudiciorum solemnitatem quasdam requiri conditiones servandas sub poena nullitatis a lege positiva praescriptas pro iustitiae tutela. Plures antiquo iure numerabuntur; at, uti scribit Card. De Luca *(De Iudic.,* disc. 38, num. 22): « Nimium quidem laudabiliter resecatae sunt.... ideoque in Curia non « attenduntur nisi tres resultantes a tribus defectibus substantialibus, «nempe iurisdictionis, citationis et mandati». Hanc legem constituit pro S. Rota Pius IV const. *In throno iustitiae,* 27 decembris 1561, par. 13, quam confirmavit Paulus V, const. *Universi agri,* 1 martii 1622, par. 5; et recognovit Clemens XIII const. *Ex parte,* 30 septembris 1760, par. 6, ratamque habuit Pius VII in *Motu Proprio,* diei 6 iulii 1816, par. 17. Tribus citatis nullitatibus quartam addidit Pius X const. *Sapienti consilio* expressam in can. 27, par. 3, legis propriae S. Romanae Rotae. His tamen pontificiis depositionibus non obstantibus, immutatae manserunt conditiones ab ipso naturali iure requisitae, ut iudicia valida sint, secus enim iudicia penitus destruerentur; S. R. Rota in *Treviren. Diffamationis,* 15 maii 1913 c. Many, et in *Luganen. Iurium,* 5 martii 1915 c. me.

Quibus animadversis, actoris patronus validitatem sententiae Curiae Florentinae conatur impugnare ex tribus praesertim capitibus: I° videlicet ex eo quod servata non fuerit actoris intentio in libello manifestata; 2° quia partes citatae non fuerunt, nec lis contestata; 3° tandem quia processus non fuit publicatus.

At tutius est ratio desumpta ex praetensa libelli mutatione, quasi actor petierit dispensationem a matrimonio rato et non consummato, et iudex decreverit non constare de nullitate matrimonii ex capite vis et metus. Etenim, actor petiit quidem verbis valde impropriis in fine libelli, « Fannullamento del matrimonio perchè non consumato », at superius exposuit, quod matrimonium « non era la risultanza di un « libero consenso, che veniva sancito innanzi a Dio, con suprema pro« messa, ma l'effetto di violenze e minacce gravissime, che inibirono « agli sposi l'estrinsecazione della loro volontà ». Circa utrumque caput iudices Florentini testes rogarunt, et rem detulerunt Sacrae Congregationi super disciplina sacramentorum, quae rescripsit: « L'Ordinario « compia il processo di nullità *usque ad definitivam sententiam inclu« sive* ». Et merito; actor enim, etsi expresse non petiit nullitatis declarationem ex capite vis et metus, tamen in causis matrimonialibus, cum agatur de bono publico, iudex ex officio supplere potest ignorantiae et negligentiae actoris, quando ex libello, vel ex processu appareat matrimonium aliquo impedimento contractum fuisse.

Nec nullitas sententiae admittenda est ob defectum citationis et litis contestationis. Citatio enimvero, quatenus est in ius vocatio, seu quatenus est *actus legitimus, quo quis ex mandato iudicis vocatur in iudicium iuris experiundi causa,* nedum positivo iure, sed etiam naturali necessario requiritur « quia citatio spectat ad naturalem defensio- « nem sicque nulli est deneganda, cum nemo inauditus condemnari « debeat. Unde citatio dicitur esse principium ac fundamentum iudicii, « seu prima pars iudicii » (Reiffenstuel, lib. II, tit. III, par. II, n. 42, 46, 48). Verum hoc intelligendum non est de ipso materiali actu citationis: quando enim quis coram iudice sistit iuris sui experiendi causa, nihil refert an sit praesens per decretum citationis, vel sponte sua citationem praeveniens, aut casu aliquo coram iudice compareat sua iura defensurus; finis enim citationis obtentus est, et defensioni aeque consultum (cfr. Emus Lega, *De iudiciis eccies.,* vol. I, part. I, lect. II, tit. II, n. 4-7). Porro in casu Adeles, etsi ex actis non appareat citatam fuisse, coram iudice in loco iudicii ad praecisum finem iudicii, adfuit tamen. Legitur enim in actis: « A di 28 marzo 1909 avanti mimo Mons. Ales- « sandro Giolli... Mons. Mannucci difensore del vincolo ... e di me infra- « scritto Cancelliere si è *personalmente costituita* la Signora Adele di Do- « menico », etc. Nulla pariter quaestio esse potest quoad omissionem litis contestationis, praesertim quia in iudicio summario, quo causae matrimoniales pertractari debent, litis contestatio non requiritur; accusato enim impedimento et audita altera parte iam iudicii obiectum est determinatum.

Remanet expendendum tertium nullitatis caput, quod respicit omissionem publicationis processus. Reiffenstuel in lib. II, tit. XX, n. 523, 524, sibi quaestionem proponit : « Utrum publicatio attestationum sit de sub- « stantia processus iudiciarii » et respondet publicationem attestationum non esse de substantia processus iudiciarii, bene vero de eius iustitia. Conclusio haec desumitur ex cap. 22 *De sent. et re iudic, ubi* Pontifex post interpositam ad se appellationem, novis iudicibus delegatis mandat, ut, servatis servandis, confirment processum, quem alii iudices formarunt, sententiamque tulerant *testium depositionibus coram partibus minime publicatis nec ostensis eisdem.* Quem textum Innocentius ibid. et glossa marginalis dicit esse singularem ad hoc, quod attestationum publicatio sit de iustitia, non autem de substantia processus. Accedit ratio : quia iudici semper publicatae sunt attestationes, seu nota acta iudicii, et partium iura, ut inquit Menochius cit., q. 33, n. 1 et 2 et Pirh. Ist. XX. n. 202; unde cum is optime instructus sit de iure partium ex attestationibus testium sibi cognitis, ferre sententiam poterit, lataque valebit, nisi ab ea appellatum fuerit.

Ex quibus omnibus Patres primum dubium dimittendum esse censuerunt negativa responsione.

Secundum dubium quod spectat; neminem latet ad essentiam matrimonii consensum requiri ; est enim matrimonium ipsemet contractus naturalis a Christo Domino ad dignitatem sacramenti elevatus; et ideo, sicut ceteri contractus, consensu perficitur. Consensus vero immunis esse debet a qualibet coactione sive phisica, sive morali; hinc non solum vis, sed etiam metus matrimonium invalidat, saltem iure canonico, ex cap, 14, 15 et 28, tit. *De Sponsal. et matrim.* Et merito, quamvis enim metus non auferat eligendi et consentiendi facultatem, reddit tamen voluntatem procliviorem in eum actum, a quo alias is, cui metus incutitur, se abstineret. Proinde per metum illa plena aufertur libertas, quam sacri canones requirunt in nupturientibus. Metus autem, ut matrimonii nullitatem inducat, I° debet esse gravis, seu cadens in constantem virum, quod verificatur quando grave est malum minitatum saltem pro illa persona, quae timet, et haec persona persuasum habet malum hoc sibi revera imminere. 2° Debet procedere ab extrinseco, seu a causa libera; 3° debet incuti ad extorquendum consensum; et 4° tandem debet esse iniustus. Metus dicitur iniustus « quando malum quod timetur est aliqua « ratione iniustum, *sive quoad substantiam,* si nullo pacto debetur, e. g. « si agitur de poena ex delicto, quod commissum non est, licet iudex « competens, et servaverit ordinem iuris, aut si delictum commissum « est, sed illam poenam minime meretur; *sive quoad modum,* si malum « quidem debetur, sed non ab ea persona, aut non eo modo; v. g. agitur « de poena inflicta a iudice incompetenti, aut non servato ordine iuris, «'licet delictum sit admissum et poena per se iusta; *sive quoad substan- « tiam simul et modum,* quod ex dictis intelligitur » (Gaspan i, *De matrimonio,* vol. II, n. 948, tertiae edit.).

Modo ad factum. - Aegistus Tazioii, cognita sororis suae Adelis praegnantia, non suasionibus tantum, sed persuasionibus et minis gravissimis Philippo Benvenuti imposuit matrimonii celebrationem. Hoc imprimis ipse Aegistus fatetur his verbis: « Essendo... mia sorella rimasta « incinta, ed accorgendomi che il Benvenuti tentava di evitare il matri- « monio, allo scopo di salvaguardare l'onore della nostra famiglia, ado- « perai tutte le ragioni morali per tenervelo obbligato. Non valendomi « queste, mi valsi anche della forza pigliandolo a pugni nel nostro negozio « e un'altra volta minacciandolo col *revolver».* Quod confirmant Adeles et testes. Adeles enim ait: « Mio fratello gli fece l'uomo addosso, come « suol dirsi, minacciandolo anche della vita ». Testis autem Cipriani

haec habet: « Lo stesso Egisto mi narrò che, appena avuta notizia « dello stato di gravidanza della propria sorella, fece ricerca del Signor « Benvenuti, e trovatolo da solo gli rimproverò il fatto. Il Signor Ben- « venuti rispose di non saper nulla, e immediatamente il Signor Tazioli « gPinflisse uno schiaffo così forte da gettarlo a terra. Allora Benvenuti « promise che avrebbe rimediato », Et in secunda depositione addit: « Il Benvenuti si adattò a sposare per timore del fratello della Tazioli, « quando questi come mi raccontò lui stesso, fece al Benvenuti questo « trilemma: ammazzarsi, o farsi ammazzare, o sposare». Testis pariter Manganelli deponit: « Lo stesso Egisto mi confidò che più di una volta « era venuto a vie di fatto, e che specialmente un giorno lo percosse « con pugni trovandomi io stesso presente ». Tandem, aliis omissis testi- bus, Dantes Stoccanti refert: «Trovandomi alcune volte nel negozio « del Sig. Benvenuti, posso dire che il fratello della Signora Tazioli più « volte minacciò anche con il *revolver* il detto Benvenuti per costrin- « gerlo a sposare la sorella ».

Acriores evaserunt minae, postquam Philippus Ferrariam petiit eadem die, qua nuptiae erant celebrandae. Haec enim habet Hugo Phi- lippi frater: « Il giorno innanzi del fissato matrimonio, mio fratello venne « da me, e mi disse che lui era per niente disposto a sposare l'Adele « Tazioli e che egli fuggiva a Ferrara. Il giorno dopo Egisto venne da « me alla caserma del 3° Genio, ove io mi trovava, e cominciò ad insul- « tare me, e tutta la mia famiglia, minacciando il mio fratello, che « dovunque l'avesse trovato, gli metterebbe il cuore in mano. Dopo « questo fatto io scrissi ripetutamente al babbo mio facendogli pres- « sione, perchè persuadesse mio fratello a sposare la Tazioli ». In epi- stola autem scripta ab Aegisto actoris patri haec leguntur: « Lui crede «forse di essersi messo in salvo, lui crede forse di essere fuggito dalle « mie mani e alla mia sanguinosa vendetta..., io l'ucciderò... Suo figlio « non ha che tre cose da scegliere: sposare, farsi uccidere, oppure farsi « saltare le cervella... Obblighi suo figlio con la sua autorità di padre « a fare il suo dovére... diversamente la catastrofe è imminente ». His minis pérterritus, consulentibus etiam parentibus, Philippus Florentiam rèversus est matrimonium cum Adele celebraturus. Timens vero Aegi- stus ne Philippus iterum fugam arriperet, ipse, uti deponit testis Man- ganelli, « fissata l'ora del matrimonio per la seconda volta... si recò alla « casa Benvenuti e con l'arma in pugno lo costrinse a salire in carrozza « per recarsi alla chiesa e compiere la cerimonia del matrimonio ».

Haec omnia non solum in tuto collocant metus existentiam, sed demonstrant etiam eius gravitatem ; quae gravitas augetur indole attenta

metum passi. Philippus enim non erat vir adeo forti animo praeditus, ut diutius resistere posset tum minis, tum pressuris familiae. Nam tunc temporis neurasthenia laborabat, quae animum debilem et excitationi obnoxium reddit. Constat enim Philippum an. 1898 per duas hebdomadas propter hunc morbum in xenodochio militari degentem fuisse. De eodem etiam morbo duo testantur medici. Ita Dr. Falconi ait: « Come « medico curante potei constatare lo stato nevrastenico accentuato del « sig. Ivo Filippo Benvenuti, e quindi qualsiasi coercizione morale eser« citava una influenza decisiva nella sua volontà ». Et medicus Catelli deponit: « Ho constatato il suo stato mentale fortemente neurasténico «e la sua debolezza di carattere, tanto che cedeva con facilità a qua« lunque impressione e coercizione morale che gli venisse dal di fuori ». Nec spes aliqua adesse poterat Aegistum minas ad effectum perducturum non fuisse; ipse enim, ut habet testis Cipriani « era di carattere « energico e risoluto ».

Metus in casu fuit etiam directus ad extorquendum consensum; Aegistus enim expresse et explicite mortem aut matrimonium proposuerat; et iniuste. Iniustitiam metus denegant iudices Florentini in appellata sententia, « attesoché... ne ingiusto possa dirsi il timore quando «è incusso per riparare una ingiuria». At animadvertendum est tunc tantum exurgere obligationem reparandi matrimonio iniuriam illatam per deflorationem, quando coram iudice probetur virginem defloratam fuisse promissione matrimonii; et nullam adesse causam ob quam stuprator eximi possit ab obligatione contrahendi matrimonii; v. g. odium inter sponsos, periculum scandali, timor mali exitus, etc. (Rota, dec. 246, n. 6, p. III et 45 p. X, Recent. ; Lehmkuhl, *Theol, mor.,* I, n. 997, edit. 10; Genicot, *Theol, mor.,* n. 569, edit. 6). Iamvero ex actis constat quidem Adelem opera Philippi utero gravem evasisse, sed nullibi legitur hoc accidisse sub promissione matrimonii. Expressiones Adelis: « Mi offrì di « sposarmi... continuò a corteggiarmi... durò l'amoreggiamento tre anni; « durante il quale durava il pensiero di farsene una moglie », non veram promissionem secumferunt, sed simplex propositum.

Verum, posita etiam promissione, exitus maius timeri optime poterat ex nuptiis Philippi cum Adele: ambo enim averso animo matrimonium contraxerunt. Philippus revera ait: « Non ho mai avuto la volontà « di farmene una moglie;... era contraria lei stessa a contrarre matri« monio ». Quod sponsa confirmat quando fatetur nuptias iniisse « pres« sata dai parenti e per esservi di mezzo il figlio ». Testis Giselda Pulli fere eadem habet: « Lei pure, dietro alla disgrazia successa, s'indusse a « sposare il Benvenuti spinta dalla famiglia, perchè sapendo la condotta

« del Benvenuti, ella finalmente non era molto portata a sposarlo ». Explosa itaque taxativa obligatione ex parte Philippi contrahendi matrimonii, eidem, posita praegnantia Adelis, onus incumbebat aut *dolanoli aut nubendi.* Quare cum Aegistus hoc alterum imposuerit, comminato vitae periculo, metum incussit iniustum quoad substantiam. Qui metus fuit etiam iniustus quoad modum; non enim Aegisto fas erat propria auctoritate obligationis, si quae extitisset, implementum exigere, sed hoc obtinere debuisset iuris ordine servato, et cum legitimi iudicis interventu.

Quibus omnibus, tum in iure, tum in facto consideratis et bene perspectis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus ac definitive sententiamus *constare de validitate sententiae Florentinae diei 8 iulii 1909, et de nullitate matrimonii inter Philippum Benvenuti et Adelem Tazioli;* i. e. ad proposita dubia respondemus: Ad I. *Negative;* ad II. *Affirmative.* Statuentes praeterea eumdem Philippum Benvenuti ad expensas iudiciales solvendas teneri.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam SS. Canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De Reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et **coercitivis mediis, quae magis** efficacia et opportuna **pro rerum adiunctis exstitura sint.**

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, **die** 28 ianuarii 1918.

Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, *Ponens.*
Petrus **Rossetti.**
Raphael Chimenti.

L. & S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 3 dicembre 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati ed i Consultari teologi componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto dapprima sul dubbio detto del *tuto* per la solenne Canonizazzione del Beato Gabriele dell'Addolorata Conf., chierico professo della Congregazione della Ssma Croce e Passione di N. S. G. C, e quindi sul dubbio intorno a due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Venerabile Serva di Dio Anna Maria Taigi del Terzo Ordine della Ssma Trinità, i quali miracoli vengono proposti per la beatificazione della medesima Venerabile.

Martedì 10 dicembre 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Ordinaria Particolare,* nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, insieme ai Rmi Prelati Officiali, hanno trattato le seguenti materie:

1) intorno alla validità del Processo Apostolico costruito nella Curia di Coutances sopra due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Beata Maddalena Postel, Fondatrice delle Suore delle Scuole Cristiane della Misericordia, proposti per la Canonizzazione della stessa Beata;

2) intorno alla validità e rilevanza del Processo Apostolico *Addizionale* costruito nella Curia di Lione sopra la fama di santità della vita, delle virtù e dei miracoli in genere del Venerabile Giovanni Claudio Colin, Sacerdote fondatore dei Maristi;

3) e parimenti intorno alla validità e rilevanza del Processo Apostolico costruito nella Curia di Brescia sopra la fama di santità della vita, delle virtù e dei miracoli in genere della Serva di Dio Maria Crocefissa Di Rosa, Fondatrice delle Ancelle della Carità;

4) intorno alla validità dei Processi Apostolici ed Ordinari per la Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Serva di Dio Suor Teresa del Bambino Gesù, Monaca professa Carmelitana Scalza del Monastero di Lisieux;

5) e finalmente intorno al culto, in ossequio ai Decreti di Urbano VIII, non mai prestato alla Serva di Dio Margherita Rutan, delle Figlie della Carità di San Vincenzo de Paoli, uccisa, come si asserisce, in odio alla Fede.

Martedì 17 dicembre 1918, presso 1' Emo e Rmo Signor Cardinale Ponènte Gaetano Bisleti, è stata tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria,* nella quale i Rmi Prelati Officiali ed i Rmi consultori teologi hanno discusso e dato il loro voto sopra L'eroismo delle virtù del Ven. Servo di Dio Giuseppe Cafasso, sacerdote secolare, superiore del Collegio Ecclesiastico di Torino.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

3 dicembre 1918. 11 R. P. Arturo Wermesch, della Compagnia di Gesù, *Consultore della S. Congregazione dei Sacramenti.*

17 » » L'Emo signor Cardinale Lodovico Billot, *Protettore delle Suore di Nazareth.*

18 » » L'Emo signor Cardinale Tommaso Pio Boggiani, *Protettore dell'Istituto delle Suore Domenicane del Ssmo Rosario, aventi ta Casa Madre in Sinsinawa, Wisconsin, U. S. A.*

19 » » L'Eino signor Cardinale Raffaele Scapinelli di Lèguigno, *Prefetto della S. Congregazione dei Religiosi,* ed il Revino P. Abate D." Mauro Serafini, O. S. B., *Segretario della medesima S. Congregazione.*

27 » » L'Emo signor Cardinale Andrea Frühwirth, *Protettore della Congregazione di S. Caterina da Siena, delle Suore Terziarie Domenicane, assistenti gli infermi.*

» » » Mons. Giovanni Battista Maria Menghini, *Sottosegretario della S. Congregazione Cerimoniale.*

28 » » Mons. Giovanni Biasiotti, *Prelato Chierico della Rev. Camera Apostolica.*

» » » Il R. P. Gustavo Frank, della Congregazione dello Spirito Santo, *Consultore della S. C. dei Riti per le Cause di Beatificazione e di Canonizzazione.*

» L'Emo Signor cardinale Oreste Giorgi, *Protettore delVIstituto delle Poverelle di Bergamo.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

S luglio 1917. Mons. Giovanni Onorato Cappati, della diocesi di Nizza.
29 novembre 1918. Mons. Giovanni M. Emilio Sahut, della dioc. di Montpellier.
5 dicembre » Mons. Emanuele Al ves Tarres Carneiro, dell'archidioeesi di Braga.
17 » » Mons. Francesco Fellinger, Vicario Patriarcale di Gerusalemme.
20 » » Mons. Sebastiano Pinceti, vicario generale della diocesi di Chiavari.

Prelati Domestici di S. S.:

SO novembre 1918. Mons. Valerio Ploskiewcz, dell'archidioeesi di Varsavia,
3 dicembre » Mons. Giovanni Giuliano Palisser, della diocesi di Orano.
14 » » Mons. Francesco Weis, della diocesi di Basilea.
18 » » Mons. Filippo Evangelisti, di Roma.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 ottobre 1918. Al sig. Agostino Raude, della diocesi di Paderborn.
28 novembre » Al sig. prof. Salvatore Nobili, di Roma.
1 dicembre » Al sig. Dedjaz Emerou, vice-governatore dell' Harar.
17 » » Al sig. Pietro Giacomo Giuseppe de Wit, della diocesi di Bois-le-Duc.

27 *Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:*

10 dicembre 1918. Al sig. Francesco Garrone, dell'archidioeesi di Torino.
» » » Al sig. dott. Pietro Luigi Peynetti, della medesima archid.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

29 novembre 1918. Al sig. Raffaele Mitjana y Gordon, ministro plenipotenziario di Spagna a Caracas.
21 dicembre » Al sig. dott. Antonio Alvarez Lobo, della dioc. di Campinas.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

5 dicembre 1918. Ai sig. Marino Lo Schiavo, dell'archidioeesi di Napoli.
10 » » Al sig. Carlo Mittermüller, dell'archidioeesi di Monaco.
» » » Al sig. ing. Alberto Cuccoli, dell'archidioeesi di Bologna.
12 » » Al sig. Giovanni Teodoro Toorop, della diocesi di Harlem.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. Ii. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

17 gennaio 1917. Mons. Noradino Eugenio Torriceila.
29 maggio 1918. Mons. Carlo Müller, della diocesi di Secovia.
23 luglio » Mons. Guglielmo Pichler, dell'archidiocesi di Vienna.
» » » Mons. Antonio Philipp, della medesima archidiocesi.
» » » Mons. Augusto Schaurhofer, della medesima archidiocesi.
12 agosto 1918. Mons. Luca Grgié, della diocesi di Spalato e Makarska.
» » » Mons. Raimondo Maroevié, delle medesime diocesi.
30 settembre » Mons. Antonio ELlner, della diocesi di Trieste.
» » » Mons. Giovanni Láska, dell'archidiocesi di Olmütz.
» » » Mons. Francesco Koupil, della medesima archidiocesi.
21-novembre » Mons. Santo Balduzzi, della diocesi di Bergamo.
22 « » Mons. Bartolomeo Orsi, della diocesi di Rieti.
27 » » Mons. Felice Attard, della diocesi di Malta.
5 dicembre » Mons. Antonio L. Iglesias (Chili).
» » » Mons. Leone Mahzetti, dell'archidiocesi di Baltimora.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

12 agosto 1918. Mons. Carlo Ketterer, dell'archidiocesi di Colacza.
» Mons. Francesco Tantos, della medesima archidiocesi.
» Mons. Giuseppe Holtzinger, della medesima archidiocesi.
» Mons. Biasio Hirka, della medesima archidiocesi.
» » » Mons. Alessandro Gärtner, della medesima archidiocesi.
22 » » Mons. Ottone Stanovsky, della diocesi di Leitmeritz.
28 novembre » Mons. Giuseppe Mancini, di Roma.
» » » Mons. Augusto Fidecicchj, di Roma.
16 dicembre » Mons. Luigi Biondi, di Roma. '
20 » » Mons. Vincenzo Botto, della diocesi di Chiavari.
2S » » Mons. Giuseppe Di Girolamo, di Roma.

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S.S.:

11 dicembre 1918. Il sig. Antonio Casati, dell'archidiocesi di Milano.

Cappellano d'onore extra urbem *di S. S.:*

23 luglio 1918. Mons. Gottardo Blümel, deli archidiocesi di Vienna.

NECROLOGIO

8 dicembre 1918. Mons. Giuseppe Stadler, arcivescovo di Serajevo.
11 L'Erno signor cardinale Giulio Tonti, Prefetto della S. Congregazione dei Religiosi.
17 Mons. Emilio Poletti, vescovo di Bagnorea.
23 Mons. Ludovico Gavotti, arcivescovo di Genova.
26 Mons. Antonio Lopez y Pelaez, arcivescovo di Tarragona.
27 Mons. Ulpiano Perez y Quiñones, vescovo di Riobamba.

Annus XI - Yol. XI 1 Februarii 1919 Num. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

nOMMENTAPJUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PF. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

ABBATIA ALTAHENSIS O, S. B. IN BAVARIA RESTITUITUR IN ABBATIAM SUI IURIS, COMMISSA EXSECUTIONE ABBATI PRIMATI O. S. B.

BENEDICTUS PP. XV

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. —- Exponendum curavit Nobis dilectus filius Williboldus Adam, abbas monasterii Mettenensis Congregationis Benedictinae Bavaricae, perantiquam abbatiam Altahae Inferioris, vulgo *Niedevaltaich* dictam, ad S. Mauritium, quondam iure meritoque fuisse inter celeberrima Germaniae coenobia adnumeratam. Et re quidem vera constat abbatiam enunciatam circa annum reparatae salutis DCCXXXI fuisse a Bavarorum Duce, auspice S. Firmino, conditam et filiis S. Benedicti traditam; eandemque per undecim fere saecula sanctitatis et litterarum laude nec non propagandae religionis studio mirandum in modum floruisse. Etenim ex hoc monasterio duo prodiere viri quos Ecclesia Dei sanctorum caelitum albo inseruit, videlicet S. Godehardus, episcopus Hildeshemensis, et S. Thiemo, episcopus et martyr, nec non complures alii sanctimonia vitae insignes viri; qui tamquam beati coluntur. Duo etiam archiepiscopi, octo episcopi et viginti quatuor aliorum monasteriorum abbates numerantur, qui olim in monasterio Altahae legiferi Benedicti Patris regulam professi sunt. Cognitum pariter est nonnullas alias abbatias coenobium Altánense condidisse, complures reformasse novoque auxisse splendore. Attamen, ineunte saeculo decimonono, anno Domini MDCCOIII, Altahensis abbatia, quae

per illud temporis adhuc quinquaginta tres sacerdotes inter suos monachos professos recensebat, per nefas a civili gubernio vi oppressa est. Verum cum, nostra aetate, rebus in melius, Deo favente, mutatis, spes effulgeat hoc insigne monasterium in integrum restituendi atque adsit occasio acquirendi magnam partem tam aedium quam fundorum olim ad ipsam abbatiam pertinentium, enixas Nobis idem Mettenensis abbatiae abbas humiliter preces adhibuit, ut memoratam antiquam abbatiam in integrum restituere dignemur. Nos autem, quibus nihil antiquius est quam ut vetusta et gloriosa Catholicae religionis monumenta ad pristinum decus revocentur, optatis his ultro libenterque annuentes, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi praepositis pro Religiosorum negotiis pertractandis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, tibi, dilecte fili, qui uti Abbas Primas universam Benedictinam Familiam moderaris, committimus: I. Ut, pro tuo arbitrio et conscientia, abbatiam Altahensem Ordinis S. Benedicti, cum omnibus iuribus ac privilegiis olim illi concessis, restituas, eamque tamquam sui iuris abbatiam Congregationi Benedictinae Bavaricae unias, nec non privilegiorum et favorum huic Congregationi concessorum participem facias. - II. Praecipias, ut sic restituta Altahensis abbatia administretur a Priori Conventuali, quem ex suis monachis abbas coenobii Mettenensis nominabit, usquedum nova familia monastica in restituta abbatia ita creverit, ut proprius iam abbas constitui possit. Cum vero regimen Congregationis iudicaverit omnia ad constituendum abbatem requisita adesse, tunc iubeas, ut Congregationis Bavaricae Benedictinae Praeses, re cum civili gubernio Bavariae composita, Capitulum Altánense ad canonicam abbatis electionem convocet, electioni ad normam Ordinis-Constitutionum praesideat, electumque Sanctae huic Sedi confirmandum praesentet. - III. Denique concedas abbati Mettenensi ut quos aptos iudicaverit ex propriae abbatiae Mettenensis monachis et conversis ad efformandam primam restitutae abbatiae familiam Altaham mittat. - Verum permittas, ut religiosis sic missis, quinquennio elapso, liberum sit vel Altahae, annuente abbate Mettenensi et Priore Conventuali Arianensi, stabilitatem suam firmare, vel ad proprium Mettenense coenobium, si malint, redire. Haec concedimus, edicimus, mandamus, non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x decembris MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto,

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD IOSEPHUM S. R. E. CARD. PRISCO, ARCHIEP. NEAPOLITANUM, CETEROSQUE CAMPANIAE ORDINARIOS, GRATIAS AGENS DE COMMUNIBUS OBSEQUENTISSIMIS LITTERIS, OCCASIONE PROXIMI CONVENTUS ANNUI REVERENTER DATIS.

Dilecte fili noster ac venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Imaginem vestrae in Nos {.ietatis non mediocri cum iucunditate perspeximus in litteris, quas proxime, Neapoli congregati, communiter ad Nos dedistis. Detulerunt eae quippe officia vestra, in primisque grati animi significationes ob promulgatum Codicem et proposita curandi ut in Campaniae dioecesibus latae leges executioni mandentur. Quantus ager ad excolendum; quam *fructuosi vobis labores!* Latissime enim, ut bene nostis, patet Codicis disciplina, cum et clericos afficiat et laicos, et utrosque ad omne officii munus studeat conformare. Omnino quae sit conditio dioecesium vestrarum, quid in unaquaque earum evellendum destruendumque sit, quid aedificandum et plantandum vos videtis. Sed quidquid hac in re aggreditur, id docendo, hortando, praecipiendo sequendum maxime est, id summa ope conandum, ut catholici omnes Christum induant et in actione vitae libere prae se ferant: ut Ecclesiam matrem non verbum tantum neque lingua diligant, sed, opere et veritate: ut Apostolicae Sedi ita adhaereant, ut eius iussa faciant et iura animose tueantur. Haec enim nisi fundamenta ponantur, vix quicquam proderunt cetera. Opportune admodum mentio a vobis facta est sanctarum Campaniae Praesulum. Pertinet ad vos non solum eorum gloriae haereditas, sed etiam factorum imitatio. Iidemque, quorum perpetua cura ea fuit, ut disciplinae custodia Christus in omnibus viveret, videntur exemplo suo vos in proposito sancto confirmare et ad ea hortari, quae Nos scribenda ad vos putavimus amore magis impulsi, quam quod arbitraremur vos monitis indigere Nostris.

De communibus officiis gratias vobis agimus ex animo, Nostraeque testem benevolentiae ac caelestium auspicem munerum apostolicam benedictionem vobis omnibus, dilecte fili Noster ac venerabiles fratres, clero ac populo unicuique vestrum tradito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvi decembris MCMXVIII, Ponficatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. P. D. ARTHURUM HINSLEY, ANTISTITEM DOM. PONT., URBANI ANGLORUM COLLEGII MODERATOREM, SAECULO EXEUNTE A COLLEGIO RESTITUTO.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Pietatem et fidem, quae summa semper fuit, istius Collegii, cui praesides, erga hanc beati Petri Cathedram, egregie tu quidem nuper testabaris, tuo et alumnorum nomine, ob exactum saeculum a Collegio restituta. Eiusmodi Nos testimonium libentissime, ut ipse intelligis, complexi sumus; gaudemusque causam Nobis dari profitendae eius, qua vestrum Institutum vicissim prosequimur, peculiaris caritatis. Ac digna sane est quae a Nobis magnopere diligatur ista virtutum studiorumque optimorum sedes, quam, non solum ut Gregorii XIII auctoritate est condita, sed etiam ut, post illam rerum omnium conversionem, Pii VII providentia revixit, nemo ignorat laetos uberesque fructus Ecclesiae Aiiglicae peperisse. Etenim superiori tempore immemorabiles inde profecti sunt qui, mentibus animisque rite ad sacra munera conformati, in Angliae Missionibus utilissime elaborarunt. Ex iisque non pauci eo clariorem invenerunt apostolatus laudem quod avitae fidei veritatem profuso sanguine asseruerunt. Posteriori autem memoria qui in eadem ista disciplina educati erant, vel sacerdotes complures vel etiam sacrorum antistites, quum praeclaro fuerunt emolumento suis popularibus catholicis, tum ad dissidentium parandum promovendumque reditum, quem coeptum fieri laetamur, in maternum Ecclesiae Romanae sinum, non est dubium quin multum adhuc valuerint. Iam vero dolendum est quod immensa Europaei belli calamitas plagam huic Instituto inflixit nimis gravem, hinc extenuatp alumnorum numero, illinc ádauctis rei familiaris angustiis. Nos quidem eius necessitati pro viribus opitulantes, ad sarciendam Collegii fabricam, quantum modicae sinunt facultates Apostolicae Sedis, conferre parati sumus. Sed multo amplius Collegii rationes, ut stabilitatem habeant, requirere videntur, in primisque adyoeatam desiderare catholicorum ex Anglia largitatem. Certe optabile est ut qui bonis fortunisque abundant, ii maiorum imitati munificentiam, de suo quisque istuc destinent quantum satis est ad suppeditandos singulis alumnis studiorum sumptus. Verum praecipue commendatam rem volumus operae et navitati Episcoporum: quibus profecto, utpote ante alios Apostolicae huic Sedi maxime devinctis ac deditis, convenit prae ceteris

esse curae, ut urbanum Ecclesiae Anglicae Seminarium non modo ne, opportuna destitutum ope, languendo deficiat, sed magis magisque confirmatum vigeat et floreat. Nam, ut omittantur quae ad eruditionem et disciplinam pertinent, - etsi enim sancte docteque domi possunt alumni sacrorum institui, multo maiora tamen adiumenta pietatis et doctrinae in hac Urbe catholici nominis capite eis suppetere planum est, - illud dumtaxat memoramus quod apud homines Ecclesiae matris perstudiosos maximum pondus habere debet: ad astringendos vel arctius christianas gentes cum beati Petri Cathedra, tamquam cum centro catholicae unitatis, praeclarum inesse vinculum in iis quae Romae pro una quaque natione patent domus sacrae iuventuti educandae, ubi optimae spei adolescentes, sub oculis Pontificis maximi, apud sacratos principum Apostolorum cineres, inter augustissima christianae vetustatis monumenta, sacris initientur, et quaesitum de ipso fonte spiritum Romanae Fidei, quo se in disciplinae cursu penitus imbimberint, eundem in suos cives deinceps effundant. Itaque sperare licet fore ut, Angliae Episcopis adnitentibus, istud Collegium ex hac incommoda condicione quamprimum emergat, quin etiam feliciter amplificetur. Haec autem spes confirmatur eo quod is nunc est Collegii Cardinalis patronus qui, religionis et ingenii laude, non minus Ecclesiae senatum quam Anglorum genus illustrat. Accedit ut communia tempora, quae ad pacem inclinant, ipsi quoque Instituto vestro auspicium afferant rerum meliorum. Ac caelestium munerum conciliatrix eademque testis paternae benevolentiae Nostrae sit apostolica benedictio quam tibi, dilecte fili, alumnisque tuis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, in Epiphania Domini anno MCMXIX, Pontificatus Nostri quinto.

BENEDICTUS PP. XV

Iii

AD R. P. D. FRANCISCUM XAVERIUM EPISCOPUM TARBIENSEM ET LOURDENSEM DE SACRIS SOLEMNIBUS PERAGENDIS IN MEMORIAM APPARITIONIS B. M. V. IMMACULATAE.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quum annus compleretur sexagesimus ex quo Immaculata Virgo Mater istic conspiciendam se obtulerat, scimus in optatis tibi fuisse, ad faustum

eventum commemorandum, sacras toto anno agitare laetitias, nisi tanta belli calamitas obsisteret. Nunc vero cum, Dei benignitate ac numine, arma tandem conquiescunt, consentaneum videtur ut proximum Apparitionis festum peculiaribus sollemnibus celebratis. Nam hoc annorum spatio quot quantaque ad Lourdensem Specum facta sunt mirabilia, cum affecta desperatis morbis corpora sanitatem ex improviso reciperent, cum aversis a religione animis subita fidei lux illaberetur, cum innumerabiles inde, si non imploratae valetudinis compotes, tamen paratissimi divinae obsequi voluntati redirent. De omni hac beneficiorum copia Virgini beatissimae, cuius apud Deum patrocinio sunt tribuenda, ingentes grates persolvere officium est: quibus beneficiis illud ipsum annumerari debet quod, positis armis, reconciliandae pacis mundo spes illuxit, cum eadem et *Principem pacis* Iesum Dominum ediderit, et humani generis mater sit benignissima. Hanc vero ob causam amplius instandum est apud divinam clementiam, ut ea pax constituatur quam optimus quisque exspectat, quae scilicet, iustitia et aequitate comite, vincula inter universos populos confirmet christianae caritatis. Quod cum de praesentissima Mariae ope ac suffragio Nobis spondeamus, quas ubique supplicationes nuper indiximus, eas maxime in aedibus marianis celeberrimis, quo in numero Lourdensis eminet, haberi gratum est. Quare sacra sollemnia, quae istic propediem fient, vehementer Nobis intelligis probari. Atque ad eorum augendum splendorem ac fructum, de spirituali Ecclesiae thesauro, cuius apud Nos dispensatio est, omnibus qui rite confessi et sanctissima Eucharistia refecti Lourdensem Aedem adierint *Indulgentiam Plenariam* non solum die xi februarii proximi, sed etiam singulis diebus anniversariis ceterarum Apparitionum Virginis Immaculatae hoc anno redeuntibus, lucrandam concedimus; pari Indulgentiae munere eisdem condicionibus fruantur volumus quicumque earum sollemnium peregrinationum ad Lourdensem Basilicam participes erunt quae hoc vertente anno, ut scribis, suscipientur. Ita ad pedes divinae Matris in ista benignitatis eius nobilissima sede Nos quoque vobiscum vel in agendis gratiis vel in precibus adhibendis, populi christiani causa, praesentes animo adesse videbimur. Tuae vero pietatis et observantiae erga Nos officia paterna benevolentia rependentes, caelestium auspicem munerum tibi, venerabilis frater, tuoque clero ac populo apostolicam ' benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx ianuarii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACKA. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

DE CLERICIS IN CERTAS QUASDAM REGIONES DEMIGRANTIBUS

Magni semper negotii fuit clericorum receptio ex dissitis vel transmarinis locis provenientium: talibus in adiunctis deceptiones et fraudes facile occurrant, easque detegere in tanta locorum distantia ac sermonum diversitate diutini laboris est ac difficile. Unde Alexander III in consultatione ad Episcopum Genomanensem, *statuta Patrum veterum*[1] renovans, de clericis in remotis regionibus ordinatis, itemque de tr-ansmarinis statuit « ut ad minus quinque Episcoporum super ordinatione « sua testimonio muniantur ». Quae lex, relata in Decretalibus, tit. 22, lib. I, ius commune per plura saecula constituit.

Nostra autem aetate, itineribus trans Oceanum communioribus et frequentioribus factis, novae leges pro clericorum ex Europa ad ea loca migrantium latae sunt, et ultima vice per decretum *Ethnographica studia,* quibus plura iuxta temporis adiuncta fuerunt disposita ; quae ubi accurate observata fuere, valde in animarum bonum profuisse exploratum est.

Attamen, interea temporis, experientia docuit aliquid in hac re ulterius addi oportere aliaque temperari, ut salutarium priorum decretorum finis plenius ac facilius attingi queat.

Accessit publicatio Codicis canonici iuris, cui, quantum fas erat, coordinan oportebat peculiaris haec lex de clericis trans Oceanum migrantibus.

Habita idcirco ratione votorum plurium Americae Antistitum, perpensisque quae a Nuntiis et Apostolicis Delegatis relata fuerunt, Emi S. huius Congregationis Patres, postquam de mandato SSmi D. N. Benedicti XV omnia diligenti examini subiecere, haec statuenda censuerunt.

[1] **Conciliorum scilicet Carthaginensis I, Chalcedonensis et Antiocheni, nec non et S. Augustini (cfr. *Decr. Gratiani,* dist. I, cap. V).**

CAPUT I.

Integra lege Sacrarum Congregationum de Propaganda Fide et pro negotiis Orientalis Ritus circa sacerdotum huius ritus migrationem, quoad alios haec in posterum observanda erunt:

1. Pro sacerdotibus ad longum vel indefinitum tempus aut in perpetuum ex Europa vel ex Mediterranei oris ad Americam vel ad insulas Philippinas migraturis, fas esto Episcopis, non vero Vicariis Generalibus aut Capitularibus, litteras discessoriales concedere, hisce tamen servatis conditionibus:

a) ut agatur de sacerdotibus cleri saecularis ex canonico titulo sibi propriis ;

b) ut hi post ordinationem suam saltem per aliquot annos dioecesi deservierint ;

c) et intra hoc tempus, sicut antea in Seminario, intemeratae vitae certum argumentum praestiterint, et sufficienti scientia sint instructi, adeo ut solidam spem praebeant aedificandi verbo et exemplo populos ad quos transire postulant, et sacerdotalem dignitatem numquam a se maculatura iri, prout iterato praecedentibus decretis Apostolica Sedes praescripsit;

d) dummodo ad migrandum iustam habeant causam, e. g. desiderium se addicendi spirituali adsistentiae suorum concivium vel aliorum illic commorantium, necessitatem valetudinis curandae, vel aliud simile motivum, coherenter ad ea quae canon 116 Codicis in casu excardinationis requirit;

e) sub lege, *quae sub gravi ab utroque Ordinario servanda èrit*> ut Episcopus dimittens, antequam licentiam ac discessoriales litteras concedat, directe pertractet cum Episcopo *ad quem,* illumque de sacerdotis aetate, vita, moribus, studiis et migrandi motivis doceat, ab eoque requirat, an dispositus sit ad illum acceptandum et ad aliquod ecclesiasticum ministerium eidem tribuendum, quod in simplici missae celebratione consistere non debet, quoties migrans sacerdos aetate iuvenili et integris viribus polleat; neque licentiam et discessoriales litteras sacerdoti antea concedat quam responsionem ad utrumque affirmativam assecutus sit;

/) Episcopus autem *ad quem* exhibitum sacerdotem non acceptet, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae id exigat vel suadeat, aut alia iusta et rationabilis causa intercedat.

2. Discessoriales litterae non communi sed specifica forma conficiendae erunt, hoc est, exprimere debebunt consensum sive tempora-

neum, sive perpetuum vel ad beneplacitum Episcopi dimittentis, acceptationem Episcopi *ad quem,* et notas sacerdotis individuas, aetatis scilicet, originis, aliasque, quibus persona describatur, adeo ut nemo circa eius *identitatem* decipi possit: aliter autem confectae litterae nihil valeant et nullae habeantur.

3. Firma manet praescriptio in decreto *Ethnograftca studia* statuta, qua italiae Ordinarii relevantur ab onere dimissoriales litteras, de quibus in superiori articulo sermo est, conficiendi; sed peractis iis quae* sub n. 1 statuta sunt, rem déférent ad Sacram hanc Congregationem, quae licentiam scripto dabit cum utroque Ordinario communicandam.

4. Idem statuitur pro Episcopis Hispaniae et Lusitaniae, hac una differentia, quod onus licentiam concedendi attribuitur et reservatur Apostolicae Sedis apud eas nationes Legato.

5. Qui hisce litteris vel licentia carent, ad sacri ministerii exercitium admitti nequibunt: qui vero iis pollent, admittentur etiam in locis transitus, nisi peculiaris aliqua extraordinaria ratio obsistat, si ibidem infirmitatis aut alia iusta causa commorari parumper coacti fuerint.

6. Hisce servatis normis aliisque quae in tit. I, lib. II Codicis statutae sunt, sacerdotes ex Europae dioecesibus dimissi, in Americae et insularum Philippinarum dioecesibus, utroque Ordinario consentiente, incardinari etiam poterunt. ,

7. Sacerdotes ex Europae dioecesibus dimissi ex una in aliam Americae et insularum Philippinarum dioecesim transire poterunt, Episcopo *a quo* discedere desiderant et Episcopo ad! *quem* pergere optant consentientibus, servatis in substantialibus normis sub nn. I et II positis, et docto quamprimum Ordinario sacerdotis proprio, vel, si agatur de sacerdotibus Italis, Hispanis et Lusitanis, S. Sedis officio a quo [rima demigrandi licentia promanavit. Obligatio autem docendi Ordinarium sacerdotis proprium vel S. Sedis officium spectabit ad Episcopum qui sacerdotem in sua nova demigratione recipit.

8. Curae et sollicitudini Ordinariorum Americae et insularum Philippinarum enixe commendatur ut provideant quo emigrati sacerdotes in domibus privatis vel in diversoriis, sive publicis hospitiis, non commorentur, sed in aedibus ecclesiasticis ad rem instructis vel instruendis, aut penes aliquem parochum vel religiosos viros. Quod si absque legitima causa parere recusent, eos post factam monitionem peremptoriam a missae celebratione interdicant.

9. Religiosi, dum in sua religione perseverant, trans Oceanum ad alias suae religionis domus mitti a suis superioribus valebunt, hac una lege servata, super cuius observantia superiorum conscientia graviter

oneratur, ut agatur de religiosis qui sint intemeratae vitae, bonae exploratae que vocationis et studiis ecclesiasticis bene instructi; adeo ut retineri tuto possit, in bonum animarum et aedificationem fidelium eorum missionem esse cessuram.

10. Religiosi exclaustrati, pro tempore quo extra conventum morantur, et religiosi saecularizati eadem tenentur lege ac clerici saeculares.

CAPUT ¡I..

11. Clerici saeculares, qui ex Europa vel ex Mediterranei oris in Americam vel in insulas Philippinas ad breve tempus, *semestre* non excedens, pergere cupiunt, acceptatione non indigent Ordinarii illius loci, vel illorum locorum ad quae proficiscuntur, prout pro diuturna vel stabili commoratione requiritur.

\± Sed debent: N

a) iustam honestamve causam itineris suscipiendi habere, eamque Ordinario suo patefacere, ut discessorias litteras ab eo impetrare valeant;

b) muniri discessorialibus litteris Ordinarii sui, non in forma communi, sed in forma specifica, cohaerenter ad ea quae superiori num. 2 praescripta sunt, causa temporanei itineris et spatio temporis in indulto indicatis;

o) reportare S. Sedis beneplacitum, quod dandum erit vel ab hac S. Congregatione, vel ab Apostolicae Sedis Legatis, in locis ubi hi adsint; nisi urgens aliqua causa discessum absque mora exigat: quo in casu in litteris discessorialibus id erit exprimendum;

d) in quolibet casu instrui sufficienti pecuniae summa nedum pro itinere decenter suscipiendo, sed etiam pro regressu: ad quem finem Ordinarius cavere debet, ut summa ad revertendum necessaria deponatur penes aliquam nummulariam mensam, aut alio modo tuta sit, ne ulla reversioni obstet pecuniae difficultas. j

13. Religiosi exclaustrati, durante exclaustrationis tempore, et religiosi saecularizati hac ipsa lege tenentur.

14. Expirato spatio temporanei indulti, si quis ex infirmitate aut alia iusta vel necessaria causa redire non valeat, Ordinarius loci licentiam prorogare poterit, docto tamen statim Ordinario sacerdotis proprio et S. Sedis officio, a quo beneplacitum discessus datum fuit.

CAPUT III.

15. Leges de sacerdotibus migrantibus latae eos quoque attingant sacerdotes, qui, aut in itinere transmarino aut in exteris commorationis locis, Europa minime excepta, agricolis aliisque operariis demigrantibus

suum praestant ministerium, sive curam hanc sponte sua suscipiant, sive ad hoc assumantur officium ab aliquo ex iis *Operibus,* quae in migrantium commodum providenter hac nostra aetate instituta sunt.

16. Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant: qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidant; a. quibus poenis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione.

* * *

SSmus autem D. N. Benedictus PP. XV resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, easque publici iuris fieri iussit et ab omnibus ad quos spectat ad unguem ex conscientia servari, ceteris praescriptionibus quae in decreto *Etnografica studia* continentur cessantibus, et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex S. C. Consistoriali, die 30 decembris 1918.

j$| C. CARD. DB LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.* •

L. & S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

CIRCA DECRETUM *REDEUNTIBUS*
DECLARATIO

Avendo chiesto il Procuratore Generale dei Sacerdoti dei S. Cuore di Bétharram e quello dei Missionari della Salette, se nella parola *Ordinarius* contenuta nel decreto *Redeuntibus* fossero compresi i loro rispettivi Superiori Generali, e per l'indizione degli esercizi spirituali, e per l'assoluzione dalle irregolarità, e agli altri effetti di detto decreto; oppure se dovevano escludersi, secondo il significato canonico della parola *Ordinarius;* questa S. Congregazione, per mandato del Santo Padre, ha risposto iti ambedue i casi: *Ordinarium in casu, et ad effectum decreti « Redeuntibus » extendi, et comprehendere Superiorem Generalem praedictarum Congregationum.*

Dalla Segreteria della S. C. Concistoriale, il 20 gennaio 1919,

£g G. CARD. DE LAI, Vescovo di Sabina, *Segretario.*

L. B S.

f V. Sardi, Arciv. tit. di Cesarea, *Assessore.*

III

FORTALEXIENSIS ET CRATENSIS.

COMMUTATIONIS FINIUM

Quum de mandato SSmi Dñi Nostri Benedicti PP. XV, litteris diei 21 augusti 1917, R. P. D. Angelo H. Scapardini, archiepiscopo Damasceno, in Brasiliana Republica Apostolico Nuntio, commissum fuisset,, ut dirimere! difficultates exortas ob fines, non undequaque certos et in aliquibus locis minus opportunos, inter duas dioeceses Fortalexiensem et Gratensem; idem Apostolicus Nuntius, decreto suo diei 19 martii 1918,. harum dioecesum fines in hunc, qui sequitur, modum commutavit. Linea divisoria, quae ab ortu fiumiuis vulgo *Frussii* ad montem usque Serra de Ouro vocatum protenditur, sequetur divortium aquarum, quo paroeciae Maria Pereira, Gocheira, Jaguaribe Mirim, ad archidioecesim Fortalexiensem pertinentes, et paroeciae Iguatu et **leo,** ad dioecesim Cratensem pertinentes, ad invicem separantur.

SSmus autem Dnus Noster, in audientia diei 24 ianuarii 1919, rem ratam habuit et confirmavit.

G. CARD. DB LAI, Episc. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

IV

DESIGNATIO QUORUNDAM ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE A METROPOLITI»

Cum ex praescripto can. 1594, § 2, statutum sit ut « a causis in « prima instantia pertractatis coram Metropolita appellatio fiat ad loci « Ordinarium, quem ipse Metropolita, probante Sede Apostolica, semel « pro semper designaverit » ;

Emus Patriarcha Olyssiponensis designavit Ordinarium Eborensem.

Rmus Archiep. Messanensis Ordinarium Pactensem,

» » Turritanus, Ordinarium Algarensem.

» » Bituricensis, Ordinarium Lemovicensem.

» » Sancti Salvatoris in America Centrali, Ordinarium dioecesis Sanctae Annae.

» » Auxitanus, Ordinarium Tarbiensem et Lourdensem.

Rmus Archiep. Turonensis, Ordinarium Burdigalensem.
» » Mechoacanus, Ordinarium de Queretaro.
» » Sanctae Severinae, Ordinarium Rossanensem.
» » Algeriensis, Ordinarium Gonstantiniensem.
» » Varsaviensis, Ordinarium Lublinensem.

SSmus D. N. Benedictus PP. XV, audita relatione Emi Secretarii S. G. Consistorialis, designationes ut supra factas approbare dignatus est.

V

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, SSmus D. N. Benedictus XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

13 decembris 1918. — Archiepiscopali ecclesiae Rossanensi praefecit R. P. D. Ioannem Scotti, hactenus episcopum Cariatensem.

23 decembris. — Cathedrali ecclesiae Alexandrinae Statiellorum R. P. D. Iosue Signori, hactenus episcopum Fossanensem.

— Cathedrali ecclesiae Alatrinae R. D. Antonium Torrini, canonicum cathedralis ecclesiae Fesulanae et eiusdem dioecesis seminarii rectorem.

— Cathedralibus ecclesiis Calliensi et Pergulanae, invicem perpetuo canonice unitis, R. D. Augustum Curi, archidiaconum metropolitanae ecclesiae Firmanae.

7 ianuarii 1919. — Metropolitanae ecclesiae Burgensi R. P. D. Ioannem Benlloch y Vivó, hactenus episcopum Urgellensem.

16 ianuarii. — Cathedrali ecclesiae Fossanensi R. D. Quiricum Travaini, archipresbiterum loci vulgo « Trecate », in dioecesi Novariensi.

25 ianuarii. — Titulari episcopali ecclesiae Usulensi Rmum D. Iacobum Laminne, vicarium generalem Leodiensem, quem deputavit in Auxiliarem Episcopi Leodiensis.

VT •" •

NOMINATIONES

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt:

9 decembris 1918. — R. P. Ioannes Sodo, episcopus Asculan. Apul. *ét* Ceriniolensis, *Administrator Apostolicus dioecesis Troianae* ,

— Emus Alexius S. R. E. card. Ascalesi, archiepiscopus Beneventanus, *Administrator Apostolicus dioecesis Lucerinae.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

WRATISLAVIEN.

MISSAE PRO POPULO

Die 13 iulii 1918

SPECIES FACTI. - Praestat ad factispeciem huius causae cognoscendam, ipsum subiicere tenorem libelli Rmi Episcopi Vratislaviensis, quo, haud ita pridem, ad h. S. G. res delata est. Scribebat nimirum: « Saepe « sacerdotes illi dioecesis Wratislaviensis, qui vocantur *Curati* vel etiam *« Localistae,* tam praedecessori meo quam mihi dubia de obligatione « Missam pro populo applicandi exposuerunt, quae oriuntur ex indole « officii eorum; et licet ipsis communicata sint responsa a S. Sede alias « iam data, non omnino evanuerunt haec dubia, uti cognoscitur ex quae- « stionibus iterum iterumque nuper propositis. Accedit quod etiam instru- « ctiones in hac materia a variis Ordinariis datae et sententiae auctorum « non omnino concordare videantur. Hinc, tam ad applicationem nor- « marum vigentium clarius elucidandam, quam ad conscientiarum in re « tanti momenti tranquillitatem, valde proderit, si S. Congregatio ad « sequentes quaestiones respondere dignetur.

« Varia nimirum genera Curatorum exsistunt in hac dioecesi, quae « in vasto suo districtu per quatuor provincias extenso complectitur « regiones diversissimae conditionis, scilicet regiones omnino fere catho- « licas, regiones mixtae religionis et extensissimas regiones *diasporae* « (seu dispersionis, i.* e. ubi catholici veluti dispersi inter acatholicos «vivunt). Certum quidem est, in omnibus regionibus ad applicandam « Missam pro populo esse obligatos parochos parochiarum canonice ere- « ctarum. Certum quoque est, ab hac obligatione liberos esse curatos « illos, qui, in ipsa sede parochiae, inserviunt curae animarum vigore « officii vel beneficii sui curatialis, cui proprius districtus ex parochia « totaliter separatus non est assignatus. Aliae vero exsistunt curatiae, de « quarum obligatione dubia .noventur. De talibus haec breviter exponam.

« I. In regionibus diasporae, ubi catholici dispersi sunt inter acatho- « lieos multoties numerosiores, decursu temporis multae Curatiae sunt « erectae, quae omnino similes sunt Curatus in terris missionum. Non « sunt beneficia proprie dicta, sed *stationes* tantum erectae pro pasto- re ratione catholicorum in circumiacente diasporae parte singulis Cura-

« tiis assignata; ipsi curati sunt *ad nutum amovibiles*, licet curam primariam exerceant vi decreti ipsis ab Ordinario dati. Quaeritur an sint « ad applicandum pro populo obligati. Videtur negandum esse attentis «responsis a S. Sede datis tam pro terris missionum (S. C. de Prop. « Fide, 23 mart. 1863) quam etiam Episcopo Osnabrugensi uti Wovi- « cario apostolico illarum regionum, quae " Missiones Septentrionales „ «Germaniae nuncupantur.

« II. In aliis dioecesis meae partibus, ubi exsistunt parochiae pro- « prie sic dictae, ob necessitatem melius providendi curae animarum, « passim, pro parochianis a sede parochiali remotioribus, erectae .sunt « Curatiae pro certo determinato districtu, qui ex totali'parochiae nexu « *non est* pleno iure *separatus.* Curatus vel Localista, qui ad nutum «Episcopi amovibilis est, exercet curam primariam vi decreti ab Ordi- « nario ipsi dati. Estne obligatus ad applicandum pro populo? Negan- « dum esse videtur. Nam, principali districtu parochiali permanente « integro, parochus totius parochiae tenetur applicare pro toto grege « suo, in quo inclusi etiam sunt parochiani ad districtum filialem per- « tinentes, quorum Curatus, licet districtui separato inserviat, curam « primariam magis ex vi mandati Episcopi uti *cooperator parochi,* quam « ex muneris genuina indole habet implendam.

« III. Tertium exsistit genus Curatorum, quod est simile generi sub « numero II descripto, sed differt ab illo, quia districtus curatialis, quoad « administrationem temporalium et iura temporalibus adnexa, est omnino « separatus a districtu parochiali. Viget enim in Borussia lex civilis die « 2 iunii 1875 lata de administrandis bonis temporalibus " Communita- « tum ecclesiasticarum „, quae lex ab Episcopis cum praescientia S. Sedis « est tolerata et recepta; iuxta hanc legem pars districtus parochialis « separari potest ex nexu parochiae, ut fiat " communitas ecclesiastica „ « sui iuris, et ut incolae liberentur ab oneribus quoad temporalia et « amittant iura quoad temporalia, quibus antea iuncti erant districtui « parochiali. Talis separatio, tangens unice temporalia, non hunc habet « effectum, ut nova parochia oriatur, quippe quum illa lex civilis nihil « aliud ordinare vult quam administrationem bonorum temporalium et « iura et onera temporalibus annexa. Si talis " communitas ecclesiastica « curatialis „ per Episcopi documentum ratificatione Gubernii munitum « erigitur, Curatus auctorizatur ad gerendam curam primariam per « Decretum Ordinarii, sed Curatia non erigitur in titulum beneficii; «Curatus manet amovibilis ad nutum Episcopi. Tandem si decursu « temporis statio curati, postquam sufficientem dotationem acquisiverit, « potest erigi in beneficium parochiale, separatio totalis fit, ac etiam quoad

« spiritualia; tunc tandem curatus fit pastor gregis omnino proprius et « inamovibilis. Ex hisce rerum adiunctis saepe oritur quaestio, utrum «Curatus amovibilis districtus curatialis *quoad temporalia* omnino sepa- « rati, quia vi decreti Ordinarii gerit curam primariam, licet quoad spi- ritualia districtus suus nondum sit definitive separatus a districtu «parochiali, tamen obligatus sit ad applicandum pro populo sui distri- « ctus, an parochus ecclesiae principalis applicans pro populo totius « parochiae intentione sua complectatur etiam districtum curatialem, « donec evehatur curatia in parochiam etiam quoad spiritualia omnino « separatam ».

ANIMADVERSIONES. - Una est SS. Congregationum Romanarum et Doctorum sententia, obligationis Missam pro populo applicandi causam sitam esse omnino in *pastorali officio* (cfr. S. C. C. in Caietan., 16 dec. 1807; Romana, 9 iul. 1881 et plurima ibi allegata), hinc passim illud usurpatur quemquam hac lege *non teneri ratione beneficii sed officii, non ratione bonorum seu redituum, sed muneris.* Quamobrem certum est hac lege obligari non solum parochos, sed etiam Vicarios etsi curam actualem tantum exercentes, vel etiam *amovibiles* ad nutum, aut ad breve tempus deputatos, quamvis regularis sit paroecia aut parochus, quamvis reditus nulli sint aut admodum tenues ut ad congruam non sufficiant (Bened. XIV, Const; *Cum semper oblatas*, § 4-5). Unum igitur requiritur et sufficit ad hanc obligationem imponendam, hoc est, quod quis sit *proprius pastor determinati gregis,* ita ut illi « cura animarum commissa » stricto sensu, ad normam Conc. Trid., c. I, sess. XXIII, *De ref.,* dici valeat. Videlicet (ut recte exponitur in dissert. cl. Tarquini, pro causa in Congr. de Prop. Fide, 23 mart. 1863, synoptice relata in *Act. S. Sedis,* I, 390 ss.) secundum divinam Ecclesiae institutionem *officium pastoris* sua integritate seu plenitudine, residet in solis Episcopis: proindeque soli Episcopi iure divino *absoluto* tenentur ad sacrificium pro populis offerendum: unde ab ipsomet Apostolo *{Hebr.,* V, 1 et VIII, 3) *omnis pontifex,* scilicet omnis princeps sacerdotum, non omnis sacerdos nominatur... Ceteri autem, qui curam animarum habent, praeter Episcopos, non habent velut proprium sibique inhaerens pastoris officium ex divino iure, sed illud exercent ex ecclesiastica delegatione et institutione, intra quosdam limites. Quamobrem quum de his, parochis ceterisque, dicitur incumbere illis onus *ex divino praecepto* applicandi Missam pro populo, intelligendum est de iure divino, non absoluto sed *hypothetico (oír.* etiam Bened. XIV, Const. *Cum semper,* et Pii IX, *Amantissimi,* in quibus non dicitur absolute ex divino praecepto mandari, sed de divino praecepto

descenderé). Hypothesis autem est triplex, quod nempe: I. Ecclesia commiserit aliqua ratione aliis ab Episcopis animarum curam; II. Quod illis commiserit, non modo mere facultativo, sed quo obligatio induceretur; III. Quod commiserit hanc animarum curam sine ea limitatione, quae excludat obligationem Missam applicandi pro populo. Quae tres hypotheses quum verificentur dumtaxat ex ecclesiastico iure et ordinatione, in potestate est Ecclesiae quemadmodum illas moderari vel auferre, ita etiam super oneris seu officii consequenti applicatione dispensare, aut eam temperare, quod reapse, urgente rationabili causa facere non recusat. Hinc etiam constat obligationem Missae pro populo, pari quodam gressu procedere, cum ecclesiastici territorii in *distinctas* partes distributione, per quam definite hypotheses indicatae ad effectum deducuntur: quamobrem, quum Codex iuris canonici, nuper eam quoque indixerit divisionem, qua territorius vicariatus apostolici et praefecturae apostolicae in partes distribueretur, « quasi-paroecias » appellandas (can. 216, § 3), consequens fuit ad harum quoque *peculiares* rectores, seu quasi-parochos, obligationem Missae pro populo applicandae, uno contextu cum parochis (can. 466, § 1), extendere, quamquam, pro locorum rerumque adiunctis, valde temperatam. Notum siquidem est in disciplina canonica quae Codicem antecessit Missionarios omnes, quamquam animarum curam in certis aliquibus locis assumerent (dummodo non gererent vices legitimorum pastorum in parochiis canonice iam erectis), semper *simplices Verbi Dei praecones, nulloque modo parochos* habitos esse (S. C. Prop. Pid., 28 ian. 1778) ac propterea non magis Missae pro populo applicandae obligatos, quam sacerdotes qui ab Episcopis exorati ad aliquam paroeciam derelictam ex charitate accederent, ut ibi sacramenta administrent (ead. S. C, 23 mart. 1863, 18 aug. 1866; *8* nov. 1882).

Hisce praemissis, dubium non videtur quin assentiendum sit sententiae Episcopi, quoad curatos secundi et tertii generis in factispecie recensiti: agitur nimirum in utroque de cura animarum in *parte territorii* iam constitutae paroeciae gerenda ex praecepto Episcopi, ut utilius bono fidelium consulatur: quae tamen pars non est dismembrata, sed suum retinet nexum cum reliquo paroeciae territorio, ita ut populus hisce Curatis ab Ordinariis speciali ratione commissus non desinat pertinere ad parochum totius paroeciae: sacerdos itaque deputatus ab Ordinario, quamvis in sibi commisso territorio suppleat in omnibus parochi vicem, non desinit esse *vicarius cooperator* parochi, ad tramites can. 476,- § 2, et ideo ad Missam pro populo applicandam non tenetur, iuxta § 6 eiusdem canonis (cfr. etiam c. 475, § 2), sed huiusmodi onus,

prout ante constitutionem huiusce «Curatiae», ita **post** ipsam constitutam, parochum, cuius est totus populus, gravat. Unica differentia quae tertium ab altero genere discernit, videlicet independentia a parocho in bonorum administratione, rem non immutat, quia tangit tantummodo temporalia, unde, ut a limine vidimus, nihil conficitur ad Missam pro populo quod attinet; hac etiam posita independentia, non efficitur profecto ut *proprius* habeatur *pastor,* distinctus omnino a pastore huius paroeciae, utque Curatia illi *in titulum* conferatur (cfr. c. 451, § **1);** quae omnia necessaria sunt ne *duabus* personis propter *unam* paroeciam orius huiuscemodi imponatur.

Difficultatem e contrario, nec modicam, praebet quod Episcopus sentit de primo genere Curatorum in factispecie posito. Agitur 'nimirum de his sacerdotibus qui curam animarum gerunt pro catholicis qui dispersi vivunt inter acatholicos, intra limites *stationis* sibi assignatae, quasi eodem modo quo Missionarii curam gerunt fidelium dispersorum inter infideles intra limites « quasi-paroeciae » sibi concreditae. Ex responsis antea datis pro Jocis Missionum deducit Episcopus hos Curatos nullatenus teneri ad Missam pro populo applicandam; verumtamen, innovato hodie per Codicem iure, summum quod inde deduci posset, id foret, hosce Curatos non teneri ad Missam pro populo applicandam nisi in nonnullis solemnitatibus recensitis in can. 806 (cfr. can. 466, § 1). At enim, quod gravius est, *stationes* hae non videntur adaequandae quasi-paroeciis, sed esse potius verae et propriae paroeciae, daret id ex can. 216, § 3: stationes enim in casu, non sunt partes territorii alicuius praefecturae seu vicariatus apostolici, sed definite dioecesis Wratislaviensis, in qua iuxta cit. can. non capit nomen et conceptus quasi-paroeciarum: ergo non restat nisi quod eaedem partes, quamvis nomine donentur *stationum,* sint verae paroeciae, quatenus nimirum repraesentant « partem distinctam territorii » cui assignata est « sua peculiaris « ecclesia, cum populo determinato, suusque peculiaris rector, tanquam «proprius eiusdem pastor, pro animarum cura ». Non enim dicitur populum harum stationum, quamvis inter acatholicos dispersum, pertinere adhuc ad aliquam praeterea paroeciam finitimam, aut alium habere proprium pastorem praeter rectorem stationum, in quem alium iuxta iam disceptata refundi posset hoc onus. Neque obiici potest quod huiusmodi stationes in beneficium erectae non sint, aut quod constitutam non habeant dotem: omisso enim quod ex actis nihil tale habetur, id quoque non obstaret, quominus paroeciae essent dicendae, ad tramitem can. 1415, § 3. Quod si in can. 710 recoluntur loca « ubi paroeciae aut « quasi-paroeciae nondum sint constitutae », non ideo datur intelligi

huiusmodi locis accenseridebere *distinctas* «stationes» iam erectas et constitutas; sed traduci id debet tantummodo ad can. 216, § 2, ubi divisio Vicariatus in quasi-paroecias cum ea limitatione iubetur: *ubi commode fieri possit.*

Si itaque « stationes », de quibus in prima specie, veris et propriis paroeciis accenseri debent, nullum dubium superest quin eorum rectores seu curati obligatione applicandae Missae teneantur et quidem omnino ad normam can. 339: quod tamen non obest, quominus ab Ecclesiae materna benignitate, urgente rationabili causa, onus illud possit temperari, ut a limine praenotatum est: sed de hisce agendum in casibus particularibus, in quibus a singulis recurrendum erit; dum in praesenti de generali norma constituenda agitur.

RESOLUTIO. - In plenario conventu diei 13 iulii 1918 Emi Patres S. Congregationis Concilii, perpensis omnibus, rescribendum super propositas preces censuere: « Curatos primi generis *teneri:* curatos alterius et tertii generis *non teneri* ».

Facta autem insequenti die SSmo Dno Nostro relatione per infrascriptum S. C. Secretarium, Sanctitas Sua datam resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

DECRETUM DE MISSIONARIIS E MILITIA REDEUNTIBUS

La Sacra Congregazione Concistoriale ha emanato un opportunissimo decreto ***De** clericis e militia redeuntibus* in data 25 ottobre 1918, che è stato pubblicato nel n. 12 degli *Acta Apostolicae Sedis* del decorso anno (vol. X, pag. 481).

Ora questa S. Congregazione di Propaganda, estendendo le disposizioni del citato decreto agli Istituti, Seminari e Collegi di missioni, soggetti alla sua giurisdizione, stabilisce che i missionari e gli alunni dei medesimi debbano presentarsi entro il termine fissato di dieci giorni, in luogo dell'Ordinario, al rispettivo Superiore, anche nel caso che i missionari e gli alunni non siano stati escardinati dalla propria Diocesi.

Ordina inoltre che nessuno dei missionari o alunni ritornati dalia milizia possa essere rinviato nei luoghi di missione, senza che prima abbia compiuto l'ingiunto corso di esercizi spirituali e tutte le altre prescrizioni del citato decreto della S. Congregazione Concistoriale.

Roma, 15 gennaio 1919.

G. M. CARD, VAN ROSSUM, *Prefetto.*

L. © S.

C. Laurenti, *Segretario.*

II

DESIGNATIO ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE IUXTA CAN. 285

Iuxta can. 285 Codicis Iuris Canonici pro appellatione:

16 iuliï 1918. — Rmus Archiepiscopus Verapolitanus designavit Ordinarium Quilonensem.

8 novembris. — Rmus Archiepiscopus Columbensis, Ordinarium Ianuensem.

Quas designationes SSmus D. N. Benedictus Pp. XV diebus et anno supradictis approbare dignatus est.

SACKA CONGREGATIO RITUUM

I

PINNEN.

DECRETUM CANONIZATIONIS BEATI GABRIELIS A VIRGINE PERDOLENTE, CLERICI PROFESSI E CONGREGATIONE CLERICORUM REGULARIUM EXCALCEATORUM A SANCTISSIMA CRUCE ET PASSIONE D. N. I. C.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam a Sede Apostólica eidem Beato venerationem, tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem?

Beatificationis et Canonizationis causas cominus inspicienti earumque naturam intimius perscrutanti compertum illud statim fit atque manifestum, quod scilicet causas ipsas peculiari suae providentiae ordine

regat et moderetur Deus. id, quod passim cernere est in cunctis, quae apud sacram rituum Congregationem actae sunt et aguntur, causis, in ista, qua de agitur, mirum in modum elucescit.

Equidem adolescentibus, qui praesertim in studiis operam ponunt, quibus tot insidiae struuntur raalaeque artes, magno spectaculo est Beatus Gabriel a Virgine Perdolente. Is namque quum aetate et gratia floreret, vixdum mundi expertus est vanitatem, cito pedem a periculo referre fuit sollicitus illibataeque virtutis semina custodiendi percupidus, decem et octo annos natus, in Congregationem a Passione Domini Nostri Iesu Christi, divina operante gratia, se recepit, ibique obscuram vitam duxit eamque perbrevem. Quarto enim et vicesimo a nativitate anno nondum expleto, eidem, iam caelo maturo, exitium cum patria commutare perquam feliciter obtigit.

At, quo magis, religionem postquam fuit ingressus, perpetua oblivione a mundo derelinqui penitusque obliteran in deliciis ille habuit, eo magis, ab eius obitu tricennio elapso, penes Christifidelium multitudinem notus fieri coepit maximeque clarescere. Etenim, quum anno millesimo octingentesimo nonagésimo secundo ipsius Famuli Dei sacrarum exuviarum canonica recognitio fieret, inopinato quasi et praeter opinionem hac illae fama personuit innumerorum fere prodigiorum, quae, illo deprecatore, divinitus patrata esse ferebantur. Hac veluti Dei voce Servum suum fidelem superius ascendere invitantis commotos non minus quam tacite admonitos seipsos, uti par erat, exhibuerunt sancti Pauli a Cruce Filii benemeritissimi; ratique idcirco in comparandis dilecto sodali suo beatorum caelitum honoribus non esse praeterea immorandum, impigre alacriterque, quavis cunctatione posita, animum mentemque operi adiecerunt.

Coeptis autem tam prosper tamque celer respondit exitus, ut, brevi admodum duodecim annorum spatio, longum sane atque salebrosum iter, quo ratio iudicialis ordinis continetur atque disciplina, emensi fuerint illi planeque confecerint; quandoquidem per Signaturam, quam vocant, *Commissionis,* initium sui quum sumpserit haec Beatificationis causa anno millesimo octingentesimo nonagésimo sexto, iuridica causae ipsius absoluta iam erat cognitio anno millesimo nongentesimo octavo, eiusdemque anni prostremo mensis maii die, qui in Dominicam tum incidit infra octavam Ascensionis, sueto solemnique ritu in patriarchali Basilica Vaticana prima celebrata fuerint Beatificationis solemnia.

Quae, ut consentaneum prorsus erat, sine spirituali christiani populi fructu esse nequiverunt. Ubi primum siquidem licuit, Aposto-

licae Sedis nomine et auctoritate, erga Dei Famulum Gabrielem a Virgine Perdolente publicum et ecclesiasticum exercere cultum, apta valde valdeque propitia sese occasio obtulit, ut eiusdem novensilis Beati innotesceret vita, ad imitandum proponerentur heroicae ipsius virtutes, enarrarentur miracula aliaque id genus extraordinaria dona, quibus ex rebus nutrimentum suum atque pabulum sumere Christifidelium devotionem, nemo unus ignorat. Quodque est peculiari notatione dignum, aliquot vix abierant menses, ex quibus, post peractum in Basilica Vaticana Beatificationis ritum, variis in locis de apostolico privilegio fieri coeperant triduana solemnia, cum, quantum acceptum sibi esse novensilis Beati exoratum patrocinium, Ipse non obscure portendere dignatus est Deus, novis editis de caelo signis atque prodigiis. Quapropter petita prius et obtenta reassumptione, ut vocant, causae Canonizationis, e variis, quae circumferebantur, portentis, binae selectae sunt sanationes, easque eiusmodi fuisse inventas, quae veri prodigii nomen, dignitatem atque honorem promereantur, apostolicum docet, quod non ita pridem super miraculis editum est Decretum; ideoque quod pro solemni impetranda Canonizatione Beati Gabrielis a Virgine Perdolente, praescripto legis requirebatur, hoc rite adimpletum fuisse constat.

Itaque huc deductus quum sit sermo, unde profectus est, illuc debet reverti. Nam, quum aliam vix invenire sit causam, quae adeo secundo et expedito actorum cursu optatam supremamque assecuta fuerit Canonizationis metam, quumque id e sapienti providoque Dei consilio sit repetendum, suspicere oportet ac demisse venerari Dei voluntatem Eiusque iudicio causae bonitatem atque praestantiam itidem agnoscere fas est atque profiteri, quemadmodum facto suo agnovit et professus est sacer hic Ordo. In generali namque Congregatione, quae, die tertia superioris mensis decembris, coram Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XV habita est, proposito per Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, causae Relatorem dubio: - *An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam a Sede Apostolica Beato Gabrieli a Virgine Perdolente venerationem, tuto procedi possit ad solemnen ipsius Canonizationem?* - Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores *tuto* procedi posse unanimi responderunt suffragatione. Nihilominus Sanctissimus Dominus Noster supremam sententiam Suam de more prorogandam duxit, cunctos, qui aderant, interea monens, superni luminis auxilium in tam gravi negotio, communibus fervidisque fusis Deo precibus, esse poscendum.

Hodierno autem adveniente die, quo suavissimum recolitur Epiphaniae Domini misterium, religiosissime litato eucharistico sacrificio, ad

Vaticanas Aedes advocari iussit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Gabrielis a Virgine Per dolente Canonizationem.*

Hoc Decretum in vulgus edi, in acta sacrae rituum Congregationis inseri litterasque apostolicas sub Plumbo de Canonizationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis, expediri mandavit octavo idus ianuarii anno MCMXIX.

£B A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. % S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

ROMANA

DECRETUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI ANNAE MARIAE TAIG-I, MATRISFAMILIAS, E TERTIO ORDINE SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur?

Sat superque est enunciare apostolicum hoc, de quo agitur, Decretum ad Ancillam Dei pertinere Annam Mariam Táigi, quae, quoad inter homines est diversata, uxor et materfamilias fuit, ut quanta exstet emlneatque praenobilis causae huius praestantia atque dignitas, probe intek ligat quisque sibique plane suasum habeat, quin vel minime opus sit rem adumbrare verbis.

Quae vero argumento huic nativa inest vis, eo roboratur et augetur, quo fauste feliciterque processit huc usque actorum cursus, ut iam complectatur, quae pro formali obtinenda Beatificatione in iure statuta sunt

quaeque vel in ipsis venerandae antiquitatis monumentis ad vivum sic inveniuntur expressa: « Nos attendentes, quod, licet ad hoc, ut aliquis «sanctus sit apud Dominum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat «finalis perseverantia, iuxta illud: Esto fidelis usque ad mortem, et « dabo tibi coronam vitae; ad hoc tamen, ut sanctus habeatur apud «homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria : virtus morum et « veritas signorum ; merita videlicet et miracula, ut haec et illa sibi ad « invicem contestentur, quum nec merita sine miraculis, nec miracula < sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimo« nium sanctitati. Sed, dum merita sana praecedunt et clara succedunt « miracula, certum praebent indicium sanctitatis, ut nos ad ipsius vene« rationem inducant, quem Deus ex meritis praecedentibus et signis sub« sequentibus exhibet venerandum; quae duo ex verbis Evangelistae « plenius colliguntur: Illi autem profecti praedicaverunt, ubique Domino « cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis», etc..:. (Gregorius Papa IX in Bulla Canonizationis S. Antonii Patavini, *Cod. Canonizata* pag. 65).

Iamvero, quod venerabilis Famulae Dei Annae Mariae Taigi praecesserint merita, quae adquisivit sibi illa cumulavitque, gravissima praesertim uxoris matrisque familias sancte religioseque implens munera, indubio eximioque documento exstant heroicae ipsius Dei Famulae, solemni Ecclesiae iudicio, iamdiu probatae virtutes. Praeclara autem merita atque generosas a Venerabili in exemplum exercitas virtutes rata quoque habere et confirmare dignatus est Deus, divino, quod accessit, miraculorum testimonio; nonnisi enim miraculo fieri utraque poterat, quae ad cognoscendum proposita fuerat, sanatio, quemadmodum brevis et efficax evi cit demonstratio.

Sane, cuncta in primis comperta fieri necesse fuit atque explorata, quae in una et altera sanatione factum respiciebant, quod iudicio ferendo fundamento esse debebat, ita monente et suadente celebri in universa canonici civilisque iuris provincia effato: *posito facto, oritur ius.* Utque ipsa ferebat natura rei, eadem desuper interrogandi fuerunt, qui auditi in iudicialibus tabulis riteque perpensi fuerant testes. Hi porro e morbo, in quem ambae inciderant mulieres, prodeuntia, sicut adverterant ipsi, explicuerunt symptomata, eisque ingravescentibus in diem, infirmae corporis parti quum venerabilis Ancillae Annae Mariae Taigi admota fuerit imago, depulsum suis se conspexisse oculis fugatumque morbum iidem, numero saltem et qualitate a iure requisitis praediti, fideliter enarrarunt testes adeo, ut, accedentibus etiam, confirmantibus et adiuvantibus documentis, tamquam validis adminiculis, quae

necessaria prorsus erat, eadem desiderata minime fuerit iusta atque legitima probatio.

Hisce praeiactis firmiterque constitutis facti elementis, a notis ad ignota, ad utriusque scilicet facti causam naviter pervestigandam, mox factus est gradus, prouti iubent Logicae leges et praecipuum est ratiocinii officium. Cumque de tecnica, ut inquiunt, quaestione ageretur, ne ullus facile subreperet error, maxima idcirco cura fuit viros seligere in arte peritos; ab eisque reapse apto admoto medicae scientiae lumine, quod actoribus demonstrandum erat, solide invicteque demonstratum fuisse liquet. Illud siquidem positum est in aperto, quod videlicet tum in primo tum in altero casu situs fuerit morbus in materiali quadam atque organica laesione, quacum una simul neutiquam esse potest subitus atque perfectus utriusque sanationis modus, sicut in actis descriptus est; obstant quippe naturae vires, quas eidem constituit praefinivitque naturae auctor, Deus; eapropter utramque sanationem ipsam miraculo esse factam, necessario debet inferri certoque haberi.

Eo perspicuitatis et certitudinis adducta est quaestio iterata productaque disceptatione. Nam post antepreparatoriam binae, praeter morem, successerunt praeparatoriae Congregationes , easque demum subsecuta est Congregatio generalis, quae, die tertia proxime praeteriti mensis decembris, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV coacta fuit. In qua a Reverendissimo Cardinali Antonio Vico, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum quum fuisset dubium: - *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur?* - Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores singuli ex ordine suffragia tulerunt, quibus tamen intento animo exceptis perpensisque, Sanctissimus Dominus noster mentem Suam, ceu de more, aperire distulit, ratus in re tam gravi diuturnis precibus concedendum esse spatium.

Hodierno autem auspicatissimo die, quo Puer Iesus a tribus Sapientibus est adoratus, sacris misteriis piissime celebratis, ad Vaticanas Aedes arcessiri voluit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, mihique insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter edixit: « Constare de utroque proposito mi- « ráculo », de primo nempe « instantaneae perfectaeque sanationis « Mariae Del Pinto a metrite et endometrite chronica cum subsequuto « haematoceie, illico totius corporis redintegratis viribus»; deque altero « instantaneae perfectaeque sanationis Melaniae Sevin a luxatione de-

« xteri pedis et ossis perone, seu fibulae fractura, cum gravi emartro « coniuncta ».

Hoc Decretum publici iuris fieri et in acta sacrae rituum Congregationis referri iussit octavo idus ianuarii anno MCMXIX.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. G. Praefectus.

L. & S.

Alexander Verde, *Secretarius,*

III

ROMANA

DUBIA

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, proposita fuerunt; nimirum:

I. An occurrente Vigilia S. Thomae Ap* in Feria Quatuor Temporum, de qua fit Officium cum respondente Missa, legendum sit Evangelium Vigiliae in fine Missae?

II. Si in Festo de quo recitatur Officium cum Missa, etiam Feria et Vigilia vel duae Vigiliae simul occurrant, de quanam legi debeat Evangelium in fine Missae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re mature perpensa, respondendum censuit:

Ad 1. *Affirmative* iuxta Rubricas et Decreta.

Ad II. De illa dicitur Evangelium in fine, de qua primo facta est Commemoratio. Quod si hoc Evangelium sit idem de Festo, tunc Evangelium in fine erit de altera quae secundo loco commemoratur, iuxta Decretum n. 3844 *Romana* 5 februarii ad IX.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 10 ianuarii 1919.

£g A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. G. Praefectus.

L, >g S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

CAUSAE ACTAE SUB SECRETO

In Sacra Romana Rota, a mense ianuario usque ad mensem decembrem anni 1918, actae sunt sub secreto *causae quae sequuntur; quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.*

I. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Proposito dubio : *An constet de nullitate matrimonii in casu?* RR. PP. DD. S. Many, *Ponens,* I. Prior et P. Rossetti, Auditores de Turno, die 18 februarii 1918 respondendum censuerunt: *Negative.*

Adversus sententiam interposita est appellatio.

II. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?* RR. PP. DD. P. Rossetti, *Ponens,* R. Chimenti et M. Massimi, Auditores de Turno, die 6 iunii 1918 respondendum censuerunt: *Negative.*

III. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?* RR. PP. DD. A. Sincero, *Ponens,* F. Cattani Amadori et P. Rossetti, Auditores de Turno, die 11 iunii 1918 respondendum censuerunt: *Negative.*

IV. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae ex parte viri.*

Proposito dubio: *An sententia Rotalis diei 22 decembris 1913 sit confirmanda vel infirmanda in casu?* RR. PP. DD. G. Sebastianeiii, Decanus, *Ponens,* P. Rossetti et M. Massimi, Auditores de Turno, die 4 iulii 1918 respondendum censuerunt: *Esse infirmandam.*

Adversus sententiam interposita est appellatio.

V. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?* RR. PP. DD. I. Prior, *Ponens,* A. Sincero et F. Cattani Amadori, Auditores de Turno, die 27 iulii 1918 respondendum censuerunt: *Affirmative.*

Adversus sententiam interposita est appellatio.

VI. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus ex parte mulieris.*

Proposito dubio : *An sententia Rotalis diei 22 ianuarii 1914 sit confirmanda vel infirmanda in casu?* RR. PP. DD. Gr. Sebastianeiii, Decanus, *Ponens,* P. Rossetti et M. Massimi, Auditores de Turno, die 29 iulii 1918 respondendum censuerunt: *Confirmandam esse sententiam Rotalem.*

VII. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae ex parte viri.*

Proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?* RR. PP. DD. R. Ghimenti, *Ponens,* M. Massimi et I. Grazioli, Auditores de Turno, die 16 augusti 1918 respondendum censuerunt: *Affirmative.*

Ex Cancellaria, 11 ianuarii 1919.

Sac T Tani, *Notarius*

BIÁEIÜM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

I

NOTA DELLE CONGREGAZIONI DA TENERSI NELL'ANNO 1919

14 gennaio. Congregazione Ordinaria.

28 » Congregazione Preparatoria sopra le virtù del Ven. Alano de Solminiac.

U febbraio. **Congregazione Generale** sopra i miracoli della Ven. Luisa de Marillac.

25 » Congregazione Antipreparatoria sopra le virtù del Ven. Bernardo Clausi.

lì marzo. Congregazione Ordinaria.

18 » **Congregazione Generale** sopra i miracoli della Beata Giovanna d'Arco. .

8 aprile. Nuova Congregazione Preparatoria sopra le virtù del Ven. Giovanni Nepomuceno Neumann.

29 » Congregazione Antipreparatoria sopra le virtù del Ven. Carlo Giacinto di Santa Maria.

13 maggio. Congregazione Ordinaria.

27 » Nuova Congregazione Preparatoria sopra i miracoli del B. Teofilo "da Corte.

5 *giugno.* Congregazione Ordinaria Particolare.

17 » **Congregazione Generale** sopra il martirio, segni o miracoli della Ven. Maria Maddalena Fontaine e Maria Clotilde Angela di S. Francesco Borgia e Compagne, Figlie della Carità e Orsoline di Valenciennes.

8 luglio. Congregazione Preparatoria sopra il martirio, segni o miracoli dei Servi di Dio Mattia Murumba e Compagni d'Ouganda.

22 » Congregazione Ordinaria.

12 agosto. Congregazione Antipreparatoria sopra le virtù della Ven. Vincenza Gerosa.

28 ottobre. Congregazione Preparatoria sopra le virtù della Ven. Maria Michelina del SSmo Sacramento.

U novembre. Congregazione Ordinaria.

25 » Congregazione Preparatoria sopra le virtù del Ven. Bartolomeo Dalmonte.

2 dicembre. Congregazione Generale sopra il martino, segni o miracoli del Ven. Girolamo delle Ventiquattrore.
9 » Congregazione Ordinaria Particolare.
23 » Congregazione Antipreparatoria sopra le virtù del Ven. Francesco da Camporosso.

II

Martedì 14 gennaio 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Ordinaria* dei Sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie: '

1) Introduzione della Causa di Beatificazione, ossia dichiarazione del martirio del Servo di Dio Natale Pinot, parroco di Louroux-Beconnais, della diocesi di Angers, ivi ucciso, come si asserisce, in odio alla Fede nel 1794.

2) introduzione della Causa di Beatificazione e Canomzazione del Servo di Dio Innocenzo da Berzo, Sacerdote professo dell'Ordine dei Frati Minori Cappuccini.

3) Ed intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Gioacchina Vedruna de Mas, Fondatrice dell'Istituto della Carità, nella diocesi di Vich.

Martedì 28 gennaio 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati officiali e dei Rmi Consultori teologi componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere il dubbio sopra l'eroismo delle virtù del Ven. Servo di Dio Alano De Solminiac, dei Canonici Regolari Lateranensi, Vescovo di Cahors.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

6 gennaio 1919. I Revmi P. Abate Arsenio Pellegrini e P. Sofronio Gassisi, dei Minori Basiliani di Grottaferrata, *Consultori della S. Congregazione «Pro Ecclesia Orientali».*
27 » » L'Emo signor Cardinale Donato Sbarretti, *Protettore dell'Istituto di Carità, di Nazaret.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Pì'otonotari Apostolici ad instar participantium:

22 dicembre 1918. Mons. Giuseppe Alfredo Peltier, della diocesi di Joliette. •

Prelati Domestici di S. S.:

28 ottobre 1918. Mons. Antonio Tonda, della diocesi di Susa.
20 dicembre » Mons. Giuseppe Morrone, della diocesi di Nola.
2 gennaio 1919. Mons. Francesco Rossi Stockalper, di Roma.
6 » » Mons. Gustavo Couto, della diocesi di Angola.
11 » » Mons. Carlo Roseau, della diocesi di Séez.
14 » » Mons. Gioacchino Soarez de Oliveira Aloin, dell'archidiocesi di Rio de Janeiro.
15 » » Mons. Emilio Seraglia, della diocesi di Padova.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 dicembre 1918. Al sig. Giulio van den Heuvel, già Inviato straordinario e Ministro plenipotenziario del Belgio presso la Santa Sede.
14 gennaio 1919. Al sig. Bonaventura Bianco Viel, già Ministro degli Esteri al Cile.
» » » Al sig. Guglielmo Pereira, già Ministro degli Esteri al Cile.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

4 gennaio 1919. Al sig. Leone Watine, della diocesi di Lilla.
» » » Al sig. Eugenio Wattinne, della medesima diocesi.
14 » » Al sig. Guglielmo Giorgio Emilio d'Artillac Brill, Incaricato di Affari dei Paesi Bassi a Buenos Aires.
22 » » Al sig. Giovanni Enrico Ludovico van Dyk, della diocesi di Bois-le-Duc.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

31 dicembre 1918. Al sig. conte Simone Planas Suarez, Ministro del Venezuela a Lisbona.
8 gennaio 1919. Al sig. ing. Giuseppe Fernando Sousa, di Lisbona.

La Commenda dell' Ordine di S. Silvestro Papa:

10 aprile 1918. Al **sig. Eliseo Arbeláez, già Segretario della Legazione di Colombia presso la Santa Sede.**

8 gennaio 1919. **Al sig. cav. Emilio Ranuzzi, di Roma.**

Il Cavalierato dell'Ordirne di S. Silvestro Papa:

5 gennaio 1919. **Al sig. dott. Giorgio Sidley, della diocesi di Salford.**

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

28 dicembre 1918. **Mons. Giuseppe Giuntini, dell'archidioeesi di Firenze.**
16 gennaio 1919. **Mons. Agostino Maij, della diocesi di Paderborn.**
» » » **Mons. Roberto Heddergott, della medesima diocesi.**
» » » **Mons. Massimiliano de Berchem, dell'archidioeesi di Praga.**
» » » **Mons. Riccardo Hoffmann, dell'archidioeesi di Monaco di Baviera.**
19 » » **Mons. Sebastiano Staudbamer, della medesima archidiocesi.**
21 » » **Mons. Francesco Verquera, della diocesi di Susa.**

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

28 dicembre 1918. **Mons. Giuseppe Di Girolamo, di Roma.**

Annus XI - Vol. XI 1 Martii 1919 Num. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

I

CONCEDITUR IN PERPETUUM INDULGENTIA PLENARIA TOTIES QUOTIES LUCRANDA DIE FESTO TITULARI SOCIETATIS REGALIS A CINGULO NOSTRAE DOMINAE AD CATHEDRALIS ECCLESIAE DERTHUSENSIS.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat, Derthusensi in urbe, praedivite in sacello templi cathedralis, canonice erecta pia ac vetustissima Confraternitas Nostrae Dominae a Cingulo nuncupata, quae sodalium numero et dignitate, non minus quam germanae pietatis studiis, summopere floret. Omnis conditionis cives, e plebe non minus quam e nobilitate viri principes, reges et Romani quidem Pontifices Nostri Decessores, per longam annorum seriem, hanc Societatem maximo in honore habuerunt; ipsique Hispaniarum Reges illi nomen dederunt. Nunc vero, cum hodiernus Prior Regalis huius Confraternitatis Nostrae Dominae a Cingulo, roboratas amplissimo Derthusiensum Episcopi suffragio, enixas Nobis humiliter preces adhibuerit, ut die festo titulari fidelibus cathedrale ipsum templum visitantibus plenariam indulgentiam de apostolica benignitate largiri dignemur; Nos, attentis Societatis eiusdem antiquitate et splendore, optatis his annuendum, quantum in Domino possumus, existimavimus. Quam ob rem, audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, die festo titulari enunciatae Regalis

Societatis Nostrae Dominae a Cingulo, nempe Dominica mensis septembris prima, ad Derthusense cathedrale templum quotannis, admissorum sacramentali confessione expiatis ac caelestibus epulis refectis, confluentibus, a medietate diei praecedentis ad mediam usque noctem ipsius Dominicae, indulgentiam plenariam toties lucrandam concedimus, quoties sacellum B. Mariae Virg. a Cingulo, in enunciata cathedrali ecclesia positum, devote visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant. Largimur insuper fidelibus eisdem, si malint, liceat plenaria hac indulgentia functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX decembris MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRT, *a Secretis Status.*

Il

TEMPLUM LOCARNENSE B. M. VIRGINIS A SAXO, IN DIOECESI LUGANENSI, TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Locami, intra fines Luganensis; dioecesis, antiquum exstat percelebre templum Deo in honorem B. Mariae Virg. *a Saxo* dicatum, ad perennandam memoriam erectum apparitionis ipsius Deiparae pio cuidam e Franciscani familia coenobitae, in pervigilio festivitatis B. Mariae Virg. in coelum Assumptae, anno millesimo quadringentesimo octogesimo nono. Id constans refert, monumentis ac prodigiis luculenter suffulta, traditio. Eidem porro Deiparae Virginis tutelae merito fideles incolae Ticinenses tribuunt, quod ab haeretica lue, saeculo decimo quarto per Helveticas regiones nefarie grassante, feliciter servati fuerint: ac saepe saepius, publicis vel privatis ingruentibus calamitatibus, praesenti ipsius Deiparae auxilio incolumes evaserint. Quam ob rem cultus B. Mariae Virg. *a Saxo* in dies ad auctus est, eiusque ligneum affabre sculptum simulacrum, in ulnis Puerum Iesum gestantis, semel iterumque aureo diademate redimitum fuit, primo quidem a Legato Apostolico apud Helvetios anno MDCXVII; secundo autem decreto Vaticani Capituli anno MDCCCLXXX, scilicet quarto

redeunte centenario a mirifica Deiparae Virginis apparitione. Interea parvae vetustissimae marialis aedis progressu temporis mutata forma, ita increvit, ut tum audaci structura pilis giganteis innixa totiusque molis amplitudine, tum omnigenae artis, ac praesertim picturae, conspicuis operibus, hoc templum, Locami in honorem B. Mariae Virg. *a Saxo* mirifice constructum, prae ceteris eniteat. Huius parietes templi votivis tabellis, vexillis, argenteis trophaeis atque innumeris pretiosis donariis circum ornati, benignissimam Dei Genitricis, gratiarum apud Dominum sequestris, potentiam civiumque acceptam tutelam luculenter testantur. Sacra supellectili abunde refectum et privilegiis atque indulgentiis a Sede Apostolica ditatum, memoratum templum Fratrum Ordinis Minorum Capulatorum curis concreditum fuit; hique, vehemens pietatis studium erga Beatissimam Dei Genitricem fidelium praesertim peregrinorum impigre foventes, ecclesiasticis ibidem muneribus naviter funguntur. Ab anteactis saeculis in praesens usque, piae peregrinationis causa, ad mariale sanctuarium *a Saxo* non modo e pago Ticinensi, verum etiam a dissitis tum Helvetiae, tum finitimae Italiae, tum aliarum nationum regionibus christifideles saepe saepius turmatim solent confluere, B. Mariae Virg. simulacrum veneraturi eiusque opem fidenter imploraturi. Neque praetereundum arbitramur, quod, sua aetate, sanctus Carolus Borromaeus, cardinalis archiepiscopus Mediolanensis, idem sanctuarium mariale *a Saxo,* Locarnensium civium pietate iam munifice auctum ac decora t um, non semel invisent, tantaque fuerit admiratione perculsus, ut, prophetico sane spiritu, haec verba protulerit: « Fluent ad hanc aedem omnes gentes ». Haec animo repetens, cum venerabilis frater Aurelius Bacciarini, episcopus titularis Dauliensis et administrator apostolicus Luganensis, pia quoque exprimens cleri populique, vota, Nos flagitaverit ut templum Locarnense B. Mariae Virg. *a Saxo* Basilicae Minoris titulo ac privilegiis cohonestare dignemur; Nos votis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, audito Congregationis Sacrorum Rituum Cardinali Praefecto, motu proprio ac de certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, enunciatum templum B. Mariae Virg. *a Saxo,* Locami, intra fines dioecesis Luganensis exsistens, perpetuumque in modum, Basilicae Minoris titulo donamus, cunctis honorificentiis ac privilegiis eidem tributis, quae minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Literas firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse

ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die in ianuarii MGMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. GARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

ECCLESIA SS. URSULAE ET SOCLARUM, VV. ET MM., IN URBE BONAERENSI, TITULO BASILICAE DECORATUR.

t

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat in urbe Bonaerensi templum Deo in honorem Ss. Ursulae et Sociarum, virginum et martyrum, anno MDCCLiv dicatum atque Ordini Fratrum Minorum concreditum, unde vulgo a S. Francisco nuncupatur. Ceteris illius urbis sacris aedibus, tum antiquitate ac praestanti molis amplitudine, tum conspicuis picturae et sculpturae operibus idem templum ita praecellit, ut illustre veluti historiae monumentum habeatur, quod ab exteris quoque illud invisentibus merito suspicitur. Anno MCMXI piorum coniugum Sanctis Muzué et Carolae Vivar de Muzué, modo defunctorum, profusa liberalitate largitis expensis, sacra eadem aedes tot de integro pulcherrimis omnigenae artis ornamentis magnifice adaucta fuit, ut praecipua Bonaërensis civitatis ecclesia in praesens habenda sit. Praeter Minorum Ordinis Fratrum, qui benefactis vitaque in exemplum peracta famam immaculatam reliquerunt, mortales exuvias insigni sarcophago ibi recónditas, praenobili enunciato in templo illustrium etiam virorum corpora requiescunt, qui, publicis et civilibus laudabiliter perfuncti muneribus, inter optimates Reipublicae Argentinae iure accensentur. Ratione quoque cultus et fidelis populi assidua frequentia et saepe saepius innumero concursu, eadem sacra aedes inter primarias urbis ecclesias enitet. Siquidem Franciscales Fratres, ibidem sacris officiis naviter vacantes, divini cultus splendori singulari studio prospiciunt, simulque plurimae Confraternitates et Sodalitia, sub diversis nominibus, nec non Consociationes et Piae Uniones eadem in ecclesia sunt legitime constitutae, praesertim laica Congregatio Tertii Ordinis S. Francisci, *in* qua quingenti viri ac mille tercentae mulieres militant. Hae omnes institutiones et societates privilegiis

sacrisque indulgentiis largiter pollent, queis ab hac Sancta Sede diversimode ditatae fuerant. Praeterea memoratum templum, Archibasilicae Lateranensi iampridem aggregatum, non modo copiosa ac divite supellectili refertum est, sed praecipue sacrarum reliquiarum thesauro, quas inter nonnullae insignes pretiosissimis thecis inclusae, quas publice expositas permagno pietatis studio -christifideles venerantur. Quae cum ita sint, cum hodiernus Franciscani Provinciae a B. Mariae Virg. Assumptione Praepositus, vota exprimens quoque Fratrum Coenobii Bonaërensis, Nos enixis precibus flagitaverit, ut praelaudatum templum sub titulo S. Ursulae et sacrarum virginum et martyrum ad Basilicae dignitatem evehere dignemur; Nos, animo repetentes gloriosas illius templi memorias, precibus his annuendum, quantum in Domino possumus, existimavimus. Idcirco, audito venerabili fratre Nostro S. R. E. Episcopo Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, attentoque praesertim commendationis officio tum archiepiscopi Bonaërensium, tum Fratrum Minorum Procuratoris Generalis, ecclesiam Bonaërensem Ss. virginum et martyrum Ursulae et Sociarum, ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, simplici Basilicae titulo cohonestamus, cum privilegio deferendi tintinnabulum et conopaeum, cui liceat addere stemma ipsius ecclesiae, non tamen auro vel argento ornatum. Decernentes praesentes Literas firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos pertinent, nunc et in posterum plene suffragari, sicque merito iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MCMXTX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. F. HIMERIUM A IESU, FRATRUM A SCHOLIS CHRISTIANIS PRAEPOSITUM GENERALEM, ALTERO SAECULO EXEUNTE AB OBITU S. IOANNIS BAPT. DE LA SALLE, EORUM PATRIS LEGIFERI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. - Exeunte altero iam saeculo a beatissimo obitu Patris vestri legiferi, non possumus quin tanti viri memoriam, ob eius in Ecclesiam insignia promerita, vobiscum celebremus: eo magis quod ad medendum gravi cuidam suorum temporum incommodo eiusmodi rationem sequutus est cuius hodie quoque mira est opportunitas. Cum enim animadvertisset populum, maximeque classem tenuiorum, in summa ignoratione versari earum rerum quae ad religionem pertinent, sibi proposuit puerorum de infima plebe institutionem suscipere, quos dum litterarum initiis erudiret, simul christianae vitae praeceptis imbueret. Et praeclarissimi ab eo percepti fructus in hoc munere, praesertim ex quo socios adiutoresque sibi huius operae et laboris adscivit, non dubio sunt argumento istam sodalitatem in Ecclesiae sanctae bonum ab eo esse, Dei providentis consilio, conditam. Nunc vero in educatione pueritiae incredibile est quam late christianus spiritus desideretur, nimis multis summa contentione nitentibus ut scholas ab Ecclesiae matris tutela subtrahant, in easque laicam, quae dicitur, disciplinam Inducant, ubi nihil sit quod sapiat religionem. Ita quae virtutum domus debet esse, in specum vertitur vitiorum. Nam *timore Domini* sublato, quod *initium sapientiae* est, quid iam improvidam aetatem cohibeat quominus omnia sequatur flagrantium vota cupiditatum? Nemo igitur non videt quam bene communi saluti prospiciant qui nostros pueros, spem futuri temporis, christianis institutis et moribus, quemadmodum vos facitis, informent. Quare ingentes vobiscum grates Deo agimus, cuius benignitas vestram sollertiam ad tam laetabilia incrementa provexit; optamusque ut ex hac Patris vestri legiferi commemoratione vel alacrioribus sumptis animis, salutarem Ecclesiae ac civitati operam navare perseveretis. Ob eam rem, caelestis auxilii vobis conciliandi causa, libentes damus ut, fausto die VII aprilis proximi, quisquis sacerdos apud vos rem divinam fecerit et quotquot ex instituto vestro sodales alumnique sacro adfuerint, omnes plenariam indulgentiam, usitatis condicionibus, lucrentur. Atque auspicem divinorum mune-

rum paternaeque Nostrae benevolentiae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuaeque sodalitati universae amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvn mensis ianuarii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. D. P. THOMAM PEGUES, EX ORDINE PRAEDICATORUM, QUI SUMMAM THEOLOGICAM S. THOMAE GALLICE IN MODUM CATECHISMI EXPLICATAM EDIDERAT.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. - Praeclara de Thoma Aquinate praeconia Apostolicae Sedis iam neminem catholicum dubitare sinunt quin ideo ille sit excitatus divinitus, ut haberet Ecclesia quem doctrinae magistrum maxime in omne tempus sequeretur. Consonum autem videbatur singularem viri sapientiam non modo sacri cleri hominibus, verum omnibus quicumque religionis altius studia colerent, atque ipsi multitudini, directo patere: natura enim fit ut quo propius ad lumen accesserit, eo quis uberius collustretur. Vehementer igitur es tu quidem laudandus qui, cum, opus Angelici Doctoris potissimum, Summam Theologicam litteralibus commentariis gallice interpretari instituisses - remque e sententia succedere volumina ostendunt adhuc edita - eamdem in modum catechismi explicatam nuper evulgasti. Ita huius tanti ingenii divitias non minus apte ad rudiorum usum accommodasti quam ad doctiorum, omnia breviter strictimque, eadem perspicuitate ordinis, tradendo, quae is copiosius exposuerat. Equidem tibi gratulamur isto diuturni laboris studiique fructu, in quo licet magnam disciplinae Thomisticae cognitionem ac scientiam agnoscere: optamusque id quod, pro tuo Ecclesiae sanctae amore, habes propositum, ut ad christianam doctrinam penitus percipiendam prosit quamplurimis. Atque auspicem divinorum munerum et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque discipulis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v mensis februarii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

Ernestus Buonaiuti, decreto S. Officii diei *¥1* novembris 1918, quo opuscula ab eo conscripta, quibus titulus: *La genesi della dottrina agostiniana intorno al peccato originale* et *S. Agostino,* proscripta et in Indicem librorum prohibitorum inserta sunt, se subiecit et opuscula reprobavit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 10 februarii 1919.

A. Castellano, *S. R. ei U. S. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

PRO CELEBRATIONE CONCILIORUM ET APPELLATIONIBUS IN REGIONIBUS ITALIAE

Conciliorum provincialium celebrationi in plerisque Italiae regionibus haud leves obesse difficultates a multis sacrorum Antistitibus notatum est: etenim, aetatum decursu tum ethnographicis rationibus tum etiam politicis perturbationibus, ecclesiasticae circumscriptiones dioecesum ac provinciarum funditus immutatae fuerunt; unde factum quod ex metropolibus non paucis aliae suffraganeis sedibus sunt orbatae, aliae unam vel alteram retinuerunt.

Ex his autem pronum est intelligere, praedictos Episcoporum conventus in memoratis locis non illud obtinere posse momentum eamque solemnitatem, quae • illos decerent, quaeque Ecclesia habere desiderat, ut plurium Antistitum, in Dei nomine congregatorum, consiliis et auctoritate ea constituantur, quae Dei ipsius gloriae et fidelium bono utiliora sint atque ad usum aptiora.

Eiusmodi igitur difficultatibus ut efficaciter obveniatur, Episcopis per Italiam auditis habitoque suffragio Emorum Patrum S. Congregationi Consistoriali praepositorum, Benedictus Papa XV sequentia decernenda constituit:

I. Incolumi Conciliorum provincialium lege pro provinciis Veneta, Mediolanensi, Vercellensi, Taurinensi ac Ianuensi; itemque sartis iuribus metropoliticis Romani Pontificis in Romana provincia secundum sacros canones; in ceteris Italiae regionibus, provincialium Conciliorum loco, ex praescripto can. 283 *Codicis* quovis vicennio celebrandorum, habebuntur vicesimo pariter quoque anno Concilia plenaria per regiones ad normam cann. 281, 282, 287 et seqq. iuxta praesentis decreti praescriptiones.

II. Regiones in quibus, Conciliorum provincialium loco, Concilia plenaria regionalia habenda erunt sequentia sunt, quarum nomina, ad clariorem indicationem, vulgari sermone efferuntur: *Emilia, Romagna, Toscana, Umbria, Marche, Abruzzi e Molise, Beneventano, Campania, Salernitano, Basilicata, Puglie, Calabria, Sicilia, Sardegna;* quae vero Dioeceses censendae sint ad singulas hasce regiones pro Conciliorum celebratione pertinere, peculiari decreto definietur.

III. Pro dioecesibus Latii (prout hoc nomen nunc temporis audit) peculiares dispositiones Sanctitas Sua sibi impertiendas reservat.

IV. In Episcoporum coetibus, vulgo *Conferenze,* qui ad normam can. 292 *Codicis,* quovis quinquennio cogendi sunt, quique iam in Italia per regiones habentur, is qui praeerit prima sequenti vice, sicque pariter in ceteris sequuturis conventibus antequam vicennium impleatur pro regionali comitio constitutum, Patribus discutiendum proponet quando debeat et possit primum plenarium regionale Concilium celebrari; tum vero, ad praescriptum can. 281, Summum Pontificem postulabit ut Sanctitati Suae designare placeat legatum suum ad Concilium convocandum eique praesidendum.

V. Omnia vero quae, pro celebratione Conciliorum plenariorum regionalium, superius statuta sunt, nullimode detrahunt neve detrahere censeantur praescripto can. 285 circa appellationes a sententiis I instantiae ad tribunal II instantiae. Permittitur tamen Episcopis, qui Sedi Apostolicae sint immediate subiecti, ut pro appellationibus sibi deligant Archiepiscopum viciniorem etsi provincia propria carentem, itemque his Archiepiscopis ut designent pro appellationibus Ordinarium viciniorem, quem opportunius eligendum censuerint.

Vi. Qua in re, cum a plerisque Romanae provinciae Episcopis expetitum fuerit ut speciale tribunal II instantiae Romae pro suis dioece-

sibus constitueretur, Sanctissimus Pater, ob adductas rationes, petitioni annuendum duxit, ac praesenti decreto destinat ad hunc finem tribunal Vicariatus Urbis, salvo semper recursu III instantiae, si et quando haberi •quiverit, ad sacram Romanam Rotam.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 15 februarii 1919.

£ß C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. ^ S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

DECRETUM

DE CESSATIONE QUARUMDAM FACULTATUM QUAE SACERDOTIBUS DURANTE BELLO CONCESSAE SUNT.

Quum atrox bellum, quod plures annos Europam cruentabat, Dei miserentis gratia, finem tandem habuerit, oportet ut, cessante causa; facultates quoque extraordinariae circumscribantur quae sacerdotibus, militaribus copiis addictis, in suum ac militum bonum fuerunt tributae.

Ne autem, in re tam gravi, angustiis et ambiguitatibus pateat locus, SSmus D. N. Benedictus PP. XV censuit expedire ut pressius determinetur quaenam ex praedictis facultatibus cessasse dicendae sint.

Itaque, de mandato SSnii, declaratur natura sua finem habuisse facultates ut supra sacerdotibus factas, quae sequuntur:

1) absolvendi in quibusdam casibus milites generali formula, seu communi absolutione sine praecedenti confessione;

2) absolvendi ab omnibus censuris et casibus reservatis;

3) Missam celebrandi in quocumque loco, etiam sub dio, remoto quidem irreverentiae periculo;

4) bis in die, etiam una hora post meridiem, et in casibus extraordinariis vel non servato ieiunio, Sacrum peragendi;

5) Missas votivas loco propriae a rubricis praescriptae legendi;

6) asservandi SSmum Sacramentum in bellicis navibus et in stativis castrorum valetudinariis;

7) benedicendi unico crucis signo coronas, cruces, numismata cum applicatione indulgentiarum;

8) sese eximendi a recitatione divini officii, ac pariter idem officium in alias pias preces commutandi.

Hisce demptis, reliqua quae attinent ad iurisdictionem Ordinariorum castrensium, usque dum eorum ministerium subsistat et servetur, sarta tectaque sunto.

Curae tamen ipsorum Ordinariorum Castrensium erit vigilare ut omnia quae pertinent ad sacrae liturgiae observantiam, praesertim in Missae celebratione, a sacerdotibus sibi adhuc subditis adamussim et ex integro serventur.

Officii pariter omnium Ordinariorum locorum erit curare ut sacerdotes in dioecesim e militia reversi ad pristinam perfectamque sacrorum rituum observantiam redeant.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 22 februarii 1919.

j$| C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

III

DE NOMINANDIS ADMINISTRATORIBUS DIOECESANIS

Quum Delegatus Apostolicus in Foederatis Americae Statibus haec dubia definienda proposuisset, scilicet:

1) utrum dispositiones particulares Concilii plenarii Baltimorensis, quoad ius nominandi administratorem dioecesis, sede vacante, adhuc vigeat; an per novum Codicem abrogatae sint;

Et quatenus negative ad primam partem:

2) an servandum sit praescriptum canonis 427;

Emi Patres Codici interpretando praepositi, die 24 novembris 1918 responderunt:

Ad I[m], negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad II[a], affirmative, et ad mentem.

Mens autem haec est: « Quatenus speciales circumstantiae *hic* et •*nunc* impediant quominus in illa regione applicetur canon 427, S. C. Consistorialis instructiones opportunas, *ad tempus* servandas, praebeat,

dempto omnino Episcopis iure nominandi Administratorem dioecesis,, mortis causa ».

SSmus autem Dominus Noster resolutiones Commissionis Codicis ratas habuit et confirmavit.

De relato tamen Cardinalis Secretarii S. C. Consistorialis, attentis peculiaribus adiunctis in quibus Ecclesiae Foederatorum Statuum Americae versantur, eadem Sanctitas Sua statuit et decrevit, ut in omnibus dioecesibus in quibus quinque saltem vel sex Consultores dioecesani non adsint - firma prohibitione a Commissione Codicis facta - Archiepiscopus aut Episcopus senior provinciae ecclesiasticae providere possit^ cum ratihabitione Delegati Apostolici, pro nominatione Administratoris dioecesani durante sedis vacatione.

Idque per triennium, dummodo interim coetus Consultorum non fuerit auctus ad numerum superius indicatum.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 22 februarii 1919.

C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor**

IV

PROVISIO ECCLESIAE

S. C. Consistorialis decreto, SSmus D. N. Benedictus XV hanc, quae sequitur, ecclesiam de proprio pastore providit, scilicet:

14 februarii 1919. — Titulari ecclesiae episcopali Adrianopolitanae praefecit R. P. D. Franciscum Isola, hactenus Episc. Concordiensem.

V

NOMINATIO

14 februarii 1919. — Postulante R. P. D. Iosepho Morabito, episcopo-Miletensi, SSmus D. N. Benedictus PP. XV, decreto S. C. Consistorialis, deputavi! R. P. D. Paulum Albera, episcopum Bovensem, in *Administratorem Apostolicum ecclesiae Miletensis,* perdurante infirma Episcopi valetudine.

SACKA CONGREGATIO CONCILII

I

DECRETUM

REVOCATUR DECRETUM DE PROVISIONE OFFICIORUM ET BENEFICIORUM DURANTE BELLO.

Cum ob belli cessationem e clericis servitio militari adstrictis plerique iam dimissi proprias dioeceses et sedes repetierint et reliqui brevi dimittendi in eas sint redituri, congruum est ut, mutatis rerum adiunctis, decretum huius S. Congregationis Concilii de provisione officiorum et beneficiorum diei 14 novembris 1916 suam vim et robur exerere desinat. Illud itaque revocatur, prout per praesentes litteras de mandato SSmi decernitur et declaratur esse revocatum et non amplius vigere: proindeque Ordinarii redintegrantur in suas facultates eadem officia et beneficia conferendi, servatis tamen de iure servandis, et praesertim canonibus 147-182 et 1431-1447 *Codicis Iuris Canonici,* necnon prae oculis habita Instructione edita a S. Congregatione Consistoriali *De clericis e militia redeuntibus* diei 25 octobris 1918.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Concilii, die 26 februarii 1919.

F. CARD. CASSETTA, *Praefectus.*

L.-HB S.

I. Mori, *Secretarius.*

II

GERUNDEN.

FUNDATIONIS BENEFICIORUM

SPECIES FACTI. - Episcopus Gerunden, sequentibus litteris H. S. C. tria dubia solvenda proposuit: « Nonnulli sacerdotes, beneficium eccle- « siasticum constituere vel bona alicuius beneficii augere satagentes, «postulant, ut beneficia ita adaucta nova dote sibimetipsis conferantur, « eorumque reditus omnes percipiant, quod quidem sub specie utilitatis « in posterum obtinendae iustum suadere conantur. At onera beneficii, « obeunda in favorem ecclesiae, etiam parochialis, ubi beneficium fuit « constitutum, adimplere nolunt eo innixi quod ipsi obtentores sunt « a prima institutione: sicque constare faciunt in tabulis fundationis, « seu augmenti dotis. Praeterea, dum onera beneficii, etiam levissima^ « licet maximae utilitatis fidelium, nolunt portare, tamen assistendi fun-r « ctionibus ab ecclesia sui tituli peragendis, sive fundatis, sive adven- « titiis, necnon et stipendia iisdem assignata percipiendi, ius exigunt.

« Ut igitur tutius in- hac re procedere valeat, postulat reverenter « Episcopus Orator resolutionem trium dubiorum sequentium; nimirum:

« I° Utrum liceat clausulam apponere in limine fundationis bene- « ficii, vi cuius primus obtentor liber sit ab oneribus beneficio adnexis « rite ferendis, etiam cum agitur de oneribus quae alicui ecclesiae paro- « chiali vel fidelis populi necessitati respondeant.

« Et quatenus affirmative. 2° Utrum beneficiatus primus obtentor, « dum onera non implet, ius habeat assistendi functionibus suae eccle- « siae sive fundatis sive adventitiis, necnon et stipendium pro his per- « cipiendi.

« Quatenus negative ad secundum. 3° Utrum sustineri possint clau- « sulae contrariae olim adiectae in limine fundationis et ab Ordinariis « approbatae ».

ANIMADVERSIONES *(ex voto Consultoris).* - Gum res de qua agitur resolvenda sit iam novo Codice publicato et sub illud tempus, quo, finita legis vacatione, Codex plenam vim obligandi obtinuit, considerari debet tum sub respectu ad novum Codicem, maxime in ordine ad novas fundationes, tum sub respectu ad ius praecedens, praesertim quoad

beneficia iam sub praecedenti iure fundata. Sedulo tamen in utraque consideratione distinguendum est inter veram beneficii nondum exsistentis fundationem, et augmentum dotis pro beneficio iam fundato oblatum.

Quoad beneficia futuro tempore fundanda, excludenda penitus est a fundatione quaelibet conditio, qua fundatori reservetur *ius patronatus,* licet possint ipsi concedi suffragia ipsius liberalitati proportionata (can. 1459). Quo excluso, iam cetera consideranda sunt, quae in dubium veniunt sive quoad beneficia iam fundata sive quoad fundanda, attendendo primo loco *fundationem beneficii,* deinde *augmentum dotis.*

T. *Quoad fundationem beneficii* translatitium in iure est, in statuenda lege fundationis alicuius beneficii plurimum deferri fundatorum voluntati, ut ii alliciantur et non retrahantur a fundationibus. Erectio enim beneficiorum favorem Ecclesiae continet; siquidem tendit ad augendum cultum divinum et Ecclesiae decus, tum ob novos actus cultus divini qui erunt a beneficiato ex obligatione ponendi, tum etiam quia bona,, in hunc finem oblata, Deo dicantur et ex temporalibus veluti sacra et spiritualia efficiuntur. Quae commoda obtinenda causa sunt, cur fundatoribus etiam conditiones iuri communi contrarias in tabulis fundationis apponere permittatur (Barbosa, *De episc,* p. Iii, alleg. 71, n. 39; Lotterius, *De benefic,* lib. 1, q. 32, num. 14 sq.; De Luca, *De benefic,* disc. 95, num. 10). Quam facultatem admittendi conditiones etiam iuri communi contrarias Episcopis agnovit explicite Codex, can. 1417, ubi tamen illa limitatione circumscribitur, quod agatur de conditionibus honestis et naturae beneficii non repugnantibus. Ceterum haec limitatio etiam de iure praecedenti erat intelligenda, ubi pariter erant exclusae conditiones impossibiles aut contradictoriae, conditiones turpes et conditiones contra substantiam beneficii; quia qui contra substantiam beneficii legem meditatur, utique destruit quod agit, velut si beneficiato ini» ponatur obligatio alteri cedendi quidquid ex beneficio percipit (Lotterius, 1. c, num. 26 sq.).

Age vero, in casu, prima illa conditio, quod fundator obtineat prima vice beneficium a se fundatum, non est conditio turpis aut beneficii naturae repugnans, ut est manifestum. Orator quidem timuisse videtur ne sub hac conditione lateret *simonia* attendens fortasse Benedictum XIV in *Institut, canonie,* num. 95 et resolutionem huius S. C. in causa Alexandrina, *Augmenti dotis,* a. 1686, ab eodem relatam. Attamen ille timor caret fundamento; quin immo eo loco Benedictus XIV, n. 6-sq. contrarium expresse defendit innixus auctoritate Pitonii; nec allegata causa Alexandrina facit ad rem, ut optime ibidem prosequitur Benedictus XIV, quia in illa causa non agebatur de fundatore, sed de alio clerico

desiderante obtinere beneficium iam fundatum, qui augmentum dotis offerebat, non Episcopo, sed patronis, conventione cum eis inita, ut se propter promissum augmentum dotis praesentarent; qua in re, bonis temporalibus oblatis, intendebat obligare patronos ad sui praesentationem, cui conventioni merito visa est subesse labes simoniaca. At in casu, ut ibidem discrimen ostendens prosequitur Benedictus XIV, agitur de conditione posita ab ipso fundatore et per Episcopum acceptanda, ut illi prima vice liceat habere beneficium; bona autem offeruntur Ecclesiae, ut Ecclesiae in perpetuum serviant in augmentum cultus divini per beneficiatum, qui illis bonis sustentetur, procurandum. Et mirum profecto esset, intercedere labern simoniacam ea in re, quam novus Codex ratam habuit cum tamen voluit in futurum abolitum iuspatronatus. Ita enim statuitur can. 1450, § 2: Ordinarius potest *fundationem beneficii admittere ea adiecta conditione, ut beneficium prima vice conferatur clerico fundatori vel alii clerico a fundatore designato.*

Secundo loco, est quidem contra ius, quod beneficiatus obtinens beneficium onera beneficio adnexa non impleat, ut est manifestum : beneficium enim datur propter officium; at quod determinatus beneficiatus, v. gr. fundator ipse, qui simul est primus beneficii obtentor, non teneatur ad onera beneficii implenda, non est conditio turpis nec contra naturam beneficii, ideoque a fundatore, cui datur conditiones etiam contra ius opponere (can. 1417), in lege fundationis id statui potest. Sane non repugnat naturae beneficii, quod beneficiatus per dispensationem liberetur ab oneribus beneficio adnexis, v. gr. canonicus per aliquod tempus dispensetur a lege residentiae et officii choralis, dum tamen interim percipit beneficii fructus ; quae dispensatio, si naturae beneficii repugnare*,, dari non posset. Item saepe admissum est, ut fundator sibi reservet pensionem ex bonis pro fundatione oblatis, cum tamen nullam impleat obligationem beneficio adnexam ; quam reservationem pensionis expresse agnoscit Codex, can. 1455, num. 2. Praeterea agnoscitur fundatori facultas in limine fundationis apponendi conditionem, ut ad illud possit praesentari etiam infans, qui profecto dum ad congruam aetatem non pervenerit, non poterit onera beneficii implere (Pargna, *De iure patronatus,* Pars II, can. 27, caus. III, n. 31,40; Lotterius, *De re benefic,* lib. I, q. 32, n. 17, 19, 34 sq.; Barbosa, *Ad Concil. Trid.,* sess. 25, c. 6, num. 7, *de reformat).*

Atque haec multo magis valent in casu, in quo ageretur de capellanía pro celebratione missarum, quas sibi applicari fundator rationabiliter potest nolle, nisi postquam e vita decesserit, ideoque potest velle ut ipse primus beneficii obtentor, non teneatur missas *pro se* celebrare.

Deinde, quoad ipsum servitium Ecclesiae praestitum per missam in ea celebratam, potest fundator velle ut illud servitium non praestetur nisi post eius mortem ; qua in re nulla est differentia cum casu quo testator relinquit bona, ut ex illis fundetur capellanía sed nonnisi post mortem filii. De facto, in casu, nihil aliud fit nisi fundari capellaniam, sed cum reservatione fructuum usque ad mortem fundatoris. Quae reservatio potest omnino honeste fieri, et Ecclesia, licet non immediate, durante vita fundatoris qui primus obtinet beneficium, sed utique postea, et quidem perpetuo, obtinebit magnum commodum augmenti cultus divini ratione beneficii in ea perpetuo fundati. Ergo undequaque res spectetur nihil est, cur non possit fundator hanc apponere conditionem.

Relate ad tertium punctum, seu ad participationem fundatoris in emolumentis adventitiis, velut in funeribus aliisque similibus, profecto, si fundator ecclesiae in beneficio a se fundato serviret, nulla esset ratio cur ea participatio fundatori denegaretur; ut enim in iis emolumentis partem habeant prae ceteris clerici servitio ecclesiae addicti, ratio est hoc ipsum servitium ecclesiae praestitum; quae ratio quidem in hypothesi servitii non praestiti locum non habet. Aliunde tamen negari non potest, quod fundator, prima vice beneficium a se fundatum obtinens, licet servitium ipse ecclesiae non praestet, habendus tamen sit ut ecclesiae *benefactor,* cui, relinquens beneficium a se fundatum, perpetua quadam ratione in augmentum cultus divini contribuit et perpetuo sustentat beneficiatum, qui ad participationem adventitiorum admittetur. Qua ex ratione, admissio fundatoris ad participationem adventitiorum coniuncta cum servitio propter quod adventitia obtinentur, licet debita non dicatur, aequa tamen vere dici potest.

Iam vero, antequam Episcopus fundationem oblatam acceptet, debet vocare interesse habentes, prout in casu sunt ceteri beneficiati ecclesiae, iisque auditis debet ponderare, utrum detrimentum quod patiuntur ceteri beneficiati in eo quod fundator admittatur ad funera, ad anniversaria ceterasque functiones, compensetur sufficienter per augmentum perpetuum cultus divini obtentum in fundatione novi beneficii; si ita iudicet, potest Ordinarius pro suo iure fundationem etiam cum illa conditione acceptare.

Concludendum igitur est, si in limine fundationis admissa est illa conditio, quod fundator admittatur ad funera, anniversaria ceterasque functiones, unde emolumenta adventitia percipiuntur, hanc conditionem valere ac sancte servandam esse. Episcopum tamen esse liberum in reiicienda illa conditione, quae praetendatur apponi in lege fundationis, si existimet inde tale detrimentum obvenire ecclesiae ceterisque eiusdem

beneficialis, quod perpetuo augmento cultus divini per fundationem novi beneficii procurato non ex aequo compensetur.

II. De *casu augmenti dotis.* Ius constitutum de re hoc erat, quod iuspatronatus non acquireretur, nec *patronus,* sed tantum *benefactor* ecclesiae fieret et diceretur, qui ecclesiae iam sufficienter dotatae novos tribueret reditus, etiamsi maiores essent, quam illi, qui primitus pro sufficienti dote fuissent assignati; eo quod patroni fierent, non propter quantitatem rei donatae, sed qui primum ecclesiam seu beneficium, quodammodo a non esse ad esse sufficienti donatione seu dotatione perducerent. Si tamen dos primitus data omnino periisset, tunc antiquus patronus iuspatronatus amittebat, quod adquirebatur ab illo, qui de novo sufficienter beneficium dotasset (Reiffenstuel, lib. III, tit. 38, n. 9; Pirhing., h. t., n. 9; Fagnanus, in cap. « Quoniam », 3, h. t, n. 59, in cap. « cum propter », 27, h. t., num. 67; Lambertini, De *iure patron.,* lib. I, part. I, quaestio 5, art. 12).

Admittebatur quidem iuspatronatus etiam occasione augmenti dotis acquiri posse, si tamen dimidia saltem dos constituatur, sed statuebatur in hoc casu iuspatronatus haberi *ex indulto Apostolico,* pro quo obtinendo augmentum dotis erat *causa motiva* sive impulsiva (Garcia, De *benefic,* part. 5, cap. 9, n. 127; Lotterius, De *re benefic,* lib. Il, qu. 7). Unde infertur, ex sola auctoritate Episcopi, augmentum dotis admittentis, iuspatronatus dotem augenti etiam ex dimidia parte, deferri non potuisse.

Quamobrem si dubia ab Episcopo Gerunden, proposita etiam intelligenda sint de casu quo agatur, non de nova fundatione, sed de solo augmento dotis, quae circumstantia ab Oratore ponitur in precibus, reticetur tamen in dubiorum formula, liquet praeiudiciale responsum negativum dandum esse ad omnia dubia quoad beneficia, in quae futuro tempore intendantur acquiri ex augmento dotis iura, quae conceduntur fundatoribus. Relate vero ad beneficia praeterito tempore per augmentum dotis in vitam restituta, cum nosse non possimus circumstantias cuiusque beneficii, et utrum intervenerit in singulis casibus beneplacitum Apostolicum, recurrendum erit in singulis casibus: nam quae a praecedentibus Episcopis admissa et approbata sunt, rite facta et approbata censeri debent, nisi in casu particulari contrarium probatum fuerit.

RESOLUTIO. - Die 13 iulii 1918 Sacra Concilii Congregatio, in plenariis Emorum ac Revm or u m Patrum comitiis, in Palatio Ap. Vaticano habitis, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad IT. Concedi posse, dummodo nihil obstet ex parte interesse habentium.

Ad III. Provisum in praecedentibus.

Facta autem de praemissis SSmo Dno Nostro Benedicto Div. Prov. PP. XV per infrascriptum S. C C . Secretarium relatione, in Audientia insequentis diei, Sanctitas Sua datas Emorum Patrum resolutiones approbare et confirmare dignata est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

BRIXIEN.

DECRETUM SUPER INTRODUCTIONE CAUSAE BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI INNOCENTII A BERTIO, SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPÜCCINORUM.

In oppido Niardo Camuniae Vallis, intra fines dioecesis Brixiensis, die 19 martii anno 1844, a piis honestisque parentibus Petro Scalvinoni et Francisca Poli ortum duxit Dei Famulus innocentius a Bertio,sacerdos professus Ordinis Minorum Capuccinorum. Infanti nomen Ioannis in sacro fonte inditum fuit, eiusque nativitas breve gaudium in familia tulit, quia conversum in luctum ob immaturum patris obitum. Inde pueri educandi omnem curam suscepit mater quae, perspecta egregia filioli sui indole, ad pietatem bonosque mores animum facilius informavi!. In eo elucebat obedientia et reverentia matri, a puerilibus ludis abstinentia, ad templum frequentia: et oratio, et singularis humanitas et misericordia in pauperes, quos cibo sibi subtracta et stipe collecta saepe reficiebat. Brixiensis episcopus Verzeri, quum illum vidisset et audisset, admiratione captus, veluti bonae spei puerum parocho commendavit, ioannes, cum genitrice Bertium re versus, litterarum rudimentis operam navavit, in quibus peculiare specimen dedit diligentiae et ingenii ad altiora studia bene dispositi. Quapropter, curante matre, in Convictum Luerensem missus fuit, ubi inter alumnos et condiscipulos virtute et studio praestitisse Praeses aliique Superiores testantur. Bonum

semen ita succrevit, ut ecclesiasticae vocationis, Deo adiuvante, fructus oriretur. Ipse enim postulavit ut e collegio laicorum ad Seminarium clericorum transferretur. Voti compos factus, mense novembri 1861, Brixiense Seminarium ingressus est, ibique, disciplinae observantia et virtutum splendore fulgens, scientiis theologicis et canonicis diligenter incubuit, prout ex actis eiusdem Seminarii colligitur. Vertente anno 1867, sacerdotio insignitus, parocho loci *Cevi* adiutor a Superioribus destinatur; et, licet aetate iuvenis et ministerio neophytus, tamen veluti provectus et maturus sacerdos curionis officia per biennium gerit. Quam auxiliarem operam, per annum intermissam ob munus vicerectoris in Seminario Brixiensi sibi concreditum, pari studio et diligentia ipse resumpsit et per quadriennium praestitit parocho Bertii, ubi gratam et perennem sui memoriam ac desiderium cunctis reliquit. Ioannes enim, a Bertio discedens, frequenter visitabat Capuccinorum coenobium in adverso monte situm et ecclesiam continentem, a titulo et a proximo oppido Borno *Annuntiatae Borni* appellatam. Hinc paulatim arcanam quandam sensit vocem de perfectioris vitae statu amplectendo in illo religionis claustro, eamque simpliciter et candide suis pandidit Superioribus. Isti, aegre ferentes tam validum Ecclesiae ministrum, dioecesi Brixiensi pretiosum, amittere, complures obiiciunt difficultates. Sed ioannes, firmus et constans in proposito, hisce difficultatibus solutis obstaculisque superatis,-vocationem religiosam secutus, mense aprili anno 1874 a Patribus Capuccinis memorati coenobii in tyrocinium admittitur, quo feliciter expleto et elapso triennio solemnia vota profitetur, die 2 maii anni 1878. In saeculo Ioannes, in religione Innocentius a Bertio, in praefato loco et coenobio fixum habuit domicilium, etsi brevi Mediolani et Cremae consisteret. Seraphici Patris legiferi discipulus et filius, humiliora semper praetulit officia. Ex obedientia libentissime accepit recteque gessit munera vicepraefecti tyronum et grammaticae magistri alumnorum Ordinis; utrisque iugiter inspirans vitae sanctitatem morumque candorem cum perfecta fide et amore ardente in Christum crucifixum et Deiparam Virginem. Insuper ad Superiorum nutum per finitima oppida parochis opere et sermone auxilium praebuit, sacris confessionibus audiendis et pauperibus evangelizandis, iuxta morem Franciscali Familiae praedilectum. Eius vitae austeritas omnino singularis fuit. Pietas autem sodalibus et extraneis mirifice patebat tum per *Viam Crucis* quandoque pluries in die ab eo iteratam, tum per rituum observantiam in Officio et Missa et per adorationem Augustissimi Sacramenti, tum per marialium precum frequentiam ad altare Beatae Mariae Virginis. Sanctae vero Ecclesiae addictissimus filius ac minister,

eam summopere diligebat, atque magistram, reginam, matrem et opus Dei appeltabat. Pro Ipsa, sicut pro Romano Pontifice, férvidas Deo Optimo Maximo preces offerre solebat, potissimum in illa temporum tempestate, animo et spe firma confisus divini Redemptoris et fundatoris promissis: « Portae inferi non praevalebunt adversus eam». Exeunte anno 1889 sacras exercitationes religiosis capuccinis Mediolanensis familiae praedicavit. Missus deinde Albinum apud suos coenobitas, idem ministerium peregit, quod tamen intermittere cogitur, ob gravem morbum quo corripitur. Statim Bergomum delatus, ut in illo Gapuccinorum coenobio curaretur, ingravescente morbo, sacramentis Ecclesiae refectus, pie obiit in Domino die tertia martii anno 1890. Exequiis, secundum Ordinis morem, rite persolutis, eius corpus eo in loco religiose tumulatum est, donec post septem circiter menses, die 29 septembris, Bertium translatum, ibidem, iuxta Bertiatum vota, depositum, in pace quiescit. Interim fama sanctitatis Servi Dei in vita et post obitum magis in dies clarescente, Processus super ea Ordinarius Informativus in ecclesiastica Curia Brixiensi confectus et absolutus, Romam ad Sacram Rituum Congregationem transmissus fuit. Instante autem Rmo P. Raphaele a Vallefinaria, Ordinis Minorum Capuccinorum postulatore generali, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum, necnon Capituli Cathedralis Ecclesiae Brixiensis, parochorum et Familiarum religiosarum in dioecesi Brixiensi aliisque fmitimis existentium, rogantibus etiam Municipiis clarisque viris et familiis Camuniae Vallis, quum, etiam scriptis Servi Dei perquisitis et revisis, nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit, Emus et Rmus Dnus Cardinalis 'Ianuarius Granito Pignattelli di Belmonte, Episcopus Albanensis et huius Causae Ponens seu Relator, in ordinario sacrorum rituum Congregationis coetu subsignata die ad Vaticanum coacto, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam R. P. D. Angelo Mariani Fidei promotore generali, omnibus accurate perpensis, respondendum censuerunt: *Signandam esse Commissionem introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 14 ianuarii 1919.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habuit propriaque manu signare dignata est Commissionem Introdu-

etionis Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Innocentii a Bertio, sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, die 22 eisdem mense et anno.

i$l A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
..• *S. B. G. Praefectus.*

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

ANDEGÀVEN.

DECRETUM SUPER INTRODUCTIONE CAUSAE BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII SERVI DEI NATALIS PINOT, **PARÖCHt** VICI « LOUROUX-BÉCONNAIS ».

Causae Servorum Dei martyrii fama praestantium postremis hisce temporibus apud sacrorum rituum Congregationem introductae, christifidelium vivam excitant memoriam et cogitationem in evangelicis divini Redemptoris sententiis, tam de praenuntiata adversus Ecclesiam eiusque filios persecutione, quam de beatitudine cum regno caelorum promissa iis qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Altera nunc accedit similis Causa Dei Famuli Natalis Pinot, parochi saecularis oppidi *Louroux-Béconnais,* qui Andegavi, in odium Fidei, uti fertur, interemptus est, die 21 februarii anno 1794. Hic Dei Famulus, in eadem Andegavensi civitate natus die 19 decembris anni 1747 et in ecclesia S. Martini postero die baptizatus, a parentibus Renato Pinot et Claudia La Grois pietate et religione in primaeva aetate imbuitur. Puer et adolescens congruis disciplinis litterariis et sacris eruditus, dignusque a Superioribus habitus, ad sacerdotalem Ordinem et dignitatem evectus est. Sacrum ministerium in loco *Bousse* primum exercuit, et, anno 1776 usque ad annum. 1781 vicarii munere in paroecia loci *Corzé* functus,- postea Incurabilium nosocomio Andegavensi, prope paroeciam S. Martini, praeficitur. Ibi se totum devovet multiplici aegrotantium bono, officii sui potissimum spiritualis observantissimus. Aliquot post annos, parochus vici *Louroux* renuntiatus, magis emicuit caritate in proximum et zelo animarum. Quum vero anno 1788 beneficium parochiale in oppido *Louroux-Béconnais* vacaret, Capitulum: cathedralis ecclesiae S. Andreae Ap., patronatus iure fruens, Natalem Pinot unanimi suffragio ad eiusmodi beneficium elegit, et Episcopus Andegavensis auctoritate sua ordinaria confirmavit. Die 14 septembris, in festo exaltationis S. Crucis,

eodem anno, Dei Famulus hancjnysticam vineam ingressus, eam impenso studio ac labore coluit et servavit incolumen ab insidiis et vastationibus impiorum. Admirabilis in eo fuit cura et vigilantia sui gregis et sigularis industria caritatis qua egenos et pauperes victu et vestitu sublevabat. Decurrente anno 1790 Conventus Nationalis, spreta et contempta quavis iustitiae et libertatis forma, constitutionem civilem cleri, regis sanctione munitam, die 27 novembris, promulgavit, qua Episcopi et sacerdotes, curam animarum habentes, ad iusiurandum schismaticum ferendum sub poena remotionis a beneficio cogebantur. Haec autem sacrilega constitutio a Romano Pontifice Pio VI, fel. rec, per Acta *Quod aliquantulum* diei 10 martii 1791 et *Charitas quae,* diei 13 aprilis 1791, solemniter damnata fuit, et iusiurandum, per eam impositum, illicitum declaratum. Hisce in adiunctis Dei Famulus, semel iterumque ad iusiurandum [iuxta Constitutionem adactus, constanter se recusavit, adiungens se, tuta conscientia et salvis Ecclesiae legibus, id facere non posse. Hoc fusius consignatum est publicis documentis et relationi qua Communitas loci *Louroux* Natalis Pinot parochi damnationem expetebat. Inde ab oppido *Louroux-Béconnais* per satellites ad urbem Andegavensem deductus, in ius vocatus et accusatus, etsi nemo responsis eius resistere posset, tamen iudicum sententia, a superiori tribunali confirmata, per duos annos a sua paroecia interdictus fuit. Interim Dei Famulus ministerium suum non intermisit, felicique exitu adlaboravit, ut aliqui sacerdotes, qui inconsiderate schismaticum emiserant iuramentum, postea, facta publica retractatione, ad bonam frugem reducerentur. Expleto biennio et favente victoria quam catholici illius Vandeae regionis in suae fidei et religionis tutelam armis reportarunt, ipse, die 23 martii anni 1793, ad suam paroeciam rediit, ingenti suorum fidelium gaudio et laetitia acceptus et hònoratus. Verum mox, commutata fortuna et catholicis copiis oppressis, persecutionis aestus magis exarsit, quin tamen a paroecia amovere potuerit pastorem bonum, paratum potius mori quam gregem deserere. In illa temporum rerumque tristitia Dei Famulus nunquam destitit ab officio parochiali rite obeundo; et, peculiari usus facultate, extra terminos paroeciae in villis et oppidis finitimis legitimo pastore spoliatis suum ministerium salutariter peregit. Pluries, etiam modo singulari, militum inquisitiones effugit, sed tandem, fortis athléta, iam praemio dignus, in manus inimicorum incidit, ut in extremo certamine victor coronaretur. Die enim 21 februarii anno 1794 Dei Famulus, ingrati hominis proditione comprehensus, et contumeliis ac vexationibus tentatus ob intrepidam iniqui et schismatici iuramenti negationem, summaria et pene nulla iudicii forma servata, capitis abscissione damnatur.

Eadem die, sacris vestibus indutus, fidelis Christi servus ac sacerdos ad aram sacrificii sui laetus ascendit, sanctisque verbis prolatis: *Introibo ad altare Dei,* per manus carnificis capite plexus, semetipsum offert propter iustitiam, in caelis cum ipso Christo regnaturus. Interim opinio sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere Servi Dei in vita et post obitum clara, una cum martyrii fama coniuncta et ad haec usque tempora perseverans, Processum Ordinarium Informativum super his omnibus in Curia ecclesiastica Andegavensi provexit ac peperit; atque acta processualia absoluta ad sacram rituum Congregationem transmissa sunt. Servato autem iuris ordine, quum omnia in promptu sint et nihil obstet quominus ad ulteriora procedatur, instante Rfíio P. Francisco Xaverio Hertzog, societatis S. Sulpitii procuratore generali et huius Causae postulatore legitime constituto, attentis litteris postulatoriis Emi et Rmi Dñi Cardinalis Ludovici Iosephi Luçon, archiepiscopi Rhemensis, Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum Galliae, praesertim Andegavensis universitatis catholicae Patronorum, necnon Capitulorum ecclesiarum cathedralium, parochorum, superiorum ac professorum tum Seminariorum tum Universitatis catholicae Andegavensis, aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, Emus Revmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannuteili, episcopus Ostiensis et Praenestinus, Sacri Collegii Decanus et praesentis Causae Ponens seu Relator, in ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis subsignata die ad vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani Fidei promotore generali, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 14 ianuarii 1919.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Natalis Pinot,, parochi vici *Louroux-Béconnais,* die 22 eisdem mense et anno.

i$i A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. % S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA ROTA

VICARIATUS NYANZAE SEPTENTRIONALIS

NULLITATIS MATRIMONII (MULIUNYA-ALIBADZEWA)

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die 10 maii 1918, RR. PP. DD. Guilemus Sebastianeiii, Decanus, Ponens, *Ioannes Prior et Aloisius Sincero, Auditores de turno, in causa* Vicariatus Apostolici Nyanzae Septentrionalis, *Nullitatis matrimonii, inter* Laurentium Muliunya *et* Domitillam Alibadzewa, *repraesentatam per procuratorem ex officio deputatum, Thomam Ambrosetti, advocatum, interveniente et disceptante in causa Revmo Vinculi Defensore, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Saeviente Mahumedanorum bello in illa Africae parte, quam Ugandam appellant, annis 1887-1888 Laurentius Mulinuya (alias Kitagenda), vir infidelis, quatuor rapuit mulieres, inter quas aderat Domitilla Alibadzewa, 15 vel 16 annos nata. Divina adiuvante gratia, Laurentius et Domitilla petierunt adscribi catechumenatui; et die I° aprilis anni 1893, cum reliquae tres mulieres fugam arripuissent, baptizati sunt. Antequam vero baptismalibus aquis abluerentur, coram Missionario aliqualem consensum matrimonialem manifestarunt. Domitilla novem filios edidit, qui lucis ipso in limine moriebantur, quod in causa fuit, ut ipsa ex^ parte familiae viri vexationibus subiceretur. Recursum habuit infelix mulier ad Missionarium, continuo repetens se non esse uxorem Laurentii, sed captiva m, et unum tantum desiderium fovere, reperiendi videlicet parentes, ad quos aufugiens a dominatione Laurentii liberantur. Querelae Domitillae delatae fuerunt Vicario Apostolico, qui animadvertens scandalum inter fideles oriri, si Laurentius et Domitilla post longam cohabitationem ad invicem separarentur, ipsis praecepit, ut consensum matrimonialem renovaren!. Renuens mulier mandatis Vicarii obtemperare, Eucharistiae sacramento, quo quotidie reficiebatur, privata est. Post duos menses, viribus fracta, una cum Laurentio se sistit coram Missionario P, Laane, qui matrimonio benedixit in sacristia,

unico teste praesente a Laurentio designato. Post annum Domitilla ab amicis notitias suorum parentum accepit et, reperto deinde fratre, cum eo aufugit numquam reversura. Vir iuxta loci consuetudines omnia peregit, ut vita coniugalis restauraretur; quae cum in irritum cessissent ob mulieris repugnantiam, causa nullitatis matrimonii intentata fuit apud Curiam Vicariatus Nyanzae. Processus tamen non fuit ad iuris normam instructus; quare die I° augusti anni 1915, ab H. S. Auditorio rescriptum fuit: *Dilata; interim scribatur Vicario Apostolico, ut novum instituat processum suppletorium, interrogationesque peragat, prouti adnotatur in folio epistolae adnexo.* Quibus expletis, nunc causa discutienda proponitur sub consueta formula dubii: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Ius quod spectat. Neminem latet matrimonium initum sub metu gravi, extrinseco, iniusto et directo ad extorquendum consensum esse nullum ex iure ecclesiastico ob claram et explicitam dispositionem cap. 14, tit. *De Spons. et Matrim.* An vero irritum quoque sit ex iure naturae, disputatur inter theologos et canonistas. Sunt multi et graves auctores, uti Sánchez (De *matrim.,* lib. IV, disp. 14, n. 2), Schmalzg. (in tit. I, lib. IV, n, 405), Fejc *(De impedim. matrim.,* n. 136), Gasp arri *(De matrim.,* n. 811), Pirhing, ßilluart, aliique, qui tenent coniugia esse invalida ex sola lege positiva Ecclesiae, ex eo praesertim, quia metus, utcumque gravis et iniustus, non irritat reliquos contractus. Alii ex adverso, uti Reiffenstuel (in tit. XL, lib. 1, n. 18), Ballerini-Palmieri *(Theol, mor.,* pag. 570), Aichner, Rosset et Scherer cum Divo Thoma sustinent matrimonium esse nullum ex utroque iure, ecclesiastico et naturali. Hanc sententiam melius fundatam appellat Wernz *(Ius Decretalium,* tom. IV, n. 266, in fine). Hac extante opinionum diversitate, pl. Santi, instituens in *suis Praelectionibus* (lib. IV, n, 115 et sq.) quaestionem, quinam subiiciuntur impedimentis matrimonialibus, tradit infideles probabiliter ligari impedimento metus; quod docet etiam Gaspard (loc. c., n. 27). Sibimetipsi enim petit: « Matrimonium inter infideles « metu initum haberi ne debet uti validum propter favorem matrimonii, «aut uti nullum propter favorem partis metum passaef».Et respondet, ni fallimur, applicandam esse responsionem datam ab Urbano VIII P. De Lugo, postea Cardinali, videlicet, ubi Doctorum sententiae utriusque probabiles intercedunt, illa amplectenda est sententia, quae pro conditione locorum et hominum barbaris est favorabilior.

Ab impedimento vis et metus non distinguebatur iure Decretalium impedimentum raptus. Innocentius enim III (in cap. 17, tit. *De raptoribus* matrimonium inter raptorem et raptam etiam uti licitum permisit,

si prior dissensio transisse! in consensum, i. e. si libere consentiat illa pars, cui per raptum metus incussus fuit. Concilium vero Tridentinum constituit matrimonium inter raptorem et raptam esse nullum, quamdiu rapta sit sub raptoris potestate. Huic autem legi tridentinae non subiici infideles clarum est.

Modo ad factum. Primo loco Patres putarunt instituendam esse quaestionem, an Laurentius et Domitilla an. 1893, antequam baptismum reciperent, matrimonium inter se contraxerunt. Hoc affirmat solers Vinculi Defensor; scribit enim: «Cum ille (Laurentius) salutari unda « ablui cogitavit et inter catechumenos se adscripsit, unam Domitillam « Missionario tamquam suam mulierem designavit, quae inducta etiam « fuit pro baptismo una cum ipso suscipiendo. Missionarius vero, ante- « quam utrumque ab originali labe lavaret, interrogavit ex professo, an « matrimonio ad invicem consentirent, cui Domitilla et Laurentius pleno « et distincto accesserunt consensu ». Verum, quidquid sit de Laurentii consensu, certum est Domitillam libere matrimonio non consensisse. Tpsa enim sic rem enarrat: « On me demanda si j'acceptais mon mari. « " Il m'a pillée, répondis-je, et je suis devenue sa femme. Je veux bien - « rester avec lui „ ». Et interrogata: « Au fond du coeur quelle était ta « pensée?» respondet: «Je songeais, qu'une fois ma famille retrouvée, « je partirais ». In altero autem interrogatorio haec habet : « J'acceptais « la situation telle quelle : qu'aurais-je fait, n'ayant pas des parents sous « la main? Lorsque je vis mes compagnes s'en aller, je pensai: "Moi « aussi, quand je verrai mes parents, je me sauverai „ ». Quare Domitilla suo consensu matrimonio non accessit, sed tantum passa fuit conditionem, in qua versabatur, animo parata e domo aufugiendi statim ac parentes reperirei; si enim aufugisset non repertis parentibus, « celui, « ut ipsa animadvertit, chez lequel je me serais enfuie, m'aurait vendue « au loin, ce qui aurait été pour moi la pire chose ». Quod confirmat Laurentius: « Du reste où serait-elle allée? Une femme qui n'a pas de « famille, ne fait que changer de maître».

Nullitatem matrimonii fatentur ipsi Missionarii. Pater enim Laane deponit: « Je ne voyais dans ce cas aucun mariage, puisque Laurent, « autant que je m'en souviens, avait eu cette femme à la guerre ». Et referens in libro matrimoniorum novum coniugium initum die 25 octobris anni 1901, haec verba adiecit: « concubinage arrangé ».

Posito quod ante baptismum Laurentius et Domitilla in verum matrimonium, seu in individuam vitae consuetudinem non consenserint, videndum nunc est, an saltem valide contraxerint'anno 1901.

In specie diximus quod, exortis discordiis Laurentium inter et Domitiliam, haec ab illo divertere cupiebat. Res delata fuit ad Vicarium Apostolicum qui, « à cause du scandale qui résulterait de leur séparation » mandavit Domitillae ut nuberet cum Laurentio sub poena privationis sacramentorum. Restitit primo Domitilla, at postea cessit, uti deponit in secundo suo interrogatorio ad 4: « L'Evêque me demanda, si je vou« lais du mariage avec Laurent. Je lui répondis: " Je n'en veux pas: « je suis une abandonnée, comment eonsentirais-je à rester avec lui, qui « m'a pillée ? „. L'Evêque alors ordonna au P. Laane de me refuser les « sacraments pour la raison que je refusais le mariage. Cela me priva « doublement, parce que j'avais l'habitude de les recevoir, et puis, parce « que je ne retournai pas au village, mais restai à la maison. Et puis, « qu'est-ce que c'est que la religion sans les sacrements? C'est comme « si tu n'en avais plus. De guerre lasse, je consentis à ce qu'on vou« lait de moi ». Igitur Domitilla non libere, sed coacte consensit matrimonio. Quod testatur etiam P. Laane: « Elle a accepté parce que Mon« seigneur lui refusait les sacrements», et confirmat testis Tibuiianga: « Ce pourquoi Domitilla consentit à l'union le voici, c'est le refus des « sacrements ». Haec autem coactio iniusta fuit et gravis. Iniusta quidem, quia Domitilla, quae non solum animum a versum in Laurentium,.- sed causas etiam rationabiles habebat ab eo divertendi, non poterat cogi ad matrimonium -ineundum sub praetextu, quod scandalum ex ipsorum separatione exortum fuisset inter fideles. Fuit etiam gravis, nam ex una parte Domitilla erat « très douce et sérieuse », parata ad obediendum in omnibus Vicario, « même quand'il m'ordonnait de porter « un fardeau »; ex altera malum minitatum, i. e. privatio sacramentorum, pro ipsa grave erat, quia solita erat quotidie refici sacramentis, uti superius vidimus, et confirmat Laurentius deponens: « Domitilla était « une chrétienne assidue à la reception des sacrements; aussi est-ce « le seul refus qu'on lui en fit que la décida à m'accepter ».

Nec alio modo Domitilla agere poterat; adhuc enim notitiis carebat parentum, quos si reperiisset, certum est quod consensum non rénovasse!: ait enim Laurentius: « Ce qu'il y a de certain, c'est que sielle « avait retrouvé ses parents avant le mariage qu'on nous demanda de « renouveler à l'église, jamais elle ne s'y serait prêtée ». Nec ab aliquo praesidium aut consilium petere poterat; nam ipsa deponit: « Si le Père « Roche était resté là, lui, qui m'avait baptisée, j'aurais eu recours à « lui. Mais on venait juste de lui donner une autre destination. Je n'en « connaissais aucun autre intimement ». Hisce in adiunctis, prosequitur Domitilla, « nous fumes unis à la sacristie. Je refusai d'apporter mon

«témoin». Et cum Daniel Tibaiianga ab ea petiisset: «Pourquoi elle « n'avait pas amené de témoin? » respondit: « Aussi bien on me force « à ce mariage ». *

Contracto matrimonio sponsa continuo repetebaf: « Décidément les « Pères m'ont imposé un joug que je ne pourrai pas porter... Nous « avons été unis de force ». Imo cogitaba! de fuga capessenda, et revera post annum, reperto fratre Michaele Zache, cum eo aufugit. Sponsus, uti acta referunt, nil omisit, ut Domitillam ad se revocaret, at inutili prorsus conatu. Etenim praefatus Daniel Tibaiianga deponit: Actuel- « ement la femme n'a qu'un refrain: "Même s'il me donne 200 rupies « de dommages et intérêts, je ne rentre pas chez lui „ ». Et alter Domitillae frater, Marcus Alideki, refert: « Tout ce que je sais, c'est ceci «qu'elle va répétant: " J'ai été pillée purement et simplement; jamais « je ne rentrerai dans un mariage qui n'en est pas un, puisque jamais «je ne l'ai choisi de mon gré...,,. Elle repète sans cesse qu'elle ne «retournera pas chez Laurent ».

Haec omnia evincunt nullum fuisse matrimonium initum a Laurentio cum Domitilla die 25 octobris anni 1901.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus *constare de matrimonii nullitate in casu.*

Ita decernimus, mandantes Ordinariis locorum et Ministris Tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna, pro rerum adiunctis, exstitura sint.

Romae in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 10 maii 1918.

Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, *Ponens.*
Ioannes Prior.
Aloisius Sincero.

L. © S.

Ex Cancellaria, die 5 iunii 1918.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì li febbraio 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati ed i Consultori teologi componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto dapprima sul dubbio detto *de tuto* per la solenne Beatificazione della Venerabile Anna Maria Taigi, madre di famiglia, del Ili Ordine della SSma Trinità; e quindi sul dubbio intorno a quattro miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Venerabile Serva di Dio Lodovica De Marìilac, Vedova Le Gras, Confondatrice dell'Istituto delle Figlie della Carità, i quali miracoli vengono proposti per la beatificazione della medesima Venerabile.

Martedì 25 febbraio 1919, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Antonio Vico, Prefetto della Sacra Congregazione dei Riti, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Ven. Bernardo Maria Clausi, Sacerdote professo dell'Ordine dei Minimi, si è tenuta la Congregazione *Antipreparatoria*, nella quale dai Rmi Prelati Officiali e dai Rmi Consultori teologi si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dal medesimo Ven. Servo di Dio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

18 febbraio 1919. I RR. PP. Arturo Vermeesch e Giuseppe Steiger, della Compagnia di Gesù, Luigi di San Francesco di Paola, Passionista, Colombano Dreyer, dei Frati Minori, e Benedetto Lopez, Abate Procuratore Generale della Congregazione Cassinese P. 0., *Consultori della Sacra Congregazione dei Religiosi.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Prelati Domestici di S. S.:

22 novembre 1918. **Mons. Pietro Paolo Frick, dell'archidiocesi di Rottemburg.**
11 gennaio 1919. **Mons. Antonio Renzi, della diocesi di Sant'Agata dei Goti.**
29 » » **Mons. Alfonso Bruni, di Roma.**
2 febbraio » **Mons. Matteo Culley, della diocesi di Hexham.**
» » » **Mons. Giovanni 0' Doherty, della diocesi di Derry.**
13 » » **Mons. Gualtiero Cumming, della diocesi di Clifton.**

ONORIFICENZE

Cou Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 gennaio 1919. **Al sig. Antonio Otto, di Bruxelles.**

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 gennaio 1919. **Al sig. Stefano Otto, di Bruxelles.**
» » » **Al sig. Alfonso Otto, della medesima città.**
5 febbraio » **Al sig. Enrico Gerardo Maria van der Vijver, della diocesi di Harlem.**
12 » » **Al sig. barone Enrico Elia Lefevre, dell'archid, di Rouen.**
» » » **Al sig. Armando Denomaison, della medesima archidiocesi.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 gennaio 1919. **Al sig. Oscar Edoardo Maria Englebert, di Bruxelles.**
12 febbraio » **Al sig. Giovanni Ramaekers, dell'archidiocesi di Rouen.**
» » » **Al sig. Edmondo Henzé, delia medesima archidiocesi.**
» » » **Al sig. Giorgio Loisel, della medesima archidiocesi.**
» » » **Al sig. Michele Lagny, della medesima archidiocesi.**
» » » **Al sig. Edmondo Warnier, della medesima archidiocesi.**
» » » **Al sig. Giorgio Ysnel-Franque, della medesima^archidiocesi.**
» » » **Al sig. Ettore d'Avak, di Roma.**
15 » » **AI sig. Augusto de Toytot, della diocesi di Saint-Claude.**
» » » **Al sig. Maurizio Chipon, della medesima diocesi.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

28 gennaio 1919. **Al sig. Helì R. Telia y Cantos, della diocesi di Zamora.**
29 » » **Al sig. prof. Oronte Taccini, dell'archidiocesi di Firenze.**
5 febbraio » **Al sig. Carlo Commessmann, dell'archidiocesi di Colonia.**

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con. Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

21 novembre 1918. Mons. Francesco Fessier.
8 gennaio 1919. Mons. Antonio Giuseppe Maria Mutsaers, della diocesi di Bois-le-Duc.
» febbraio » Mons. Luigi De Piero, della diocesi di Concordia.
17 » » Mons. Raffaele Casimiri, maestro di cappella dell'Arcibasilica Lateranense in Roma.
21 » » Moas. Porfirio da Silva Mendes Cordeiro, del patriarcato di Lisbona.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa di S. S.:

29 gennaio 1919. Sig. conte Carlo de Simony, della diocesi di Digione.
Il febbraio » Sig. comm. Gugiiemo Humphrey Page, della diocesi di Bruges.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

11 gennaio 1919. Mons. Domenico Brignone, della diocesi di Pinerolo.
8 febbraio » Mons. Arcangelo Bruni, di Roma.

NECROLOGIO

1 febbraio 1919. Mons. Antonio M. Grasselli, arcivescovo titolare di Larissa, commendatore di S. Spirito.
8 » » Mons. Enrico Joulain, vescovo di Jaffha.
*lo » * »* Mons. Gennaro Costagliola, arcivescovo di Chieti.
16 » » Mons. Carlo de Csáky, vescovo di Vácz in Ungheria.
17 » » Mons. Domenico Darmanin, arcivescovo di Corfù.
Mons. Giovanni Efrem Bertreux, vescovo titolare di Musti, vicario apost, delle isole Salomoni Meridionali.

Annus XI - Yol. XI 12 Martii 1919 Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS '

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

SACRUM CONSISTORIUM

Die IO martii 1919 in palatio apostolico Vaticano habitum est Consistorium secretum, cuius Acta ex ordine referuntur:

i. - ALLOCUTIO SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

VENERABILES FRATRES

Antequam Ordinem suppleamus Episcoporum, quae potissimum causa est cur vos hodierno die convocavimus, placet vos alioqui, ut de Orientis christiani rebus Nostras pro apostolico officio curas cogitationesque vobiscum communicemus. — Orientalem quidem Ecclesiam peculiari quodam studio semper prosecuti sunt Romani Pontifices; qui cum, universitatem dominici gregis gubernantes, particularium Ecclesiarum saluti et incremento consulerent, par erat et consentaneum ut singulariter Ecclesiam foverent regionis eius quam consummata ibidem humani generis redemptio nobilitasse^ et in qua ab ipsis christianae rei primordiis iniecta apostolatus et martyrii semina praeclarissimos sanctimoniae sapientiaeque fructus genuissent. Etenim dum sancte in unitate permansit, mirifice ea floruit Ecclesia, cum huic Apostolicae Sedi eximios

Pontifices daret, cumque illa ingenii, virtutis et doctrinae lumina Basilius, Athanasius, uterque Gregorius et Chrysostomus christianum orbem illustrarent. Quae vetustatis decora Nostri decessores numquam negligere visi sunt; nec solum orientalium mores et instituta, seorsum a latinis, «conservanda, sed etiam eorum ritus, nobiles certe ac splendidos, incorrupte et integre retinendus curarunt, quo scilicet Sponsa Christi « in vestitu deaurato circumdata varietate » suam melius .pulcritudiiiem ostenderet. Quos ritus in hac ipsa Urbe, iussu nimirum et auctoritate Sedis Apostolicae, celebrari consuevisse, notum est, itemque sanctos Orientis Pontifices et Doctores in Calendarium Ecclesiae Romanae esse relatos, eorumque homiliis latinam ornatam liturgiam. Ceterum exstant pontificiae providentiae documenta non pauca vel ad prosperitatem Orientalis Ecclesiae variis modis promovendam, vel ad illas christianorum sedes tutandas quae tam crebris hostium incursionibus paterent. Nec sane hic attinet commemorare magna et paterna hortamenta Decessorum ad Ecclesias dissidentes, ut ad hoc unitatis vitaeque centrum, unde misere secesserant, reditum maturarent, et vetera illa obsequii et obedientiae in hanc beati Petri Cathedram officia répétèrent, cuius quidem Graeci Patres in Conciliis oecumenicis Ephesino et Chalcedonensi exempla dederunt luculentissima.

Nos vero, ad gubernacula huius Ecclesiae Romanae quae « radix et matrix est Ecclesiae Catholicae » ut, inscrutabili Dei consilio, collocati sumus, oculos animumque ad Orientis Ecclesias tum quae cum hac Apostolica Sede, *unde unitas sacerdotalis exorta est,* copulantur, tum quae sese ab ipsa segregarunt, studiose convertimus, et, Decessorum vestigia persequentes, utrumque habuimus propositum, alteras in pristinam dignitatem restituere, ad fidei unitatem alteras revocare.

Primum igitur Ecclesiae Orientalis negotiis tractandis propriam S. Congregationem constituimus: deinde latinis pariter et graecis, vel dissidentibus, studiorum domum aperuimus, ubi altiorem copiosioremque sibi Orientis christiani cognitionem et

scientiam comparaient. Quam domum Instituti Pontificii titulo decoravimus, peculiare ipsius suscipientes patrocinium: eius autem Congregationis Nobismet ipsis Nostrisque successoribus praefecturam reservavimus ideo ut Nostra erga Orientales esset benevolentia testatior.

Sed non satis habuimus Ecclesiae Orientalis utilitati in futurum prospicere quo quidem spectat Institutum quod diximus; omnem quoque operam Nostram operaque pro viribus contulimus ad levandam maiorum molem quibus eae gentes, quoad furor belli insedit, laborarent in Russiae finibus, in Balcanis et in ditione Turcarum. Namque hic gentem universam videbamus prope ad interneeionem redigi; illic compulsos catervatim domos deserere, sese in montes recipere ibique temporis inclementia et inedia confici; passim Christicolarum coetus dissolvi, sacerdotes eiici in carceresque detrudi, templa, coenobia, scholas, hospitia in profanos usus converti ; Ecclesiae denique bona et privatorum diripi ac dissipari. His omnibus malis, quantum in Nostra potestate fuit, mederi, nullo nationis religionisve discrimine, studuimus. Prae ceteris vero sollicitos Nos habebant Armenii itemque Syriae et Libani incolae, utpote quos frequentius deportationibus et fame torqueri atque etiam communiter trucidari videremus.

Quare pro Armeniis universis et pro iis singillatim qui capiti damnati essent, vel utcumque Nostro indigerent auxilio, Ipsi cum Imperatore Othomanico saepius egimus, aut illorum sortem vehementer iis principibus commendavimus, quorum apud ipsum magis valere deprecatio videbatur. Ita Nobis, Deo adiuvante, licuit pluribus in locis finem caedibus afferre, nec paucorum quoque necem prohibere. Interea orbitatem miserantes innumerabilem ex Armenia puerorum, eis pro facultate subvenimus, attrice domo Costantinopoli constituta.

Quod autem ad Syriaia Libanumque pertinet, ad avertendas facinorum atrocitates quae ibi timebantur/ atque ut importarentur eo res ad victum necessariae, opem pariter a pluribus Civitatum moderatoribus imperavimus. Brevi ut dicamus,

omnibus ex Oriente, quotquot in aerumnis versabantur, quantum auctoritate potuimus et re, praesto esse non cessavimus : in quo egregie admodum, qui Nostram illic personam sustinent, se Nobis probaverunt.

Postquam vero, pactis induciis, bellum conquievit, non tamen eas de Oriente Christiano curas molestiasque deposuimus. Nam ingentes rei politicae et socialis perturbationes, et nationum inter nationes certamina, nimium quantum civilem religiosamque vitae consuetudinem impediunt, maxime in re,-gionibus hucusque Imperio Russico subiectis; ubi publice cum tribueretur civibus libera potestas religionis, quam vellent, profitendae, tam bona elucebat spes temporum meliorum. In ceteris autem Orientis partibus ea sunt luctuoso spectaculo: sacrae Missiones dissipatae, christianorum multitudines templis et sacerdotibus destitutae, populique inter se de libertate contendentes et ad inopiam adducti rerum omnium.

Sed in primis magna Nos sollicitudine afficiunt Sancta Palaestinae Loca ob singularem scilicet eorum dignitatem, qua sunt Christianorum .cuique summe venerabilia. Quibus quidem Locis ab infidelium dominatu liberandis quam multam diuturnamque dederunt operam decessores Nostri, quantum laboris et sanguinis, saeculorum decursu, Christiani Occidentales impenderunt! Nunc vero cum ea nuper, ingenti cum laetitia bonorum omnium, rursus in Christianorum potestatem cesserint, summopere nimirum anxii sumus de iis quae in hac re Parisiense de pace Consilium proxime constituet : nam acerbus profecto Nobis et Christifidelibus, quotquot sunt, inureretur dolor, si infideles in Palaestina meliori potiorique in conditione ponerentur, multoque magis si illa christianae Religionis augustissima monumenta eis traderentur qui christiani non sunt. — Novimus praeterea advenas acatholicos, copiis opibusque abundantes, quas bellum in Palaestina genuit miserias ruinasque plurimas, iis abuti ad suas inibi doctrinas disseminandas. Atqui omnino non ferendum est, ibi tot animas, a catholica fide deficiendo, ruere in interitum ubi Dominus Noster Iesus Christus vitam aeter-

nam eis, profuso sanguine, acquisivit. Tanto igitur in discrimine constituti, tendunt ad Nos dilecti filii manus supplices, nec solum victum vestitumque necessarium implorant, sed rogant etiam ut sacrae sibi missiones aedesque et scholae per Nos restituantur. Nos autem, Nostrarum partium memores certam summam rei destinavimus, amplius libenter daturi, nisi Apostolicae Sedis angustiis prohiberemur. Simul vero catholici orbis Episcopos hortaturi sumus, curae sibi habeant nobilissimam causam, et fraternum studium erga Orientales, a maioribus acceptum, velint in suo quisque grege diligenter excitare. Magnopere igitur confisi, quod caput est, divinam benignitatem his coeptis Nostris adfuturam, iam ad Episcoporum cooptationem veniamus.

II - PROVISIO ECCLESIARUM

Post haec SSmus Dominus Noster has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

Metropolitanae ecclesiae Ianuensi praefecit Emum D. Thomam S. R. E. Card. Boggiani.

Metropolitanae ecclesiae Neo Eboracensi, R. P. D, Patritium Hayes, hactenus episcopum titularem Tagastensem, Ordinarium Castrense pro Foederatis Statibus Americae.

Metropolitanae ecclesiae S. Pauli de Minnesota, R. P. D. Augustinum Dowling, hactenus episcopum Desmoinensem.

Metropolitanae ecclesiae Sanctae Fidei in America, R. P. Albertum Daeger, Ordinis Fratrum Minorum.

Cathedrali ecclesiae Concordiensi, R. P. D. Aloisium Paulini, hactenus episcopum Nuscanum.

Cathedrali ecclesiae Balneoregiensi, R. P. D. Ludovicum Antomelli, hactenus episcopum titularem Leptimagnensem et Vicarium Apostolicum Lybiae.

Cathedrali ecclesiae Gariatensi, R. D. Iosephum Caruso, antistitem urbanum et vicarium generalem metropolitanae ecclesiae S. Severinae.

Cathedrali ecclesiae Octeriensi, R. D. Franciscum Franco, parochum loci *Agliano* in Astensi dioecesi.

Cathedrali ecclesiae Lingonensi, R. D. Theophilum Louvard, vicarium generalem dioecesis Sagiensis.

Cathedrali ecclesiae Buffatemi, R. D. Guillelmum Turner, magistrum in universitate studiorum Washingtoniensi.

Cathedrali ecclesiae Albanemi in America, R. **D.** Edmundum Gibbons, parochum ad S. Theresiae in civitate Buffalensi.

Cathedrali ecclesiae Conditemi in Indiis, R. D. Banielem Hermida.

Cathedrali ecclesiae Corumbensi, R. D. Mauritium Da Rocha, secretarium Curiae ecclesiasticae Maceiensis.

Cathedrali ecclesiae Lungrensi ritus graeci in Calabra regione nuper erectae, R. D. Ioannem Mele, parochum loci vulgo *Lungro.*

Titulari episcopali ecclesiae Surensi, R. D. Franciscum Marnas, vicarium generalem archidioecesis Lugdunensis, deputatum in Coadiutorem cum iure successionis Rmi Episcopi Claromontani.

Titulari episcopali ecclesiae Tricomiensi, R. D. Leonem Durand, directorem maioris Seminarii Massiliensis, deputatum in Auxiliarem Rmi Episcopi Massiliensis.

Titulari episcopali ecclesiae Ceramensi, R. D. Iosephum Skvireckis, deputatum in Auxiliarem Rmi Episcopi Samogitiensis.

Titulari episcopali eccl. Claudiapolitanae, R. D. Guillelmum Hiekey.

Insuper Beatissimus Pater alios etiam, iam renunciatos per Apo stolicas sub plumbo Litteras, Sacrorum Antistites publicavit, scilicet:

ARCHIEPISCOPOS:

Tarentinum, Horatium Mazzella iam archiepiscopum Rossanensem.

Philippensem, Iosephum Palica.

Sardianum, Eugenium Pacelli.

Tyrensem, Rodulphum Caroli, iam episcopum Cenetensem.

Palmyrensem, Bartholomaeum Cattaneo.

Surrentinum, Paulum Iacuzio, iam episcopum Caputaquensem et Vallensem.

Monacemem et Frisingensem, Michaelem de Faulhaber, iam episcopum Spirensem.

Mohiloviensem, Eduardum de Ropp, iam episcopum Wilnensem.

Lancianensem, Nicolaum Piccirilli, iam archiepiscopum Compsanum.

Hydruntinum, Carmelum Patané.

Gaesariensem, Petrum Gézérac, iam episcopum Cadurcensem et Coadiutorem Rmi Archiepiscopi Albiensis.

Novae Aureliae, Ioannem Shaw, iam episcopum S. Antonii.

Scythopolitanum, Americum Bevilacqua, iam episc. Rythymensem.

Tharonensem, Ioannem Festa, iam episcopum Capitoliensem.

Seleuciensem, Franciscum Marchetti Selvaggiani.

Li manum, Aemilium Lisson, iam episcopum de Chachapoyas.

Philadelphiensem, Dionysium DougfSerty, iam episcopum Buffalensem.

Quitensem, Emmanuelem Polit, iam episcopum Conchensem in Indiis.

Iconiensem, Petrum di Maria, iam episcopum Catacensem.

Tuamensem, Thomam Gilmartin, iam episcopum Clonfertensem.

Aquilanum, Adulphum Turchi, iam episcopum Canopitanum.

Stauropolitanum, Richardum Isasa, iam episcopum Anemurianum.

Amidensem, Ioannem Baptistam Pita val, iam episcopum S. Fidei in America.

Bisuntinum, Aloisium Humbrecht, iam episcopum Pictaviensem.

Gompsanensem et Campaniensem, Carmelum Cesarano, iam episcopum Octeriensem.

Salisburgensem, Ignatium Rieder, iam episcopum Surensem.

Rossanensem, Ioannem Scotti, iam episcopum Cariatensem.

Gamerinensem, Hectorem Fronzi, iam episcopum Calliensem et Pergulanum.

Bürgensem, Ioannem Benlloch y Vivó, iam episcopum Urgellensem.

S. Iacobi de Chile, Crescentium Errázuriz.

Agrensem, Angelum Bernacchioni.

Oxyrynchiensem, Ioannem Mae Intyre, iam episcopum Lamiensem.

Nacoliensem, Casimirum Ruszkiewiecz.

Gherchensem, Stephanum Djibri, iam archiepiscopum Nisibensem.

Verapolitanum,©Angelum Perez y Cecilia, iam archiepiscopum Acridensem.

EPISCOPOS:

Armenopolitanum, Iulium Hosszu.

Tudensem, Emmanuelem Lago y Gonzalez, iam episc. Oxomensem.

Auximanum et Gingulanum, Pacificum Fiorani, iam episcopum Cornetanum et Centumcellarum.

Polibotensen, Iulium Drohobeczki, iam episcopum Crisiensem Ruthenorum.

Stratonicensem, Antonium Stoppani.

Sinidensem, Thomam Esser.

Cardicensem, Franciscum Ruiz de Azua.

Sufetulensem, Flaminium Bellotti.

Thaciamontanensem, Aloisiui» de Gooman.

Tentyritem, Aemilium Bunoz.

Modrensem, Hyacinthum Ghassagnon.

Massensem, Iosephum Bertazzoni.

Tacapitanum, Ioannem Sedlák.

Hermopolitanum, Georgium Glosauer.

Verszprimiensem, Ferdinandum Rott.

Brentwoodiensem, Bernardum Ward, iam episcopum Lyddensem.

Tîrasonensem, Isidorum Badia y Sarradeil, iam episcopum Ascalonitanum.

Spirensem, Ludovicum Sebastian.

Lyddensem, Patritium Ghiasson.

Tricalemem, Natalem Serafino, iam episcopum Bugellensem.

Anchialensem, Henricum Lécroart.

Adrianopolitanum, Dionysium Lowney.

Genetensem, Eugenium Beccegato, iam episcopum Sinopensem.

Tipasitanum, Henricum Gray Graham.

Natalensem, Antonium dos Santos Gabrai.

S. Marthae, Ioachim Garcia.

Montereyensem Angelorum, Ioannem Gantwelt. <*

Denveriensem, Ioannem Tihen, iam episcopum Lincolnensem.

Minscensem, Sigismundum Lozinski.

Glavarensem, Amadeum Casabona.

Kerriensem et Aghadonensem, Carolum O' Sullivan.

Gornetanum et Centumcellarum, Lucam Piergiovanni.

Glazomensem, Iosephum Castro, iam episcopum Cuschensem.

Nilopolitanum, Ioannem Gannon.

Vagensem, Ioannem Porbes.

Mandelensem, Aloisium Ferretti.

Pastopolitanum, Antonium Puego de Val.

Diniensem, Ioannem Martel.

Berisensem, Raymundum De La Porte, iam episcopum Cenomanensem.

Fernensem, Guillelmum Godd.

Paleopolitanum, Carolum Sica, iam episcopum Fulginatensem.

Anthedonensem, Aemilium Perez.

Caputaquensem et Vallensem, Franciscum Cammarota.

Limericensem, Dionysium Hallinan.

Loriensem, Angelum Iannachino, iam episcopum Thelesinum.

Spiritus Sancti, Benedictum Alves de Souza.

Penedensem, Ionam de Aranjo Batinga.

Genomanense m, Georgium Grente.

Domitiopolitanum, Augustinum Migliore.

Xilopolitanum, Danielem Gorman.

Antipatridensem, Cyrillum de Paula Freitas, iam episcopum Corum bensem.

Cadurcensem, Iosephum Giray.

De Serena, Carolum Silva Cotapos.

SS. Conceptionis, Egilbertum Fuenzalida Guzman.

Cochabambensem, Franciscus Pierini.

S. Caroli Ancudiae, Antonium Castro.

Oxomensem, Matthaeum Mugica y Urestarazu.

Squillacensem, Ioannem Elli.

Wilcanniensem, Guillelmum Hayden.

Conversanensem, Dominicum Lancellotti, iam episcopum Troianum.

Gapitoliensem, Ioannem Bos.

Lincolnensem, Carolum O' Reilly, iam episcopum Bakeriensem.

Archelaidensem, Iosephum Burgain.

Caratingensem, Emmanuelem Nogueira Duarte.

Cuschensem, Petrum Farfan, iam episcopum de Huaraz.

Trentonensem, Thomam Walsh.

S. Christophori de Laguna, Gabrielem Llompart.

Gadicensem et Septenem, Martialem Lopez Criado.

Spalatensem, Georgium Carie, iam episcopum Ceramensem.

Tutelensem, Ioannem Castel, iam episcopum Apamiensem.

Aberdonensem, Georgium Bennet

Fulginatensem, Stephanum Corbini.

S. Ludovici de Maragnano, Helvetium Gomes de Ouvrira.

Thelesinum, Iosephum Signore.

Melphictensem, Iuvenacensem et Terlitiensem, Ioannem Iacono.

Osackensem, Ioannem Castanier.

Lafayettensem, Iulium Jéannard.

Galvestoniensem, Christophorum Byrne.

S. Antonii, Arthurum Drossaerts.

Duluthensem, Ioannem Mac Nicholas.

Detroitensem, Michaelem Gallagher, iam episcopum Grandormensem.

Achantinum, Wladislaum Krynicki.

Ascalonitanum, Adalbertum Owezarek.

Halicarnassensem, Stanislaum Gaii.

Barcaeum, Adulphum Szeiazèk.

Ganathensem, Paulum Kubicki.

Cusarum, Romualdum Jalbrzykowski.

Diocletianopolitanum, Antonium de Assis, iam episcopum Guaxupensem.

Eleutheropolitanum, Nicolam De Carlo.

De Caphamaum, Aloisium Barlassina.

Epiphaniensem, Petrum Rossillon.

Panopolitanum, Iosephum Nicolas.

Pictaviensem, Oliveirum De Durfort de Civrac de Lorge, iam episcopum Lingonensem.

Satalensem, Franciscum Dantin.

' *Pednelissensem,* Thomam Broderick.

Thignicensem, Augustum Declercq.

Ionopolitanum, Nicolaum Gonzalez Perez.

Telmissensem, Boleslaum Twardowski.

Pharensem, Lucam Pappafava, iam episcopum Sebenicensem.

Lublinensem, Marianum Tulman.

Gamenecensem, Petrum Mankowski.

Podlakiensem, Henricum Przezdziecki.

Bigensem, Eduardum 0'Rourke.

Eucarpiensem, Ernestum Seydl.

Troadensem, Antonium Bassani, iam episcopum Clodiensem.

Vilnensem, Georgium Matulewicz.

Arianensem, Iosephum Lo Jacono.

Valonensem, Iacobum Gopello.

Anemuriensem, Sophronium Hacbang y Gaborni.

Lor y mensem, Adulphum Jelowicki.

Tarantasiensem, Ludovicum Termier.

Abulensem, Henricum Pia y DenieL

Oscensem, Zachariam Martínez y Nuñez.

De Guayana, Xistum Sosa, iam episcopum Giaudiopolitanum.

Groiensem, Iosephum dos Santos.

Bakeriensem, Iosephum Mae Grath.

Gerasensem, Edmundum Heelan.

Galliensem et Pergulanum, Augustum Curi.

Alatrinum, Antonium Torrini.

Alexandrinum Statiellorum, losue Signori, iam episcopum Fossanensem.

Fossanensem, Quiricum Travaini.

Grandormensem, Dionysium Kelly, iam episcopum Gestrensem.

Usulensem, Iacobum Laminne.

Adrianopolitanum, Franciscum Isola, iam episcopum Goncordiensem.

Corvopolitarium, Iosephum Durjer.

III. - SACRI PALLII EXPOSTULATIO ET CONCESSIO.

Deinde Beatissimus Pater Sacrum Pallium expostulatum concessit metropolitanis ecclesiis: *Ianuensi, Aquilanae, Compsanae, Rossanensi? Tarentinae, Adamantinae, Surrentinae, Lancianensi, Hydruntinae, Limanae, Philadelphiensi, Quitensi, Tuamensi, Salisburgensi, Camerinensi, S. Iacobi de Chile, Burgensi, Neo Eboracensi, S. Pauli de Minnesota, S. Fidei in America.*

MOTU PROPRIO

DE MISSIONIBUS CATHOLICIS TERRAE SANCTAE IUVANDIS

BENEDICTUS PP. XV

Nuper ex Venerabilis Fratris Patriarchae Hierosolymitani litteris cognovimus Palestinenses Missiones ex direptione quam passae sunt, adeo debilitatas iacere, ut iam nequeant quaesitus diutinis laboribus retinere fructus, nedum proficere posse videantur. Ad haec aliud accedere idemque praecipuum incommodum deploramus : advenas acatholicos ea misera conditione rerum abuti ad suas inibi doctrinas disseminandas; idque, utpote opibus copiisque affluentes, efficere vel incolarum egestati subveniendo, vel, et maxime, scholas instituendo in iis quoque locis ubi nostri sua damna sarcire non possint.

Intelligitis, Venerabiles Fratres, quid in hac re ab hominibus catholicis animarum salus, quid ipsa Terrae Sanctae ratio postulet. Ut enim in Allocutione, quam hesterna die in Consistorio habuimus, dicebamus, omnino non ferendum est ibi tot animas, a catholica fide deficiendo, ruere in interitum, ubi Iesus Christus Dominus Noster vitam aeternam eis profuso sanguine acquisivit. Omnes igitur boni, quacumque ope possunt, his Missionibus auxilientur oportet ut elidendis acatholicorum 'collatis evadant pares. Nos certam summam huic rei destinavimus, amplius libenter daturi, nisi Apostolicae Sedis angustiis prohiberemur. Quod autem ad vos attinet, hortatione Nostra pro-

fecto non indigetis, ut earumdem Missionum causam agere apud vestros populos omni studio nitamini. Vobis vero instantibus plurimos confidimus esse responsuros, salva tamen stipe quae, secundum Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII litteras *Salvatoris ac Domini,* pro Locis Sanctis est oorroganda et ad Custodem Terrae Sanctae transmittenda.

Auspicem caelestium munerum benevolentiaeque Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xi martii, anno **mcmxix**, Pontificatus Nostri quinto.

BENEDICTUS PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

CONSOCIATIONI DOMINAE NOSTRAE A SALUTE PARISIIS CANONICE ERECTAE INDULGENTIAE ET SPIRITUALIA PRIVILEGIA CONCEDUNTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Dilectus filius Iosephus Maubon, Vicarius generalis Congregationis Augustinianorum ab Assumptione et Moderator Generalis Associationis titulo Nostrae Dominae a Salute Parisiis canonice erectae, enixis nos precibus flagitat, ut nonnullas indulgentias, a Decessoribus Nostris ipsi Associationi iam concessas, in perpetuum confirmare novasque illis adiungere de benignitate Apostolica dignemur. Nos precibus his, quae in tam frugiferae Societatis bonum cedunt atque incrementum, quantum in Domino possumus, annuentes, audito dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, haec quae infrascripta sunt decernenda existimavimus. Nimirum, de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus qui dictam Consociationem Nostrae Dominae a Salute in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimam Eucharistiam sumpserint, plenariam; ac tam inscriptis quam in posterum inscribendis memorata in Associatione fidelibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti,

vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam plenariam; denique iisdem nunc et in posterum pariter existentibus enunciatae Associationis sodalibus, qui, admissorum sacramentali confessione expiati et caelestibus epulis refecti, tribus patronalibus festis diebus, videlicet octavo mensis decembris, octavo mensis septembris et decimo nono mensis martii, nec non die undecimo mensis februarii, quo Lapurdensis Virginis festum agitur, die vicesimo quinto mensis martii, decimo quinto mensis augusti et vicesimo quinto mensis decembris, itemque duodecim aliis per annum diebus totidem mensibus uniuscuiusque sodalis ad arbitrium eligendis, quotannis propriam Associationis Ecclesiam, vel quamvis aliam publicam sacram aedem, sive sacellum, devote a medietate diei praecedentis ad mediam usque noctem respective enunciati diei visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo die iniuncta opera persolverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea iisdem sociis, nunc et in posterum memoratam in Associationem adlectis, quoties intererint piis peregrinationibus a Consilio Centrali sive a comitatibus dioecesanis eiusdem Consociationis constituendis, largimur, ut praeter indulgentias lucrandas in locis quae peregre inviserint, etiam aliam plenariam indulgentiam consequi valeant, dummodo tamen quae iniuncta sunt pietatis opera rite praestiterint. Tandem ipsis sociis quoties operis Coetibus, contrito saltem corde, intersint, vel iuxta Consociationis tabulas quodvis pietatis sive caritatis opus exerceant, toties iis de numero poenalium in forma Ecclesiae solita trecentos dies expungimus. Porro largimur sodalibus memoratis, si malint, liceat, excepta plenaria in mortis articulo lucranda indulgentia, reliquis plenariis et partialibus, quas recensuimus, indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Sacerdotibus autem directoribus nunc et in posterum tum Consilii Centralis, tum Comitatuum dioecesanorum Associationis enunciatae Nostrae Dominae a Salute privilegium concedimus tum applicandi, iuxta ritum formulamque praescriptam coronis precatoriis indulgentias Cruciferorum appellatas; tum benedicendi, servatis pariter servandis, cruces, crucifixos, sacra numismata, coronas precatorias et parvas ex metallo statuas tum D. N. Iesu Christi, tum B. Mariae Virginis, tum Sanctorum omnium, iisque applicandi indulgentias, quae numerantur in elencho per typos Congregationis de Propaganda Fide edito, non exclusa, quod ad coronas

precatorias, applicatione indulgentiarum a S. Birgitta. Tandem Directoribus ipsis nunc et in posterum privilegium tribuimus, cuius vi Missae ab iisdem ad quodvis cuiusque ecclesiae altare pro defunctis dictae Associationis sociis celebratae, illi animae pro qua celebratae .fuerint, perinde suffragentur ac si forent ad privilegiatum altare peractae. Non obstantibus Constitutionibus speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis, aliisque ordinationibus et sanctionibus Apostolicis ceterisque omnibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Porro praecipimus ut aliae omnes indulgentiae, a Decessoribus Nostris ipsi Societati quomolibet concessae, revocatae sint, prout illas per praesentes Apostolica Nostra auctoritate revocamus. Volumus autem ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII ianuarii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

SERMO

AD PAROCHOS ET AD QUADRAG-ESIMALES IN URBE CONCIONATORES

(ni martii MCMXIX)

Ai dilettissimi figli convenuti in quest'alma Città per annunziarvi la divina parola nell'imminente quaresima, Noi vorremmo indirizzare un saluto che esprimesse ad un tempo la benevolenza del comun Padre dei fedeli e la particolare sollecitudine del Vescovo di Roma. L'apostolo Paolo dovette un giorno accogliere un desiderio simile a quello che accogliamo ora Noi nel nostro cuore. Voleva egli dare al suo Timoteo un nome atto a spiegare perchè quel suo fedele discepolo dovesse non solo fuggire la cupidigia delle cose terrene, ma altresì seguire la giustizia. E, divinamente inspirato, san Paolo salutò Timoteo col nome di « uomo di Dio »: *tu autem, o homo Dei* (I *a Tim.,* vi, 11). Non è difficile intendere quanto appropriato fosse quel nome a chi doveva col suo esempio condannare coloro che, per cupidigia dei beni terreni, aveano deviato dada fede - *quam quidam appetentes erraverunt a fide,* - perchè

l'« uomo di Dio » non riconosce ragione di fine nelle ricchezze e negli onori: *tu autem, o homo Dei, haec fuge.* Nè punto più malagevole apparisce l'intendere che quel nome di « uomo di Dio » conveniva, meglio di ogni altro, a chi, con l'esempio e con la parola, avrebbe dovuto far trionfare la giustizia e mettere in onore la pietà, la fede e la carità, perchè i propugnatori della giustizia e i cultori della pietà, della fede e della carità si manifestano nei fatti « uomini di Dio »: *tu autem, o homo Dei,... sedare iustitiam, pietatem, fidem, caritatem.* Ma non potremmo Noi imitare l'Apostolo e salutare alla Nostra volta col nome di « uomini di Dio » i dilettissimi Nostri figli, chiamati ad annunziare la divina parola in questa Nostra città di Roma nell'imminente quaresima?

A questa domanda il Nostro cuore non indugia a dare affermativa risposta, perchè il padre si compiace sempre, non pur di ogni nome, ma anche di ogni più piccola cosa che riesca ad onore dei figli. Ma, aftinché nessuno creda che l'affermativa risposta sia dovuta solo al sentimento del cuore, Ci piace invitar voi, o dilettissimi, a considerare che essa è pur confermata dal raziocinio della mente. A questa considerazione Noi vi invitiamo, nel desiderio di mettere ognor meglio in rilievo di quanta stima sono degni i predicatori della quaresima e di quale affetto Noi li circondiamo nell'augurare fecondo di frutti il ministero ad essi affidato. Oh! potessimo Noi paragonarci all'Apostolo Paolo, e, con verità pari a quella che fioriva sul labbro di lui quando diceva a Timoteo *tu autem, o homo Dei,* Noi potremmo salutare col nome di « uomini di Dio » i predicatori della quaresima oggi convenuti alla Nostra presenza! A questi infatti auguriamo non solo di tenersi lontani da ciò che può nuocere all'efficacia del loro- ministero - *tu autem, o homo Dei, haec fuge,* - ma altresì di difendere la fede, di propugnare la giustizia e di promuovere l'amore a Dio ed ai prossimo, come si addice a veri uomini di Dio: *tu autem, o homo Dei,... sectare iustitiam, pietatem, fidem, caritatem.*

Chi voglia dar forza persuasiva al suo discorso deve anzitutto poggiarlo sull'insegnamento di un buon maestro. Noi perciò, volendo dimostrare che ai predicatori si addice il nome di « uomini di Dio », mettiamo a base del nostro ragionamento la parola dell'Angelico Dottore. La imposizione dei nomi, dice san Tommaso, deriva da ciò che determina la cognizione delle cose da nominare: *nomen imponitur ab eo per quod res cognoscitur* (I^a q. XIII). Ora le cose sono da noi conosciute o per le loro proprietà o per le operazioni loro. Ne segue quindi che, a giudicare dei nomi da imporsi ai predicatori, egli è d'uopo conoscere di questi le doti e le azioni proprie.

Un modo facile di conoscere le doti essenziali dei predicatori è certamente quello di ravvisare in essi, quasi adunate in modo eminente, le qualità dei sacerdoti, perchè sono tutti ornati della dignità sacerdotale e rivendicano a sè, quasi patrimonio individuale, un più costante e più accurato esercizio di una delle principali attribuzioni del sacerdozio, l'istruzione della plebe cristiana. Il sacerdote, infatti, è mediatore fra Dio e gli uomini. San Tommaso spiega la parola dell'Apostolo *unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* (I *a Tim.*, ir, 6), insegnando che solo a Cristo si addice essere mediatore semplicemente e perfettivamente, *simpliciter et perfective;* laonde soggiunge che nulla vieta esservi altri mediatori subordinati, i quali esercitino la mediazione fra Dio e gli uomini in maniera dispositiva o ministeriale: *nihil tamen prohibet multos alios esse secundum quid mediator es, scilicet dispositive et ministerialiter* (3ª q. XXVI-1ª). All'officio del mediatore, dice ancora l'Angelico, propriamente appartiene il congiungere e l'unire coloro fra i quali è mediatore. Ma all'unione fra l'uomo e Dio non coopera efficacemente colui il quale a Dio congiunge le menti degli uomini, dissipandone gli errori e illuminandole coi raggi delia verità? Non coopera efficacemente all'unione dell'uomo con Dio colui il quale nell'anima dell'uomo accende la fiamma dell'amore verso il bene, per arrivare a stringerla al Bene Sommo, che è Iddio?... Or non è questa la vostra missione particolare, o sacerdoti che vi dedicate specialmente alla predicazione? Il titolo di mediatore fra Dio e gli uomini, che è proprio di ogni sacerdote, appartiene dunque in modo speciale a voi, che attendete ad unir gli uomini a Dio per mezzo della istruzione della mente e del perfezionamento dello spirito; ognuno di Voi è sacerdote per eccellenza, perchè *sacerdos* - è ancora san Tommaso che parla - *est quasi sacra dans, secundum illud Malachiae: « legem requirent ex ore eius* » (Malach., II* 7), e Voi annunziate ai popoli la legge divina, Voi ne inculcate l'osservanza per istringerli a Dio. Se pertanto i sacerdoti in genere devono avere lo spirito di Gesù Cristo, perchè di ognuno di essi si dice *sacerdos est alter Christus,* i predicatori, che in maniera più aperta compiono l'ufficio di mediatori fra Dio e gli uomini, devono essere informati, in modo del tutto speciale, allo spirito di Dio. In questo spirito di Dio, al quale diciamo dover essere informati in modo particolare i sacerdoti che si dedicano al ministero della predicazione, Noi ravvisiamo il complesso delle doti proprie del predicatore: in altre parole, è dalla somma di queste doti che arriviamo a conoscere che cosa sia e debba essere il predicatore. Ma *unumquodque nominamus sicut et cognoscimus,* inségna san Tommaso (f, q. XIII) : dunque anche dall'insieme delle qualità

che formano ciò che appelliamo lo spirito di Dio, possiamo dedurre il nome dei predicatori e salutarli « uomini di Dio »: *nomen imponitur ab eo per quod res cognoscitur, scilicet a proprietate.*

Non abbiamo bisogno di dire che i predicatori ci sono rappresentati dalle loro doti come uomini che mirano a distaccare sè e gli altri dalle cose della terra. Dietro le orme del divino Maestro, *segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus {Agli Ebrei,* Vìi, 26), devono attendere a ciò che a Dio e alle cose sue si riferisce, per potersi appropriare una parola simile a quella che Gesù pronunziava nel tempio: *Nesciebatis quoniam in iis quae Patris mei sunt oportet me esse ?* Ma il distacco dalle cose della terra e la continua attenzione a quelle del cielo, onde acquistarle per sè e per gli altri, devono quasi spiritualizzare la natura del predicatore e avvicinarlo a Dio con una prossimità maggiore di quella che ad ogni altra creatura sia dato avere col suo eterno Fattore. Questa prossimità con Dio, agevolata o, per meglio dire, determinata dalle doti che non devono mancare nei buoni predicatori, ci permette di dare a questi il bel nome di « uomini di Dio »: *tu autem, o homo Bei.*

La convenienza di un tal nome deve apparire anche più giustificata qualora si rifletta che il predicatore, come ogni altro essere, è conosciuto in modo speciale, oltre che dalle sue doti, anche dalle sue operazioni ; sicché anche da queste vuoisi derivare la retta imposizione del nome che ad esso compete: *nomen imponitur ab eo per quod res cogno? scitur, scilicet a proprietate « et ab operatione » {Sum. Theol.,* I[a] q. XIII).

Basta infatti tornare col pensiero a quell'ufficio di mediatori fra Dio e gli uomini che, se è proprio di tutti i sacerdoti, abbiamo già detto competere in particolar guisa a coloro che sono destinati al ministero della sacra predicazione. Il ricordato ufficio, mentre agli uomini assicura i beni positivi della istruzione della mente e del miglioramento del cuore, a Dio - come a Colui al quale non vi sono beni da aggiungere, perchè tutti li possiede da tutta l'eternità, - a Dio procura soltanto quel pubblico ed eterno riconoscimento di sovrana eccellenza in cui consiste la gloria. Ma il buon predicatore procura la gloria di Dio in modo da far palese che essa sta in cima dei suoi pensieri, sulla punta del suo labbro, sulla palma delle sue mani.

Chi tenga dietro ai passi di un predicatore, modellato agli esempi del divino Maestro, non può difatti non ravvisare che l'attività di lui è ordinata alla gloria di Dio. Lo dicono i pensieri che più spesso ne occupano la mente; lo dicono le parole che gli fioriscono più spesso sul labbro; e sopratutto lo dicono le industrie molteplici che usa il buon predicatore per attirare anime a Dio. Or coloro che parlano spesso di

Dio, coloro che per Iddio operano di frequente, e con la parola e cot l'Opera mostrano di pensare spesso a Dio, non dovranno essere da noi chiamati « uomini di Dio »? I profani purtroppo chiamano «uomini del mondo » coloro che al mondo pensano, del mondo parlano, pel mondo si adoperano con singolare frequenza ed altrettanto interesse. Eleviamoci anche a più spirabile aere; e non è egli vero che si chiamano « uomini di studio » coloro che nelle conversazioni famigliari non trovano diletto e d'altro non sanno parlare che di libri, di codici e di pandette ? Non è egli vero che sono chiamati « uomini di chiesa » coloro che amano riferire ciò che nella Chiesa si insegna o si compie? E non diremo « uomini di Dio » i predicatori che il nome santo di Dio devono avere sempre sul labbro, quasi per indicare che a Dio tengono sempre rivolto il pensiero della mente e l'affetto del cuore, e a Dio vogliono sempre indirizzate le opere delle loro mani? Evidentemente l'insieme di queste opere indirizzate a Dio ci fa conoscere ciò che sono i predicatori; ma, poiché nominiamo le cose come le conosciamo, *unumquodque nominamus sicut et cognoscimus,* chiaro apparisce che il nome di «uomini di Dio » è giustificato nei predicatori non solo dalle doti, ma anche dalle opere loro: *nomen imponitur ab eo per quod res cognoscitur, scilicet a proprietate « et ab operatione ».*

A non diversa conclusione ei porta l'esame delle parole con le quali san Paolo traccia 1'uíficio del sacerdote e, a più forte ragione, anche del predicatore, quando lo dice « preposto a pro' degli uomini in tutte le cose che riguardano Dio » : *pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum (Agli Ebrei,* V, 1). Ogni mediazione suppone due termini. San Paolo precisa quelli della mediazione affidata al predicatore: *pro hominibus constituitur,* ecco il termine terreno ; *in iis quae sunt ad Deum,* ecco il termine celeste. È da notare la forma amplissima con la quale l'Apostolo esprime l'azione del predicatore riguardo a Dio. *In iis quae sunt ad Deum,* abbraccia dunque il culto e ogni manifestazione esterna della gloria di Dio ; *in iis quae sunt ad Deum,* abbraccia la dottrina rivelata da Dio e la legge da Lui promulgata; *in iis quae sunt dd Deum,* riguarda i premii promessi e i castighi minacciati da Dio; *in iis quae sunt ad Deum . . . .*; dite voi se vi ha cosa che sia esclusa da questa forma amplissima dell'azione del predicatore in ordine a Dio!

Ma questa medesima ampiezza ci fa conoscere quale dev'essere il buon predicatore. A lui infatti è lecito occuparsi di ogni classe di persone, a lui è consentito esaminare ogni condizione di còse. Ma se fra i giovani compie l'opera dell'agricoltore, che mira a tener dritte le tenere pianticelle, egli è solo perchè a Dio vuole indirizzare i cuori dei gio-

vani. Se fra gli uomini di età matura si fa banditore delle leggi della giustizia, egli è perchè vuole che l'attrattiva dei beni terreni non impedisca l'acquisto del Bene sommo che è Dio, Se nelle famiglie impone l'obbedienza dei figli e il mutuo amore fra gli sposi; anzi se in mezzo al civile consorzio promuove ed esalta il rispetto all'autorità, egli è perchè vuole che gli uomini non iscuotano le basi sulle quali Iddio fondò la famiglia e la società. Il predicatore, così dei giovani come degli uomini dell'età matura, così dei figli come dei genitori, così dei servi come dei padroni, ci apparisce dunque un'altra volta *in iis quae sunt ad Deum.* Comprende ognuno che alcuni casi particolari citati ad esempio e alcune condizioni speciali prese ad esame Ci permettono argomentare che, in ogni tempo, in ogni caso ed in ogni condizione, il vero predicatore deve attendere principalmente a ciò che riguarda Dio e la sua glòria: *in iis quae sunt ad Deum.*

Nè si creda che questa sollecitudine della divina gloria sia lasciata all'arbitrio del predicatore, così che egli possa anche trascurarla: a giudicar rettamente, Noi la dobbiamo dire tanto congiunta all'officio del predicatore che, se venisse meno, mancherebbe al mediatore fra Dio e gli uomini un elemento costitutivo della sua essenza.

Chi dal proprio sovrano è accreditato in qualità di ambasciatore presso un altro principe della terra, non solo si adopera a promuovere gli interessi e a difendere le ragioni del suo sovrano, ma coglie ancora ogni occasione per accrescerne la stima ed il prestigio presso coloro coi quali s'incontra: ne parla spesso, spesso ne esalta i meriti e ne vorrebbe sempre appagati i desideri, sicché quanti lo avvicinano lo dicono « tutto del suo sovrano ». Non altrimenti il buon predicatore deve meritare di essere detto « uomo di Dio », perchè tutto inteso a promuoverne la gloria e ad estenderne il regno. nelle anime. Ad una donna del volgo, che aveva ascoltato tutte le prediche della quaresima in una chiesa principale di Genova, fu chiesto il nome del predicatore, ed essa, scusandosi di non saperlo, rispose semplicemente: era un «uomo di Dio ». Oh! il meritato elogio reso a chi si era mostrato sollecito unicamente della gloria di Dio e della salvezza delle anime; oh! la testimonianza eloquente, che il senso comune dava, per bocca di una donna del volgo, alla verità che annunzia ai predicatori competere il nome di « uomini di Dio ».

Non è, dunque, solo il sentimento dei cuore, egli è anche il rigoroso raziocinio della mente che Ci autorizza a salutare voi, o dilettissimi figli, col nome che san Paolo dava al suo Timoteo: *tu autem, o homo Dei!*

Nel darlo a ciascun di voi, esulta il Nostro cuore al pensiero della stima e della riverenza con cui i fedeli di Roma dovranno stringersi intorno alle cattedre, dalle quali voi, nell'imminente quaresima, bandirete la divina parola, perchè « gli uomini di Dio » devono essere da tutti stimati e riveriti da tutti. Ma l'anima Nostra esulta altresì per la fiducia che, nell'imminente quaresima, ciascuno di voi giustificherà ognora meglio il nome di « uomini di Dio » che Noi abbiamo detto competere ai predicatori. San Paolo dava quel nome a Timoteo quando lo voleva lontano da ogni cupidigia: *tu autem, o homo Dei, haec fuge,* e quando lo voleva sollecito del trionfo della giustizia e dell'impero della fede, della pietà e della carità : *tu autem, o homo Dei, ... sedare iustitiam, fidem, pietatem, caritatem.* Anche voi, o carissimi, tenetevi lontani da ogni cupidigia, compresa in quella che l'Apostolo chiama « radice di ogni male ». Questa non consiste solo nell'indegna sollecitudine di lucro materiale ; può comprendere anche una eccessiva stima delie proprie doti naturali, a preferenza delle altrui, in ordine alla sacra predicazione; può comprendere un'affannosa cura di esibire se stesso, una stucchevole frequenza di parlare di sè e delle cose sue. Il predicatore che è « uomo di Dio », anzi appunto perchè « uomo di Dio », si tiene lontano da ogni sorta di cupidigia terrena: *tu autem, o homo Dei, haec fuge;* non predica se stesso, ma Gesù Cristo. E predicando Gesù Cristo, vuole assicurato il regno della giustizia nella triplice relazione che l'uomo ha con Dio, col prossimo e con se stesso, *sedare iustitiam;* predicando Gesù Cristo, vuole che la Fede rischiari col suo splendore il sentiero dell'uomo sopra la terra, *sedare fidem;* vuole che la pietà sia balsamo e refrigerio a chi soffre, *sedare pietatem;* vuole final? mente che la carità tolga ogni asprezza nel vivere sociale e informi, anche quaggiù, i mutui rapporti degli uomini, perchè essa sola rimarrà in cielo, *sedare caritatem.* Oh! come è dolce, come è soave all'anima Nostra la speranza che tutti i predicatori dell'imminente quaresima, in Roma, sapranno dimostrarsi coi fatti altrettanti « uomini di Dio »!

Vogliamo anzi aggiungere un'ultima parola. L'apostolo Paolo non fu pago di dare una sola volta il nome di « uomo di Dio » al suo fedele discepolo (I *a Tim., vi,* 11); tornò a darglielo anche nella seconda lettera a lui indirizzata; ma in questa non lo disse più semplicemente « uomo di Dio » ; lo disse « *perfetto* uomo di Dio » : *ut sit perfectus homo Dei.* Non ricordate voi, però, quando fu che l'Apostolo adoperò questa frase più espressiva? Allora fu quando salutò in Timoteo l'uomo che dallo studio e dall'uso della Sacra Scrittura era fatto capace di ogni opera buona. *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad*

arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut « perfectus » sit homo Dei ad omne opus bonum instructus (II *a Tim.,* III, 17), Ma anche voi, o dilettissimi figli, che, come « uomini di Dio », dovete aver sempre famigliare la divina parola, della parola divina dovrete valervi, specialmente nel tempo quadragesimale, per ottenere i quattro effetti della predicazione, che si confondono appunto con quelli dello studio della Sacra Scrittura. Voi dovrete infatti insegnare i donimi della Fede, mostrandovi preparati *ad docendum;* voi dovrete redarguire gli errori contrari alla stessa Fede, mostrandovi pronti *ad arguendum;* voi dovrete correggere i depravati costumi e informare l'uomo alla pietà e alla giustizia, mostrandovi disposti *ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Ciò facendo, apparirete anche voi *ad omne opus bonum instructi.* E non avremo Noi ragione di non salutarvi solo col semplice nome di « uomini di Dio », ma di applicare a voi tutta intiera la frase dell'Apostolo: *ut «perfectus » sit homo Dei?*

Ci conforta in questa speranza anche la presenza dei "parroci di Roma. Dicemmo altre volte che Noi li consideriamo predicatori abituali, perchè in ogni epoca dell'anno essi devono compiere, senza interruzione, presso i loro parrocchiani, ciò che i predicatori della quaresima fanno presso il popolo di Roma solo in questa circostanza dell'anno. Ad essi compete, dunque, in modo abituale anche il nome di « uomini di Dio»; anzi il loro esempio Noi crediamo provvidenzialmente ordi* nato a rafforzare i predicatori della quaresima nel proposito di essere e di mostrarsi sempre « veri uomini di Dio ».

Ma al proposito dell'uomo, anche se rafforzato dall'esempio di altro uomo, è necessaria la rugiada della divina grazia, non solo per essere costante, ma anche per essere fecondo. Epperò la celeste benedizióne Noi la invochiamo copiosa sui predicatori della prossima quaresima in Roma, nonché sul Collegio dei parroci di quest'alma città. Oh! la benedizione di Dio li tenga lontani da ciò che ad essi non conviene, *tu autem, o homo Dei, haec fuge,* e li renda santamente solleciti di ciò che può accrescere la fecondità del loro ministero, affinchè ne abbia gloria Iddio, conforto ogni classe di persone, sprone e incoraggiamento al bene ogni predicatore: *ut « perfectus » sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

SECOVIENSIS ET SALISBURGENSIS

DISMEMBRATIONIS ET AGGREGATIONIS^

Quum Episcopus Secoviensis eftlagitasset, ut pars pagi vulgo *Fresen* ad paiochiam *Bauten,* dioecesis Secoviensis, pertinentis, a dictis parochia et dioecesi seiungeretur et viciniori parochiae vulgo *Seetal,* archidioecesis Salisburgensis, uniretur, SSmus D. N. Benedictus PP. XV, in audientia diei 3 maii 1918, audita relatione Emi Secretarii S. G. Consistorialis, bonum iustumque censuit oblatis precibus obsecundare, facultatemque Nuntio Apostolico in Austria tribuit decretum huiusmodi dismembrationis emittendi. Quod quidem decretum sub die 21 augusti 1918 datum fuit, a die prima ianuarii 1919 valiturum.

C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

WLADISLAVIENSIS SEU CALISSIENSIS ET KIELCENSIS

DISMEMBRATIONIS ET AGGREGATIONIS

Quum Episcopus Wladislaviensis seu Calissiensis, consentiente Episcopo Kielcensi, postulasse!, ut fideles loci vulgo *Budnik Maly* a parochia *Kozieglony* et dioecesi Kielcensi seiungerentur et ecclesiae curatae loci *Starcm,* dioecesis Wladislaviensis seu Calissiensis, unirentur, Ssmus D. N. Benedictus PP. XV bonum iustumque censuit oblatas preces exaudiré.

Itaque, S. G. Consistorialis, de mandato Sanctitatis Suae, per decretum diei 7 februarii 1919 memoratum pagum *Budnik Maly* a parochia *Kozieglony* .. dioecesis Eielcensis, separavi! et ayulsit, eumque curatae ecclesiae seu parochiae *Starcza,* dioecesis Wladislaviensis, aggregavit et addixit.

îji C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

III

DECRETUM

CIRCA QUASDAM ORDINARIORUM FACULTATES

Quamvis, Dei miserentis gratia, conflictatione sublata, pax proxima videatur, quum tamen eam assequuti nondum simus et causae ob quas indulta de dispensandis impedimentis et sanandis matrimoniis Ordinariis locorum concessa adhuc, saltem ex parte, perseverent, SSmus D. N. Benedictus PP. XV, ad praecavenda dubia et tollendas in re tanti momenti anxietates, statuendum et declarandum iussit, sicut hoc Sacrae Congr. Consistorialis decreto declarat et statuit, facultates Ordinariis concessas decretis eiusdem S. Congregationis die 25 aprilis et 2 augusti 1918 adhuc in suo robore perseverare eisque Ordinarios uti posse usque ad sex menses integros post signatam inter nationes, quae bello contenderunt, pacem.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 4 martii 1919.

£g C. CARD. DE LAI, Episc. Sabinen., *Secretarius,*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

Annus XI - Vol. XI 1 Aprilis 1919 Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE .

ACTA BENEDICTI PP. XV

EPISTOLAE

I

AD R. P. REGINALDUM GARRIGOU-LAGRANGE EX ORDINE PRAEDICATORUM OB EDITUM AB EO TRACTATUM APOLOGETICUM « DE REVELATIONE ».

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Mirifice ad christianam sapientiam cum illustrandam tum defendendam valere Aquinatem, ex tuo quoque libro « de Revelatione » nuper edito elucet, cuius exemplar pie Nobis muneri obtulisti. In quo explicans quae pertinent ad apologeticam fundamentalis, ut aiunt, theologiae partem, ita sancti Thomae disciplina et ratione uteris, ut egregie non solum veteres sed recentiores etiam christianae fidei adversarios convincas. Cum enim errores, horum temporum ex huiusmodi principiis demum dimanent quae acceptae ab Ecclesiae et Patribus et Doctoribus philosophiae maxime contraria sunt, recte tu quidem hanc illis opponis, ipsumque Scholae principem, Doctorem Angelicum, eos invicte refutantem inducis. Plura autem ex variis theologiae locis desumpta, ad hanc tractationem adhibes, omniaque apte ingenioseque disponis ut plena defensio exsistat et valida traditae divinitus veritatis. Itaque confecisti opus de quo non mediocris est opinio peritorum; quodque optamus sacrae praesertim iuventuti sit usui, ut ea quae supra naturam sunt, sicut hodie oportet, tueri possit ac defendere. Caelestium auspicem munerum peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem amanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xiv februarii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno jquinto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD IOANNEM S. R. E. CARD. CSERNOCH, ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM, DE PRAESENTI REI RELIGIOSAE CONDICIONE IN HUNGARIA.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Multiplices quidem anxietates tam crudele tamque diuturnum bellum Nobis attulit; at nihil magis anxios sollicitosque Nos habet quam quod inde orta rerum perturbatio non solum in societatem civilem sed in religiosas ipsas gentium rationes redundavit. Praesertim vero magni casus Nos movent eorum populorum ex quibus Imperium Austro-Hungaricum compositum erat, quique iam singuli ad eam reipublicae formam nituntur quae singularum nationum votis respondeat. Cum enim his populis conspicua pars gregis Nobis divinitus crediti contineatur, quae semper fide et impensa erga hanc Apostolicam Sedem pietate eminuit, facile intelligitur singularem in modum Nos curare ne aliquod apud eos religio capiat detrimentum. Equidem iis omnibus, qui earum Civitatum res publicas gubernant, dum pacem et prosperitatem suis populis firmare student, speramus fore curae, ut sarta tecta Ecclesiae iura legesque conservent, si vere volunt iustitiae in civili societate ac boni publici fundamenta «al va consistere. Iam vero nemo ignorat quam cordi sit Apostolicae Sedi interna tranquillitas bonumque nationum, quamque parata semper sit omnem suam operam in id conferre. Quin etiam, quo melius rem assequatur, mutuas necessitudines seu relationes cum legitimis civitatum gubernatoribus, qui se id velle significaverint, inire consuevit. Admodum igitur opportune hanc Apostolicae Sedis propensam voluntatem illustrabunt Episcopi, demonstrantes quantam publicae utilitatis spem utriusque potestatis conspiratio contineat. In administrando autem munere sibi divinitus concredito, Apostolica Sedes cum prudentiae studioque Episcoporum, tum sacri ordinis et laicorum actioni disciplinaeque confidit. Etenim antiquus ille humani generis oppugnator Satanás, harum civilium commutationum nactus opportunitatem, Ecclesiae solidam compagem dissolvere conatur eiusque salutarem operam impedire. Itaque Nos sollicito cum animo nuper vidimus nonnullos e Clero nimis aperte licenterque in medios politicarum rerum Auctus se coniicere, seque acerrimis de natione contentionibus immiscere, partium odia concitantes in sacri ministerii dignitatem. Sed multo maiori Nobis aegritudini fuit quod accepimus, clericos quosdam ausos esse popula-

riter comitia habere, ut de sanctissimis Ecclesiae legibus abolendis consultarent. Huic tantae tamque deplorandae officii oblivioni omnino Episcoporum est vehementissime reclamare, ut ad veritatem sanitatemque devii revocentur. Hi vero meminerint iis plane subesse oportere, « quos « Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei » ; nam, ut ait Ignatius martyr, « quotquot Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum Epi- « scopo » *(Philad.,* III, 2); quare qui non sunt cum Episcopo, nec Dei sunt neque Iesu Christi. Eosdem volumus admonitus quam dedeceat sacerdotem catholicum, qui in coërcendis cupiditatibus ceteros anteire debeat, ipsum infirmiorem videri. Quam ob causam alte vehementerque denuntient Episcopi nullam prorsus ab Apostolica Sede de sacerdotalis continentiae lege permitti posse quaestionem, quae quidem lex ab ipsa tamquam peculiare ornamentum habetur Ecclesiae Latinae, eiusdemque fons quidam praecipuus actuosae virtutis. Retundant praeterea ex auctoritate necesse est inconsideratissimam eorum temeritatem qui non verentur haec contendere: «Bona sive mobilia sive immobilia singulorum « beneficiorum seu institutorum ecclesiasticorum, imo etiam piarum « quarumvis fundationum, quoquo modo ad»ecclesias et instituta illa « pertinentium, esse inalienabilem proprietatem omnium in Hungaria « exsistentium catholicorum; eorumque administrationem, iusque de illis « pro lubitu disponendi, non tantum in fines praestitutos, sed etiam in « alios prorsus fines, transferenda esse ad comitia sic dicta catholico- « rum ». Quibus quidem principiis, a spiritu sacerdotali maxime alienis, non solum hierarchicus ordo omnisque Ecclesiae disciplina subvertitur, sed etiam divina ipsa Decalogi praecepta violantur. Simul vero Episcopos, quam maximo studio possumus, hortamur ut omnibus paternae caritatis officiis suum quisque clerum sibi devinciant, varias eius necessitates materiales, uti dicuntur, et morales ipsi per se accurate exquirant, eisque ut medeantur nihil praetermittant; id quod non dubitamus quin ipsi iam habeant in animo efficere. Item explorent quid suo populo pro novis temporibus necesse sit, eique opportune consulant; et, si opus fuerit, rem ad Apostolicam Sedem deferant. - Haec tibi, dilecte fili Noster, qui in acie et dimicatione versans, paterna cum fiducia edicentes, caelestium auspicem munerum et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem tibi tuoque gregi universo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xir mensis martii, in festo S. Gregorii Magni, anno MCMXIX, Pontificatus Nostri quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACKA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

CIRCA PROPONENDOS AD EPISCOPALE MINISTERIUM IN CANADENSI DOMINIO ET TERRAE NOVAE INSULIS,

Inter suprema Ecclesiae negotia, potissimum sane obtinet locum Episcoporum electio. Quam ob causam Apostolica Sedes, prout sui est officii, maximam de eo semper habuit rationem et, pro diversitate locorum ac temporum, varios'constituit modos, ut finem optatissimum feliciter assequeretur.

Iamvero, etsi mos, qui in Canadensi ditione et in Terrae Novae Insulis huc usque pro Episcoporum propositione obtinuit, sicut et in aliis regionibus quibusdam quae more Missionum regebantur, hac vigente conditione, suis non caruit utilitatibus; attamen hodie, adiunctis rerum mutatis, minus iam accomodate respondet.

Nam, sub Missionum regimine, quum dioecesanus clerus, ut plurimum, a sacerdotibus alicuius religiosae familiae constitueretur et ex eadem Antistites solerent plerumque desumi, personae electio obvia erat, nec diuturna requirens studia. In praesenti vero conquisitio personae longiora requirit ac penitiora consilia.

Quam ob rem, haud providum nec satis utile videtur, Episcopos tunc solum convenire, quum, viduata iam Sede aliqua, novi constituendi pastoris urget necessitas; sed prudens ac salubris regiminis ratio postulat, ut in re tam gravi Episcopi tempestive conveniant, viros tanto muneri idoneos maturo cum studio discernant, et Apostolicae Sedi, ad quam demum negotium deferri oportet, generali saltem modo proponant. Sic nempe fiet ut, Sede aliqua orbata pastore, Summus Pontifex, citius ac pleniore rerum notitia, de re decernere valeat.

Hisce de causis, Ssmus Dominus Noster Benedictus PP. XV, requisita prius a singulis locorum Ordinariis sententia, de consulto Emorum Sacrae huius Congregationis Patrum, statuit et consistoriali praesenti

decreto praescribit, ut in posterum, in Canadensi Dominio et in Insulis Terrae Novae, pro eligendorum Episcoporum propositione, ratio, iuxta leges quae sequuntur, adhibeatur et vigeat.

1. Pro proponendis sacerdotibus ad episcopale ministerium idoneis ac dignis, conventus episcoporum fiet singulis bienniis, tempore infra assignato.

% Conventus erunt provinciales, hoc est omnes et singuli Ordinarii dioecesum uniuscuiusque provinciae convenient simul. Excipiuntur Episcopi provinciarum Kingstoniensis et Torontinae, qui, quum hucusque consueverint pro his negotiis pertractandis simul congregari, morem hunc retinebunt, praesidente Archiepiscopo seniore. Similiter, ob peculiaria adiuncta in quibus versantur, simul convenient Ordinarii provinciarum S. Bonifacii et Reginensis cum Archiepiscopo Winnipegensi: itemque Ordinarii provinciarum Edmontonensis et Vancuveriensis, pariter in his Archiepiscopo seniore praesidente.

3. Vicarii vero Apostolici, si tempus et negotia permiserint, conventibus Episcoporum provinciae suae interesse curabunt, iisdem cum iuribus ac coeteri.

4. *Quolibet biennio,* ut supra dictum est, sub initium quadragesimae, incipiendo ab anno 1920, omnes et singuli Episcopi Metropolitano suo vel seniori Archiepiscopo sacerdotum nomina indicabunt, quos dignos episcopali ministerio existimabunt. Nil autem vetat quominus, hos inter, alterius etiam dioecesis vel provinciae sacerdotes proponantur; *sub gravi* tamen exigitur, ut, qui proponitur, personaliter et ex diuturna conversatione a proponente cognoscatur.

5. Una cum nomine, aetatem quoque designabunt candidati, eius originis et actualis commorationis locum, et officium quo principaliter fungitur.

6. Antequam determinent quos proponant, tam Archiepiscopi quam Episcopi poterunt a viris ecclesiasticis prudentibus necessarias notitias inquirere, ita tamen ut finis huius inquisitionis omnino lateat. Notitias vero quas receperint nemini patefaciant, nisi forte in Episcoporum conventu, de quo inferius.

7. Nomina quae Episcopi iuxta art. 4um proponent, nulli prorsus aperiant, nisi Metropolitano suo vel seniori Archiepiscopo.

8. Metropolitanus vel senior Archiepiscopus habitis a Suffraganeis candidatorum propositionibus suas adiiciat: omnium indicem ordine alphabetico conficiat, et, reticitis proponentibus, hanc notulam transmittat singulis suis Suffraganeis sive Antistitibus regionis suae, ut hi opportunas investigationes peragere valeant de qualitatibus eorum quos personaliter et certa scientia non cognoscant.

9. Investigationes eiusmodi earumque causa maxima secreti cautela peragendae erunt, ut supra num. 6 dictum est. Quod si vereantur rem paiam evasuram, ab ulterioribus inquisitionibus abstineant.

10. Post Pascha, die et loco a Metropolitano vel a seniore Archiepiscopo determinandis, omnes Episcopi convenient ad seligendos eos qui S. Sedi ad episcopale ministerium proponi debeant. Convenient autem absque ulla solemnitate, quasi ad familiarem congressum, ut attentio quaelibet, praesertim diariorum et ephemeridum, et omne curiositatis studium vitetur.

11. In conventu, invocato divino auxilio, praestandum erit a singulis, Archiepiscopo non excepto, tactis SS. Evangeliis, iusiurandum de secreto servando, ut sacratius fiat vinculum quo omnes adstringuntur: post hoc regulae ad electionem faciendam legendae erunt.

\% Deinde unus .ex Episcopis praesentibus in Secretarium eligetur.

13. His peractis, ad disceptationem venietur, ut, inter tot exhibitus, digniores et aptiores seligantur. Id tamen veluti Christo praesente fiet et sub Eius obtutu, omni humana consideratione postposita, cum discretione et charitate, supremo Ecclesiae bono divinaque gloria et animarum salute unice ob oculos habitis.

14. Candidati maturae, sed non nimium provectae aetatis esse debent; prudentia praediti in agendis, quae sit ex ministeriorum exercitio comprobata; sanissima et non communi doctrina exornati, et cum debita erga Apostolicam Sedem devotione coniuncta; maxime autem honestate vitae et pietate insignes. Attendendum insuper erit ad capacitatem candidati quoad temporalem bonorum administrationem, ad conditionem eius familiarem, ad indolem et valetudinem. Uno verbo, videndum utrum omnibus iis qualitatibus polleat, quae in optimo pastore requiruntur, ut cum fructu et aedificatione populum Dei regere queat.

15. Discussione peracta, fiet hac ratione scrutinium:

a) Qui omnium Episcoporum sententia, quavis demum de causa, visi sunt in disceptatione ex numero proponendorum expungendi, ii in suffragium non vocabuntur; de caeteris, *etiamprobatissimis,* suffragium feretur.

b) Candidati singuli ordine alphabetico ad suffragium proponentur: suffragia secreta erunt.

c) Episcopi omnes, Metropolitano non excepto, pro singulis candidatis tribus utentur taxillis seu calculis, albo scilicet, nigro, tertioque alterius cuiuscumque coloris: primum ad approbandum, alterum ad reprobandum, tertium ad. abstensionem indicandam.

d).'Singuli. Antistites, praeeunte Archiepiscopo, in urna ad hunc finem disposita taxillum déponent, quo dignum, *coram Deo et graviter onerata conscientia,* sacerdotem aestimabunt qui in suffragium vocatur: reliquos taxillos binos in urna alia, pariter secreto, déponent.

e) Suffragiis expletis, Archiepiscopus, adstante Episcopo Secretario, taxillos et eorum speciem coram omnibus numerabit, scriptoque adnotabit.

16. Scrutinio de omnibus peracto, liberum erit Episcopis, si id ipsis placeat aut aliquis eorum postulet, ut inter approbatos plenis aut paribus suffragiis novo scrutinio designetur quinam sit praeferendus. Ad hunc finem singuli suffragatores nomen praeferendi in schedula adnotabunt, eamque in urna déponent: schedularum autem examen fiet, ut supra num. 15, litt. *e,* decernitur.

17. Quamvis vero Summus Pontifex sibi reservet, dioecesi vel archidioecesi aliqua vacante, per Delegatum Apostolicum, aliove modo, opportuna consilia ab Episcopis vel Archiepiscopis requirere, ut personam eligat quae inter approbatas magis idonea videatur dioecesi illi regendae; nihilominus fas erit Episcopis in eodem conventu indicare, generali saltem ratione, cuinam dioecesi candidatos magis idoneos censeant; ex. gr. utrum exiguae, ordinatae ac tranquillae dioecesi, an potius maioris momenti, unius vel alterius sermonis, vel in qua plura sint ordinanda aut creanda; itemque utrum loco mitioris aeris et facilis commeatus, an alterius generis, et alia huiusmodi.

18. Episcopus a secretis, discussione durante diligenter adnotabit quae de singulis candidatis a singulis suffragatoribus dicentur, quaenam discussionis fuerit conclusio; denique quinam tum in primo scrutinio, tum in secundo (si fiat) fuerit exitus, et quidnam specialius iuxta art. 17 fuerit dictum.

19. Antistites a conventu ne discedant, antequam ab Episcopo Secretario lecta fuerit relatio ab eodem confecta circa nomina proposita, candidatorum qualitates et obtenta suffragia, eamque probaverint.

20. Actorum exemplar ab Archiepiscopo, a Praesule a secretis et a ceteris Episcopis praesentibus subsignatum, quam tutissime ad Sacram hanc Congregationem per Delegatum Apostolicum mittetur. Acta vero ipsa penes Archiepiscopum in Archivo secretissimo S. Officii servabuntur, destruenda tamen post annum, vel etiam prius, si periculum violationis secreti immineat.

21. Post haec, fas tamen semper erit Episcopis, tum occasione propositionis candidati tum vacationis alicuius Sedis, praesertim maioris momenti, litteras Sacrae huic Congregationi vel ipsi SSmo Domino con-

scribere, quibus mentem suam circa personarum qualitates sive absolute, sive relate ad provisionem dictae Sedis, patefaciant.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 19 martii 1919.

)$l C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. % S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

WRATI8LAVIEN.

CONSTITUTIONIS TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

14 decembris 1918

SPECIES FACTI. - A Rmo Episcopo Wratislaviensi duo proponuntur dubia circa constitutionem tribunalium ecclesiasticorum illius Curiae. Primum, utrum permittere debeat quod in *tribunalibus ecclesiasticis* partem habeant *cum voto deliberativo* in causis matrimonialibus et contentiosis (exclusis utique criminalibus) iurisperiti *laici,* iuxta praxim quae ibi dicitur vigere *ex consuetudine 17O annorum.ln* altero dubio fit similis quaestio de interventu *laicorum,* in iure et in sacris canonibus peritorum, qui in iudiciis ecclesiasticis partem habeant tamquam *Auditores* ad instruendas causas (exceptis criminalibus) vel tamquam *Assessores* cum voto consultivo.

Quoad substantiam, haec est historia factorum prout ex documentis exhibitis in actis eruitur: 1° Numquam fuit a Sede Apostolica ibi concessum, ut laici partem haberent in iudiciis ecclesiasticis quibuscumque *tamquam veri iudices cum voto deliberativo ;* sed haec praxis ortum ducit ex saecularizatione facta in Borussia, ex qua tribunalia dioecesana fuerunt suppressa, ac deinde a. 1812 fuerunt quidem restituta, sed cum *subordinatione* ad potestatem civilem, quae subordinatio praesertim acta est per immixtionem iudicum laicorum. *T* Quod nititur concessione Pontificia, id tantum est, in ea dioecesi haberi secundam et tertiam instantiam appellationis, prout primus concessit Benedictus XIV per Lit-

teras in forma Brevis *Paterna pietatis,* d. d. 1 augusti 1748; atque in secunda et tertia instantia ita concessa « posse adscisci in auxi-« lium *adsessores* sive *auditores* ecclesiasticos vel saeculares sacrorum « canonum peritos, *qui tamen omni voto deliberativo seu decisivo desti-« tuantur* », Hae postremae concessiones factae sunt ad decennium per breve Pii *IX. Paterna ducti charitate,* 12 ianuarii anni 1855; deinde per aliud breve anni 1864 prorogatae sunt ad aliud decennium. Sed finito hoc alio decennio non apparent amplius prorogatae; cuius fortasse causa quaerenda est in persecutione sub nomine *Kulturkampf* celebri, qua saeviente Episcopus a Gubernio vi depulsus est. Certe neque petitio neque concessio prorogationis habetur in mera notificatione nominum iudicum prosynodalium singulis trienniis electorum, facta primum Nuntiaturae Viennensi, ac deinde S. Congr. Concilii.

ANIMADVERSIONES. - Qui super hanc facti speciem scripsit, Rmus Consultor, censet, in primis, nullatenus esse legitimam nec in posterum tolerandam consuetudinem admittendi laicos tamquam veros iudices *cum voto deliberativo.* Ad quod probandum provocat ad textum iuris Decretalium et ad praescripta Codicis Iuris Canonici.

Sane ex iure Decretalium laici omnino sunt excludendi a munere iudicum in causis ecclesiasticis, ad quas eorum incompetentia est *absoluta* et omnimoda (cap. % X, *de iudic,* II. i; cap. 18, X, *de foro compet.,* II, 2). *Absoluta* quippe *incompetentia* in eo habetur, qui ne iurisdictionem quidem habet; at laici iurisdictionem ecclesiasticam, quae necessaria est ad decidendas causas ecclesiasticas, habent nullam; immo ne illius quidem habendae sunt capaces, sed prorsus incapaces, ac talis incapacitas solum per specialem et extraordinariam Rom. Pontificis provisionem in causa particulari auferri potest (cf. Schmalzgr., I, tit. XXIX, n. 14; II, tit. I, n. 83 § 1). At talis extraordinaria et mira provisio, quae permanenti modo laicis personis daret iurisdictionem spiritualem ad decidendas causas ecclesiasticas, in documentis alligatio non continetur, quin potius in iis constanter excluduntur laici a suffragio decisivo habendo, prout ex verbis quoque supra relatis liquet.

Quod autem Codex exigat, ut omnes iudices sint clerici, immo et sacerdotes, est res manifesta (can. 1573, §4, 1574, § 1). Nec minus perspicue enuntiatur in Codice principium iuris publici ecclesiastici, quo Ecclesiae vindicatur ius proprium et *exclusivum* cognoscendi de causis spiritualibus et spiritualibus adnexis (can. 1453), quae proinde sunt decidendae dumtaxat a iudicibus iurisdictione spirituali praeditis, qua laici non sunt capaces.

Quodsi ab Episcopo Wratislaviensi casus ita proponitur, quasi interventus iudicum laicorum in decidendis per suffragium deliberativum causis ecclesiasticis, fundamentum haberet in consuetudine 170 annorum, hic titulus nullo modo est habendus ut legitimus. Nam, praescindendo a iure Codicis et insistendo iuri Decretalium, sub quo orta fuisset illa consuetudo, certum est per consuetudinem legitimo tempore praescriptam adquirí posse iura etiam spiritualia; at ad adquirenda iura spiritualia ante omnia requiritur capacitas in subiecto; iam vero laici spiritualis iurisdictionis sunt incapaces, ergo illam per consuetudinem quovis tempore praescriptam acquirere non possunt (cap. 7, X, *de praescript.,* II, 26). Praeterea improbatur in iure, ita ut nequeat praevalere, ea consuetudo, per quam « disrumpitur nervus ecclesiasticae disciplinae », videlicet per quam impeditur observantia bonorum morum vel subvertitur ordo ecclesiasticae hierarchiae (cap. 5, X, *de consuet.,* 1. 4; Reiffenstuel, *in hunc tit.,* n. 56, 57; Suarez, *De legibus,* lib. 7, cap. 6, n. 8sq.): iamvero talis subversio habetur per usurpationem spiritualis iurisdictionis a laicis factam. Item reprobatur ea consuetudo, quae est adversus immunitatem et libertatem ecclesiasticam, adeo ut consuetudo adversus libertatem ecclesiasticam, etiam immemorialis, si sola sit, et nullo privilegio aut fama privilegii Apostolici adiuvetur, non possit immunitati aut libertati ecclesiasticae derogare (Reiffenstuel, 1. c, n. 81 sq.). Haec reprobatio expresse habetur cap. 1, 3, 5, X, *de consuetud.,* I, 4; item cap. 14, X, *de electione,* I, et cap. 8, X, *de iudiciis,* II, 1. Iam vero est manifeste contra libertatem, independentiam et immunitatem Ecclesiae, quod haec in iudiciis de rebus ecclesiasticis et spiritualibus, maneat subiecta cuivis intrusioni potestatis laicae et iudicum laicorum, per quos causae ecclesiasticae decidantur.

Ceterum quaestio de vi consuetudinis est quaestio iuris privati, quoad leges nimirum respicientes internum societatis regimen. At in casu intrusio iudicum saecularium in causas ecclesiasticas, esset facta per usurpationem potestatis civilis, ut apparet ex brevi historia in facti specie praemissa ; quo posito, quaestio haec, iam non est quaestio iuris privati, sed quaestio iuris publici, i. e. de independentia Ecclesiae a potestate civili. In quaestione autem iuris publici ne cogitari quidem potest consensus legalis Superioris legislatoris ecclesiastici, qui est necessarius ad hoc ut consuetudo facti per viam praescriptionis transeat in consuetudinem iuris: in tali enim casu consensus legalis contineret illicitam approbationem usurpationis, efficereturque inde, ut « per fortunatam facti iniu« stitiam iuris sanctitati legitime detrimentum inferri posset » (Prop. 61 'damn. in *Syll. Pii IX).* Cui consensui legali, etiam ex alia ratione vix in tali

causa locus esse potest, quia videlicet Superiores ecclesiastici, quando non resistunt violationibus factis per potestatem saecularem, id unice faciunt ad vitanda maiora mala, non animo probandì.

Tandem quum illa participatio iudicum saecularium in decidendis causis ecclesiasticis ortum ducat ex usurpatione potestatis civilis, et haec *vi suae iurisdictionis laicae et profanae* illam usurpationem perpetraverit, iudices laici *vi iurisdictionis laicae et profanae* partem haberent in decidendis causis ecclesiasticis et spiritualibus; quae praetensio est omnino irrationabilis et ideo non potest cadere sub approbationem legislatoris ecclesiastici, licet hic per se possit, saltem transeunter et ad aliquem actum, alicui laico delegare iurisdictionem *spiritualem.*

Hinc apparet consuetudinem propositam, non aliud mereri nomen nisi *abusus,* ideoque esse irritandam, ut tribunalibus ecclesiasticis sua libertas et independentia restituatur.

Relate ad alterum dubium, utrum in futurum laici homines, in iure et in canonibus periti, admitti possint tamquam Auditores ad causas instruendas, vel tamquam Assessores cum voto consultivo; negari non potest, praxim vigentem in Curia Wratislaviensi fuisse in suo initio legitimam, quippe introductam ex indulto Pontificio contento in brevi Pii IX (a. 1855) et in prorogatione ad aliud decennium facta a. 1864. Nova tamen prorogatio deinde non invenitur-esse facta, ideoque favor concessus dicendus est cessasse ab a. 1874. Ergo, quum novus Codex tam pro Auditoribus, quam pro Assessoribus exigat ut sint sacerdotes, desumpti ex iudicibus synodalibus (cann. 1575, 1581), quoad futurum tempus, sub disciplina iuris per Codicem inducti, videretur dandum quoque responsum *negativum.*

Nihilominus animadvertendum est in iure Decretalium non fuisse prohibitum, quominus *Assessores* desumi possent ex laicis, sed potius fuisse permissum. Id communiter a Doctoribus deducitur ex cap. 11, *de rescript.,* I, 3, in 6°; cfr. Reiffenstuel, lib. II, tit. 1, n. 22; Bouix, *de iudic,* I, pag. 468; Wernz, *Ius Decret.,* VI, n. 148. Cuius rei ratio redditur, quod Assessor nullam debet exercere iurisdictionem, cuius laici sunt incapaces.

At, ob rationem contrariam, *Auditor,* cui committitur causae instructio, exercitium habet iurisdictionis ecclesiasticae, sine qua plurimi actus instructionis causae fieri nequeunt; ideoque laici muneris Auditoris gerendi sunt incapaces (cf. epist, encycl. S. Congr. Immunit., 3 octobris 1832 et responsum eiusd. S. Congreg. 4 martii 1855; Bouix, 1. c, pag. 463; Wernz, 1. c, n. 141).

Iam ex his videtur deducendum etiam in dioecesi Wratislaviensi

non posse quoad futurum admitti, ut adhibeantur laici tamquam *Auditores* ad instruendas causas ecclesiasticas, quia concessio illi Curiae factae, post annum 1874 quo indultum ea de re datum expiravit, non fuit renovata; per consuetudinem autem fieri non possit ut laicus iurisdictionem spiritualem obtineat.

Quoad *Assessores,* licet valeat ratio de concessione non renovata, nihilominus, quum cesset altera ratio de necessitate iurisdictionis spiritualis et insuper iure Decretalium non fuerit prohibitum assumere laicos in munus Assessoris, urgeri posset pro Curia Wratislaviensi ratio consuetudinis plus quam centenariae, ideoque ad praescripta can. 5, concludi, consuetudinem hanc, tametsi Codici contrariam, tolerari posse si Ordinarius aestimet eam prudenter submoveri non posse. Nihilominus nemo non videt quot incommoda multis iri circumstantiis oriri possint, si laici in consiliarios ab ecclesiastico iudice assumantur. Nam, praeterquam quod non semper laici, etiam in iure canonico periti, principia sana et firma de potestate Ecclesiae habent, obnubilan videtur, si tale consilium ineatur, perfecta independentia Ecclesiae in suis negotiis; et certe iudices laici non assumunt sacerdotes in consiliarios seu assessores pro negotiis civilibus et profanis decidendis; praeterea decens est, ut sacerdotes sint plures in iure canonico ac etiam civili bene periti, quibus reserventur negotia ecclesiastica, vel quae aliquam necessitudinem praeseferunt cum iure civili, prout e contrario videtur incongruum dignitati Ecclesiae, ut indigeat opera iurisperitorum laicorum pro causis ecclesiasticis decernendis.

Ex quibus omnibus deducendum videtur etiam ad secundum dubium esse dandum responsum negativum, seu in Auditores et Assessores non posse assumi laicos.

RESOLUTIO, - Porro, propositis in plenariis comitiis S. Congregationi Concilii, habitis in Palatio Apostolico Vaticano, die 14 decembris 1918, dubiis ab Episcopo Wratislaviensi hisce formulis deductis nimirum :

I. *An consuetudo, per 170 annos usitata, qua in tribunalibus dioecesis ^Vratislaviensis admittuntur iurisperiti laici cum voto deliberativo in causis matrimonialibus et contentiosis - exclusis semper criminalibus - legitima dici et deinceps tolerari possit;*

II. *An in futurum laici homines, in iure et in canonibus periti in iudiciis ecclesiasticis admitti possint tamquam* Auditores *ad causas instruendas, praeter criminales, vel tamquam* Assessores *cum voto consultivo in iis causis, quae aliquo modo connexae sunt cum legibus civilibus;*

Emi ac Revmi Patres respondendum censuerunt:

Negative ad utrumque.

Facta autem de praemissis Ssmo Dno Nostro Benedicto Div. Prov. Pp. XV relatione per infrascriptum S. C. Secretarium, in audientia insequentis diei, 15 eiusdem mensis, Sanctitas Sua datam resolutionem approbavit et confirmavit.

I. MORI *Seeretarms.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA

DECRETUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI ANNAE MARIAE TA IG I, MATRIS FAMILIAS, E TERTIO ORDINE SS.MAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM. " -

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto procedi possit ad solemnem praefatae Ven. Servae Dei Beatificationem.

Diu et vehementer expectatum suum assecuta est exitum venerabilis Ancillae Dei Annae Mariae Taigi Beatificationis causa, quam externo ex cortice qui vellet aestimare, insigniter falleretur. Nam modestam sane atque humilem, sicut humilis atque modesta Venerabilis ipsius status conditio fuerat, ita etiam prima fronte se praebet Beatiti cationis causa; ast, cominus eadem et probe inspecta, praeclara magnique ponderis, quae intus gerit, manifesto pandit merita, qualia nimirum sanctitas necessario deposcit in coniugio adepta planeque demonstrat.

Quamvis enim, ut Beatificationis fert natura, publicus et ecclesiasticus cultus, qui e Beatificatione ipsa descendit, quibusdam tantum locis ecclesiisque maneat adfixus, hisce tamen angustis limitibus se continere nequit, eosque proinde longe lateque praetergreditur venerabilis Annae Mariae Taigi Beatificationis causa, quippe quae ad omnes aeque pertinere dicenda est quotquot christianae existunt uxores matresque familias.

Hae siquidem, quum in earum manus inciderit commentarium vitae Servae Dei, aut, alio quovis modo, de eiusdem virtutibus, actionibus operibusque notitias acceperint, vix attinet dicere, quam aptos quamque

opportunos sibi adiici stimulos experturae sint ad alacrius obeunda varia et multiplicia domestici instituti munia, nec non ad perferendam invicta patientia et fortitudine curarum, laborum et aerumnarum molem, quam secum ferre solet perarduum uxoris matrisque familias officium, quocum, ob rectam praesertim et christianam filiorum et filiarum institutionem, arctissimo vinculo coniungi et colligari, quae totius societatis futura erit, sortem, prudens intelligit quisque firmaque persuasione sibi defixum animo habet.

Quocirca iste tanti momenti tantique ponderis locus; e visceribus namque promanat causae eique peculiarem imprimit notam, consulto dataque opera declarandus enucleandisque actoribus fuit, cum, post impetratami signaturam *Commissionis,* prout quotidiano appellant sermone, aliis interea minoribus absolutis iudiciis, super heroicitate virtutum, suum, aliquot ante annos, disceptatio sumpsit exordium.

Revera, industri experrectaque Patroni opera, planum tunc factum fuit atque perspicuum, cunctas, quae, pro vitae suae instituto, propriae erant, venerabilem Dei Famulam naviter sancteque adimplevisse partes; digna propterea, quae uxoribus matribusque familias tamquam exemplar proponatur ita nempe, ut, quo amplior exstat coetus personarum, quae .fructuose ad imitandum sumere queant, quo haud exiguum speratur totius christiani populi exinde obventurum bonum, eo maiorem cogitare et arguere liceat causae praestantiam eiusque opportunitatem, praesertim postquam divinum quoque accessisse constat miraculorum testimonium, quo ratum confirmatumque fuit, quod de meritis deque virtutibus Famulae Dei humanum iam praecesserat iudicium.

Unde fauste feliciterque progressa huc usque quum sit iuridica causae cognitio, ut, pro formali obtinenda Beatificatione, nihil, e constitutis iudiciorum formulis, amplius desideretur, quumque praesens publicarum rerum et hominum cursus magnopere suadeat, quantum percommode incidat uxorum matrumque familias veluti ante oculos conspicuum obiicere exemplum, multis eisque adeo in Ecclesiae fastis gloriosis nominibus, quibus illustris Senarüm urbs Apostolicae Sedi est devincta, hic etiam ex hodierni eventus faustitate accedit honos, quod Ancillae Dei Annae Mariae Taigi fuerit natale solum, quamvis illud mutare adhuc puerula coacta illa fuerit, ob gravem, quam eius parentes passi fuerant, rei familiaris inclinationem. Qua de causa una simul cum parentibus longo asperoque pedibus se commisit itineri Romam versus, eoque quum pervenit, Magistris nomine Piis, quae tunc prope sancti Francisci Paulani templum ad Montes degebant, in disciplinam est tradita, ab eisque schola timoris Domini erudita atque femineum

edocta cultum, qui adolescentulam deceat, uxorem, uti plurimum, futuram matremque familias, integram subinde laboribus exercitam, virtutibus et charismatibus illustratam suam duxit expievitque aetatem. Civis idcirco effecta huius almae Urbis, ab omnibus, ceu talis, constanter est habita, maxime cum, post pretiosum eiusdem obitum, de inchoanda causa Beatificationis coepit agitari; nihil quippe eo tempore actum, sine praevia expressaque Cardinalis Urbis Vicarii auctoritate, ab eoque peculiari quoque intercedente sa. me.. Pii Papae IX Rescripto, causae postmodum commissa fuit procuratio benemeritissimo sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum Ordini, quem, dum vixit, uti tertiana Dei Famula professa fuerat, quique iure nunc meritoque laetatur, diligentiae solertiaeque ab eo in explendo munere adhibitae par dignumque retulisse praemium.

Sane, in generalibus sacri huius Ordinis comitiis, quae, die undecima superioris mensis februarii, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV celebrata sunt, proposito per Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, causae Relatorem, dubio: *An, stante .virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto procedi possit ad solemnem venerabilis Ancillae Dei Annae Marie Taigi Beatificationem?* omnes, qui convenerant, tum Reverendissimi Cardinales, tum Patres consultores tuto procedi posse unanimi responderunt suffragio. Verumtamen Sanctissimus Dominus noster mentem Suam, ceu de mpre, aperire distulit, ut precationi interea congruum suppeteret tempus; idque praestitum quum fuerit, decretoriam Suam statuit patefacere sententiam hodierna die Dominica prima in Quadragesima. Quapropter, sacris propitiato Deo, ad Vaticanas Aedes arcessiri voluit Revmum Cardinalem Antonium Vico, Episc- Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus solemniter edixit: *Tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Ancillae Dei Annae Mariae Taigi Beatificationem.*

Hoc Decretum in vulgus edi, in acta sacrae rituum Congregationis inseri litterasque apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis expediri iussit septimo idus martii anno MCMXIX.

.E8.A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
Ä *B. G. Praefectus.*

L. % S. •

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

PARISIEN.

DECRETUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI LUDOVICAE DE MARILLAC, VIDUAE LE GRAS, CONFUNDATRICIS SOCIETATIS PUELLARUM CARITATIS.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur?

Tot inter religiosas familias, quas longo varioque saeculorum cursu ideo excitasse visus est Deus, ut Ecclesiae suae praesidio et ornamento essent ipsique universae hominum consociationi non modicam simul afferrent utilitatem, aliam facile invenire non est, quae sive ingenti sodalium multitudine, sive exercitis omnigenis caritatis operibus, cum Puellarum Sodalitate comparari queat, quibus a caritate factum est nomen.

Numero siquidem triginta millia et amplius percensentur; eaeque per cunctas fere orbis terrarum partes mirifice diffusae atque propagatae, in collegiis, orphanotrophiis, brephotrophiis, nosocomiis, carceribus, castris, ipsos inter pugnantes milites, spiritu professionis suae plane imbutae, tam multis tamque variis professionis eiusdem ita naviter religioseque perfunguntur officiis, ut magnam merito vindicaverint sibi sibique vindicare pergunt communem omnium admirationem, quemadmodum nuperrime suspicere eas licuit atque demirari teterrimo furente bello, quod tantis acerbitatibus, ruinis atque caedibus mundum replevit.

Conspicua haec, quae e pio Puellarum a caritate Sodalitio in humanam societatem promanarunt et promanant benefacta, laetabile sane est atque periucundum memori gratoque animo recolere, quamvis id ne vix quidem facere quis valeat, quin, quodnam Sodalitii ipsius initium fuerit atque origo, sponte renovet cogitationem. Ei namque bini occurrunt institutores; alter nempe, vir sanctitate celeberrimus, cuius pernotum nomen: *Vincentius a Paulo;* alter vero, praeclara eiusdem discipula vitaeque spiritualis filia, operum consors et socia laborum, ad quam apostolicum hoc, de quo agitur, pertinet Decretum, venerabilis scilicet Ludovica de Marillac, vidua Le Gras.

Quae, sexto decimo exeunte saeculo, anno videlicet millesimo quingentésimo nonagésimo primo, die decima secunda mensis augusti, nobili

loco Parisiis orta, promptum atque alacre sortita fuit ingenium, idemque, plus quam femina ferret, ad omnem humanitatem bonasque artes proclive; quodque peculiari est notatione dignum, vel a teneris in seipsa experiebatur venerabilis Dei Famula quoddam veluti religiosae vocationis - germen. Unde, quum primum adolescere coepit, apud sanctimoniales Gapulatas sese recipere exoptabat; quandoquidem quotquot tunc erant moniales, cunctas coenobii septis usque manere oportebat, utpote obstrictas clausurae lege, quam rigorosius etiam servandam praeceperat Tridentina synodus.

Sed, longe atque arbitrabatur, sibi consentientem nacta non est suae conscientiae moderatorem,- praestantissimum e religioso Capulatorum Ordine virum, nominis celebritate et sanctitatis fama insignem, venerabilem Dei Famulum Honoratum a Parisiis, cuius Beatificationis causa plures ante annos sacrae rituum Congregationi est commissa, quumque minora iam superaverit iudicia, in eo est, ut super virtutibus heroicis praecipua inchoetur quaestio. Etenim praesagus quasi ille fuisset futurae sortis et muneris, quae Ancillam Dei manebant, a consilio ingrediendae religionis eam est dehortatus; ex quo factum, ut, oblata sibi occasione, cum praenobili honestissimoque iuvene Antonio Le Gras illa se matrimonio iunxerit, ex eoque suscepit quoque filium. Decennium et ultra uxoris matrisque familias praeclarum se praebuit exemplum, maxime cum vir eius gravem incidit in morbum, quo vita est functus.

Ita coniugii vinculis soluta suamque venerabilis Dei Famula libertatem adepta, viduitatis nuncupavit votum, totamque postmodum *Vincentio a Paulo,* qui tunc temporis uberrimam metiebatur caritatis segetem, in disciplinam se commisit, brevique omnium ferme operum, quae in commodum quum spirituale tum temporale proximorum ille suscipiebat, facta est particeps, eoque duce ac magistro, aliquot post annos, fundamenta ponere coepit novae Puellarum a caritate Societatis. Cuius singulari prorsus inspecta natura atque indole, levi sane negotio sibi suadere debuit, nonnisi sapienti providoque Dei consilium factum fuisse, ut non ante praefatum aggrederetur opus, quam per duplicem matrimonii et viduitatis statum, cunctas edocta fuisset hominum miserias, quibus in mediis persaepe versari debuissent futurae novi Sodalitii sociae.

In quam quidem sententiam eo pronior quis discedet, quo noverit Ipsum dignatum fuisse Deum miraculorum testimonio Ancillae suae Ludovicae de Marillac comprobare sanctitatem, ut est Angelici Doctoris sententia : *Vera miracula non possunt fieri nisi virtute divina : operatur enim ea Deus ad hominum utilitatem : et hoc dupliciter : uno quidem modo*

ad veritatis praedicatae confirmationem: alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicuius, quem vult proponere in exemplum virtutis (2ª 2ªe, quaest. 178, art. 2).. E variis namque, quae, eiusdem venerabilis Dei Famulae intercessione, divinitus patratae esse feruntur, tres praesertim inventae sunt sanationes; easque veri nominis prodigio esse adiudicandas, acris ac diuturna ostendit, quae souper eisdem quater instituta fuit, disceptatio; primum siquidem de re est agitatimi jn Congregatione antepraeparatoria, secundo ac tertio in duabus, quae subinde successerunt, praeparatoriis Congregationibus, quarto denique in Congregatione generali, quae, die decima prima proxime praeteriti mensis februarii, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV coacta fuit; in eaque a Reverendissimo Cardinali Vincentio Vannutelli, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum est Dubium: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur P* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores sua quisque ex ordine suffragia ediderunt, quibus intento laetoque animo exceptis, Sanctissimus Dominus noster adstantibus preces indixit, quibus Ipse a Spiritu sapientiae et consilii ad supremum proferendum iudicium illustraretur. Tandem, ut id praestaret, hodiernam designavit diem Dominicam primam in Quadragesima. Idcirco, divina Hostia ferventer oblata, ad Vaticanas Aedes advocari iussit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Vincentium Vannutelli, Episcopum Ostiensem et Praenestinum, Sacri Collegii Decanum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: *Constare de tribus miraculis; de* primo nempe « instantaneae perfectaeque sanationis Iosephi Mariae « Heleut ab otite media purulenta cum tympani perforatione aliisque « osteítis et periostitis in regione mastoidea sociata phaenomenis »; de altero « instantaneae perfectaeque sanationis sororis Mariae Ferrer « et Nin a mielite compressiva post-traumatica »-deque tertio «instante taneae perfectaeque sanationis Rosae Curio ab ulcere fistuloso ».

Hoc decretum publici iuris fieri et in acta sacrae rituum Congregationis referri mandavit septimo idus martii anno MCMXIX.

£B A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

III

BRIXIEN. •

DECRETUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI LUDOVICI PAVONI, SACERDOTIS ET FUNDATORIS CONGREGATIONIS FILIORUM MARIAE IMMACULATAE.

Ineunte saeculo decimonono, neminem latet quantum efferbuit triplex passionum aestus atque odium impiorum et bellum in veram Christi Ecclesiam eiusque fideles filios; et quomodo misericors et omnipotens Deus ad huius sanctae Matris prolisque tribulataê gemitus et preces, necessarium et opportunum praestitit auxilium per sanctos viros ac mulieres ad causam veritatis et iustitiae coram Deo et hominibus congruis armis tuendam et vindicandam. Ex hisce selectis viris exstitit Ludovicus Pavoni, Brixiensis, e nobili familia ortus die 11 septembris anni 1784. Calamitosis illis temporibus sortitus est parentes Alexandrum et Leiiam Poncarali, religione ac pietate ciaros, qui omnem adhibuerunt operam ut dilectus filius aetate simul ac virtute succresceret. Undecim annos natus primam synaxim devotissime accepit. Acri et versatili quo pollebat ingenio litterarum studiis adiunxit picturae, architecturae et machinariae artes et scientias. Quibus omnibus instructus, bona spe praeluxit novae Familiae religiosae in posterum erigendae ad christianam civilemque puerorum et iuvenum opificum utilitatem, quam a primis annis auspicatus erat. Concors est opinio, voce ac scripto tradita, Ludovicum usque a pueritia angelicis moribus emicuisse, pauperum ac derelictorum angustias et egestatem sublevasse, sui corporis affli ctatione ac ieiunio, assiduaque oratione Deum hominum culpis offensum effecisse placatum. In sortem Domini vocatus et clericalem militiam ingressus, sacras disciplinas penes doctum virum P. Dominicum Ferrari, Ordinis Fratrum Praedicatorum, postea Brixiensem Episcopum, didicit. In theologia dogmatica et morali, quo studio et profectu versatus esset saepe saepius pandebat per accurata responsa ad quaestiones difficiles et obscuras sibi propositas. Prima tonsura et Ordinibus minoribus anno 1803 et sequenti initiatus et per gradus ad duos maiores Ordines promotus, tandem, anno 1807, die 21 februarii, sacerdotali dignitate fuit insignitus. Primis quinque annis sponte sese obtulit in subsidium parochis, qui libentissime eius operam in sacro ministerio exceperunt atque perutilem experti sunt per cathechismos, homilías aliasque praedicationis

species. Tunc et in posterum ampla palaestra apostolicis eius laboribus patuit in Oratoriis quae, de Episcopi Ordinarii assensu et licentia, variis in locis, Ludovico auctore vel fautore aut praeside, in bonum spirituale ac temporale iuventutis, praesertim ex plebe, instituta fuerunt. Praeter Oratorium in oppido *Alfianello,* ubi rusticationis causa et vacationis tempore una cum parentibus se conferebat Dei Famulus, memoranda sunt alia praecipua Oratoria a Sanctis nuncupata, nempe a S. Laurentio, a S. Euphemia, a S. Aloisio, a S. Thoma Apostolo et a S. Ursula, cuius Oratorii sedes dein translata fuit in S. Mariam a Passione, empto aedificio ab ipso munifico Episcopo Gabrio M. Nava, qui etiam Ludovicum in suum elegit secretarium, quo munere Dei Famulus singulari sedulitate ac prudentia functus est. Decennio elapso ab eius sacerdotali ordinatione, ob praeclara merita, canonicus cathedralis Ecclesiae Brixiensis electus ac nominatus, diligenter ac devote choro sacrisque officiis ac mysteriis interfuit. Munus insimul rectoris ecclesiae S. ßarnabae, die I[a] iulii 1818, eidem demandatum fuit ab Episcopo Brixiensi, annuente et consentiente municipio. Dum vero in hac ecclesia sacras functiones cum solemnitate populique frequentia peragendas curabat, in continenti aedificio pueris derelictis et orphanis domum refugii et scholam artium et opificum aperuit, ut cum religione aliquam etiam artem addiscerent sibi victum comp'arando idoneam. Quod opus brevi, una cum ipso aedificio, ita amplificatum est, ut anno 1836 orphanos quoque a grassante lue relictos et anno 1840 surdomutos pueros et adolescentes pro apposita instructione et in separata aede admittere potuerit. Quo tamen Institutum cum suis variis operibus firmius et diuturnius consolidantur, idem Dei Servus, in illa regione primus vel inter primos, annuente et plaudente Brixiensi Episcopo et Summo Pontifice Gregorio XVI benedicente et laudante, divina opitulante gratia, instituit Familiam religiosam e sacerdotibus et laicis selectam, qui, paupertatis, castitatis et obedientiae votis simplicibus adstricti, ad commune bonum, diversimode intenti, operam suam conferrent. Illi enim sacerdotes praecipue Instituti eiusque operum directionem tenerent etiam in spiritualibus; ceteri potius in opificiis adiaborarent praepositi aut artium magistri. Superatis variis diuturnisque difficultatibus, tandem, anno 1847, ab auctoritate ecclesiastica et regia haec sodalitas, cui nomen « Congregatio Filiorum Mariae Immaculatae » approbata fuit. Tunc Dei Servus beneficium canonicale solemniter dimisit, cunctasque suas opes iuridico instrumento novae sodalitati donavit. Mox regularem induit vestem et professionem religiosam emisit; quod et primi sodales fecerunt in ipsius manibus vota simplicia nuncupantes. Clarissimus Cardinalis Mai, die 21 ianuarii 1848,

epistolam scripsit ad Dei Servum amplissimae gratulationis et laudis ob sacrificium dimissionis canonicatus bonorumque temporalium cessionis, in religioso statu amplectendo, pro Christi amore et imitatione, sacrificium spiritualibus consolationibus aeternisque gaudiis commutandum. Eiusmodi sacrificia et exempla, subiungit scriptor, tantum catholica nostra religio agnoscit, probat et offert. Interim Ludovicus integrum opus, tum instituti tum Congregationis, sodalium crescente numero et auxilio atque divina interveniente gratia, perfecit floridumque atque stabile reddidit. Ex eo complures probati viri, zelo et virtute praediti, et quamplurimi operarii et artifices in religione et in arte bene instructi optimique cives et patres familias prodierunt et prodeunt, iuxta sententiam Divini Redemptoris: «Arbor bona bonos fructus facit ». Revera Dei Famulus sacerdotalibus et apostolicis virtutibus excellere visus est, neque solum in interiori domo, Instituto, Congregatione ac Brixiensi dioecesi, sed etiam in finitimis locis ac dioecesibus. Ipse per se perque sodales integram fidem catholicam ferventemque amorem in Iesum Christum, Deiparam Virginem et in Ecclesiam atque Apostolicam Sedem ubique diffudit, adhibito etiam valido et perutili instrumento *la buona stampa* nuncupato. Tandem, quum, furente bello in Brixiensi civitate ac regione, ad domum probationis cum sociis et filiis se recepisset Ludovicus, brevi sed gravi morbo correptus, eoque ingravescente, sacramentis Ecclesiae devotissime receptis suorumque sodalium praesentia et caritate recreatus, verbis pronuntiatis : « Fiat voluntas Dei », obdormivit in Domino, die I[a] aprilis anno 1849. Solemnibus exequiis magna •populi frequentia et pietate celebratis, eius cadaver in coemeterium Seianum et triginta post dies in alterum Brixiense translatum, duodecim annis elapsis, in ecclesiam S. Barnabae, ad religiosam Filiorum Mariae Immaculatae Familiam pertinentem, perlatum est, ubi ab anno 1898, in sacello supra antiquum presbyterium exstructo collocatum, in pace quiescit. Itaque sanctitatis fama quam Dei Famulus in vita adeptus fuerat, post obitum magis in dies clara et insignium virorum testimonio confirmata, viam aperuit, ut super ea Inquisitiones Informativae, Ordinaria auctoritate Episcopi Brixiensis, conficerentur. Quibus expletis et Romam ad sacram Rituum Congregationem deductis, quum omnia in promptu sint et, revisione scriptorum ipsius Servi Dei peracta, nihil obstet quominus procedi possit ad ulteriora, instante Rmo Dno Ioanne Biasiotti, praelato clerico Rev. Camerae Apostolicae et huius causae postulatore, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium et complurium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum, necnon Capitulorum Ecclesiarum Cathe-

dralium et praepositorum generalium Ordinum seu Congregationum Religiosarum, aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, rogatu etiam Congregationis Filiorum Mariae immaculatae et civitatis Brixiensis, Emus et Rmus Dnus Card. Franciscus de Paula Cassetta, Episcopus Tusculanus, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem eiusdem Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuerunt: *Signandam esse Commissionem introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit. Die* 11 martii 1919.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem S. Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Ludovici Pavoni, sacerdotis, Fundatoris Congregationis Filiorum Mariae Immaculatae, die ***1%*** eisdem mense et anno.

A. CARD, VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

IV

URBIS ET ORBIS

DE MISSA VOTIVA SOLEMNI SS.MI SACRAMENTI, VEL DE PACE, OMITTENDA IN ORATIONE XL HORARUM, DIE COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Ex Constitutione Apostolica *Incruentum Altaris Sacrificium* Ssmi Dfìi nostri Benedicti Papae XV diei 10 augusti 1915 permittitur Expositio Ssmi Sacramenti pro Oratione XL Horarum etiam die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. Attamen Missae de Requie cum vestibus sacerdotalibus coloris violacei non sunt celebrandae ad Altare Expositionis.

Per eandem Constitutionem et subsequentem S.R. C. declarationem seu Decretum *Urbis et Orbis,* diei 28 februarii 1917, Commemoratio omnium fidelium defunctorum Festis solemnioribus primariis ritus duplicis primae classis aequiparatur.

Hisce praemissis, quaeritur: Licebitne adhuc celebrare unicam Missam solemnem de Ssmo Sacramento, vel de Pace, de qua sermo est in Instructione Clementina et in Decreto generali S. R. C, n. 3864, diei 9 iulii 1895, ad 4, pro Oratione XL Horarum, quando dies expositionis vel repositionis, aut medius incidit in diem Commemorationis omnium fidelium defunctorum?

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositae quaestioni, omnibus sedulo perpensis, respondendum censuit: *Negative,* et ad mentem.

Mens autem est: « In Ecclesiis ubi die Commemorationis omnium « fidelium defunctorum fiat Oratio XL Horarum cum Ssmo Sacramento « solemniter exposito, huiusmodi expositio sequatur, repositio vero cum « processione praecedat Missam cantatam de die Commemorationis « omnium fidelium defunctorum ». Et Sacra eadem Congregatio, approbante Ssmo Domino nostro Benedicto Papa XV, ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 26 februarii 1919.

)$i A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,

S. B. O. Praefectus.

Alexander Verde, *Secretarius.*

V

ALBINGANEN. ' ...

DUBIUM

Rmus Ordinarius Albinganensis Dioecesis a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem^humiliter expostulavit, nimirum:

Utrum, attenta Constitutione Apostolica *Incruentum Altaris sacrificium,* diei 10 augusti 1915, in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, liceat canere Missam pro defuncto, praesente cadavere?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus sedulo perpensis, rescribendum \censuit :

Affirmative, iuxta Rubricas et Decreta. Missa autem sit una ex tribus Missis quae dicuntur in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum: et Orationi Missae addatur Oratio pro defuncto, sub unica conclusione.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 10 ianuarii 1919.

£g A. CARD. VTCO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Praefectus.

L. © S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

VI

VICARIATUS APOSTOLICI G ABONEN.

DE BENEDICTIONIBUS ET SACRAMENTALIBUS PRO CATECHUMENIS

Rmus Dnus Ludovicus Martrou, e Congregatione Spiritus Sancti, episcopus titul. Corycen. et vicarius apostolicus Gabonen., a S. Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

« An benedictiones imprimis impertiendae catholicis quae, iuxta «can. 1149 Codicis Iuris Canonici, dari quoque possunt catechumenis, « intelligi debeant etiam de sacramentalibus publicis ac proinde admitti « possint catechumeni ad impositionem cinerum, traditionem candelarum « et palmarum? ».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, respondendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 8 martii 1919.

£g A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Praefectus.

h. m s.

Alexander. Verde, *Secretarius.*

VII

DUBIUM

DE NOMINE ANTISTITIS EXPRIMENDO IN CANONE MISSAE

Ex canone 294 Codicis Iuris Canonici, ubi legitur « Vicarii et Prae-« fecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gau-« dent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus, « nisi quid Apostolica Sedes reservaverit », exortum est et Sacrae Rituum Congregationi propositum, pro opportuna declaratione, sequens dubium, nimirum:

« An Vicariis et Praefectis Apostolicis de novo iure competat, in « proprio territorio, ut nominentur in Canone Missae? ».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, attento etiam can. 2 et altero 308 Codicis Iuris Canonici omnibusque perpensis, respondendum censuit *Negative* iuxta rubricas et decreta; quia de iure adhuc vigente, in Canone Missae, post verba *Antistite nostro* exprimendum est tantum nomen Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi qui sint Ordinarii loci, et in propria Dioecesi.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 8 martii 1919.

£g A. CARD. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. G. Praefectus.

L. ^ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACSA ROMANA ROTA

I

ANNEGIEN.

FINIUM PAROCHIALIUM

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die ö februarii 1918, BR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Aloisius Sincero et Fridericus Cattani Amadori, Auditores de turno, in causa* Annecien. - Finium Parochialium, *inter* parochum loci Viuz-Faverges, *appellantem, repraesentatum per legitimum procuratorem Rev. Dom. Carmelum Conte, advocatum, et* parochum loci Faverges, *repraesentatum per legitimum procuratorem Rev. D. Nazarenum Patrizi, advocatum, sequentem tulerunt in secundo gradu definitivam sententiam.*

Extitit olim in loco Viuz dioecesis Genevensis monasterium cui cura parochialis pertinebat pagi Viuz, postea Viuz-Faverges appellati, vicini loci Faverges et territorii circumstantis. Anno autem 1513 per bullam Leonis X ecclesia parochialis S. Ioannis Baptistae apud Viuz cum cappella loci Faverges unita fuit Capitulo ecclesiae Dominae Nostrae in civitate Anneciensi, instituto Rectore in loco Viuz, qui curam actualem totius paroeciae gerebat. Cum vero cursu temporis magis in dies creverit numerus fidelium in pago Faverges, industria opificum locupletato, nec adaequate videretur provisum regimini animarum, transactio quaedam inita est inter communitatem paroeciae et Capitulum Anneciense anno 1763; duobus annis postea ab Episcopo approbata, qua loco unius Vicarii perpetui, duo instituerentur, a se invicem independentes, qui duas partes paroeciae distinctas regerent, quorum unus loco Viuz, alter in pago Faverges résidèrent, cuique assignata portione congrua e fructibus terrae praesertim percipienda, manente apud dictum Capitulum cura habituali totius paroeciae. Is rerum status quadraginta fere annos per duraverat, quando, vigore Concordati Napoleonici, uti notum est, omnes st singulae paroeciae in Gallus suppressae fuerunt, et quisque Episcopus

(Art. IX, Concord.) novam circumscriptionem paroeciarum in sua dio-cesi facere debuit, quae ad effectum perduci poterat tantummodo post obtentum consensum Gubernii. Episcopus Camberiensis et Genevensis, Illmus D. Renatus de Merinville, anno 1803, ad normam Art. IX Con-cordati, duas paroecias erexit in locis Faverges et Viuz-Faverges respective, quae in posterum non solum a se invicem, sed etiam, a quovis alio parocho essent independentes, nempe vere et proprie distinctae paroeciae. Nulla inter eas discordia fuit circa fines parochia-les usque versus finem saeculi decimi noni, quo tempore exstructa est via ferrea a civitate Anneciensi ad oppidum Albertville, quae per medium campum transit inter oppidum Faverges et pagum Viuz-Faverges, ubi hucusque nulli erant incolae. Statio sub nomine Faverges, ad latus viae ferreae oppidum huius nominis prospiciens, erecta est, et aliae aedes in terreno circumstante constructae. Uterque parochus ius sibi recla-mava novis incolis sacramenta administrandi. Ut scandalum amoveretur quotidiani conflictus inter parochos mandavit Episcopus anno 1899 ut pro tempore, donec ab auctoritate competenti quaestio resolveretur, et quin ullum iuri unius vel alterius parochi praeiudicium obveniret, ter-ritorium inter portam meridionalem coemiterii Faverges et viam ferream versus Ecclesiam parochialem Viuz-Faverges ad hanc pertinere cense-atur. Anno insequenti, 1900, nempe, cum parochus oppidi Faverges ad aliam curam promotus sit, successor eius Rev. D. Naire die 14 aprilis 1901 in coetu Consilii Fabricae ius paroeciae affirmavit ad praefatum terri-torium, quin tamen actione quadam ius praetensum prosequeretur. Mortuo ipso anno 1909, hodiernus archipresbyter paroeciae Faverges, Rev. Victor Henry, vix uno mense ab incoepto munere elapso, causam de finibus agitare statuit. Ordinarius post inquisitionem factam, et audi-tam utramque partem, cum fines inter duas paroecias incerti sibi vide-rentur, facultate usus est a Conc. Trid., sess. 24, cap. 13. Ordinariis concessa et decreto suo diei 16 maii 1914 fines certos stabilivit, deter-minando scilicet ut linea divisionis intra duas paroecias esset nova via ferrea a puncto ubi egreditur a paroecia S. Columbi usque ad viam vicinalem n. 16, quae iacet ad latus occidentale pagi Viuz;- per hanc viam deinde linea ducitur ad Pontem dictum « D'Englannaz » ; inde per viam quae ducit ad vicum Favergettes usque ad pontem huius nominis; sequitur dein cursum Torrentis S. Rulphi usque ad punctum ubi aquas recipit rivuli varii nominibus appellati « de Combaptême », « de Belle-combe », «de Chancobert»: huius rivuli cursus lineam divisionis con-stituit usque ad viam dictam « de Pré Rondeau » quae et ipsa finalem tractum divisionis signat usque ad montem dictum « de la Motte ».

Paroehus loci Viuz Faverges, reputans sibi detractam fuisse magnam portionem terreni, quam indubio iure ad paroeciam suam pertinere duxit, recursum fecit ad S. Congr. Concilii, quae, re investigata, censuit illam ordine iudiciali servato dirimendam esse, iussitque causam in primo gradu disputari coram tribunali Curiae dioecesanae. Archipresbyter Paroeciae Faverges, partes diligentioris agens, convenit parochum alterum coram tribunali Curiae, cuius sententia prodiit die 28 septembris 1916, qua aliquantulum modificata est linea divisionis in decreto Ordinarii descripta, quatenus nempe, servata via ferrea tanquam linea divisionis usque ad viam N. 18, dictam « Fin de Viuz », per illam pergit usque ad Viam « de Lettraz » et cappellaio Annunciationis; unde prosequitur per viam vicinalem N. II, « de Favergettes à la Chapelle de l'Annonciation» usque ad crucem dictam « de Favergettes », et inde ad torrentem S. Rulphi, cuius cursum sequitur usque ad rivulum dictum « de Combaptême », « de Bellecombe », « de Chancobert », qui tractum finalem divisionis signat usque ad montem « de la Motte ».

Parochus loci Viuz Faverges sententiae Curiae non acquievit, cum a sua iurisdictione excluderet novam stationem viae ferreae cum aedibus circumvicinis, et appellationem interposuit ad Hunc Sacrum Ordinem; unde sequens dubium, ab utraque parte subscriptum, proponitur dirimendum:

Quomodo determinandi sint fines inter paroecias dictas Viuz Faverges et Faverges respectu terreni, de quo in sententia Curiae dioecesanae die 28 septembris 1913.

In primis, notare praestat quod planta topographica terreni controversi, a DD. Auditoribus adhibita in quaestione discutienda, est illa authentica ad scopum litis coram N. Tribunali praeparata. Cum enim quisque litigans propriam terreni plantam independenter nobis obtulerit, quae partim inter se non cohaerebant, et plura nomina sive locorum sive domorum òmittebant, de quibus testes loquebantur, ita ut depositionum significatio obscura maneret, mandavit D. Ponens ut unica conficeretur terreni planta, ab utraque parte subscripta, quae quatuor lineas divisionales continere deberet; primam, nimirum, in decreto Ordinarii descriptam, secundam a Tribunali dioecesano definitam, tertiam et quartam a partibus in gradu appellationis respective petitam: rogavit insuper ut in eadem, situs indicaretur omnium locorum, domorum etc., quorum nomina in depositionibus testium occurrebant. Ponentis mandatum ad unguem exsequi curavit Rmus Ordinarius Anneciensis.

Antequam de merito quaestionis inquiramus, necesse est iuridicam partium positionem determinare, qua nimirum patebit cuinam ex ipsis

incumbat onus probandi. Iamvero, lis praesens ortum duxit a Decreto Ordinarii, quo fines paroeciarum, quos per inquisitionem factam incertos reperiit, certos redderet. Indubitati iuris est Episcopo competere facultatem determinandi fines parochiales ubi incerti sunt, uti decernit Conc. Trid., sess. 24, *De ref.*, cap. 13 « in iis quoque civitatibus et locis, «ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines... mandat S. Syno- « dus Episcopis... ut distincto populo in certas propriasque parochias, «unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent ». Parochus loci Viux-Faverges contra huiusmodi decretum recursum fecit ad S. Congr. Concilii, quae censuit rem dirimendam esse, non modo administrativo, sed ordine iudicii, pro quo competentiam non habebat, unde recurrentem remisit ad tribunal dioecesanum. Recursus parochi quidem remansit, sedes vero ipsius per actum S. Congr. mutata est; et eatenus contra Ordinarii Decretum, pro quo stat iuris praesumptio, in iudicio praevalere potest parochus recurrens, quatenus probare potest fines suae paroeciae certos praeextitisse decreto controverso, quo mutati sunt in ipsius paroeciae damnum.

Neque reiici potest onus probandi in Archipresbyterum adversarium ex eo quod ipse, partes diligentioris agens, parochum contra Episcopi Decretum recurrentem convenit coram tribunali, cum explorati iuris sit parti diligentiori ius competere adversarium in iudicium vocandi, sive actor sive reus sit, quin propriae iuridicae conditioni praeiudicium afferat. Parochus loci Faverges, autem, nihil aliud petit sive in prima instantia, sive in gradu appellationis, nisi ut sustineatur- Decretum Episcopi.

Oportet, igitur, ut parochus loci Viuz-Faverges probet sibi gravamen iniustum illatum esse per Decretum Ordinarii, quatenus a sua paroecia terrenum tollit quod intra fines eiusdem *certos* continebatur.

Id reapse probavit parochus praedictus in prima instantia respectu tractus cuiusdam lineae ab Ordinario definitae; nam via quae ducit a Cappella Annunciationis ad crucem « de Favergettes » fines certos paroeciae Viuz-Faverges ex illa parte constituere dicenda est. Imprimis pro talibus finibus militat praesumptio, quae oculos percellit cuiusque plantam topographicam respicientis, inde exsurgens, quod huiusmodi via fere directe colligat partem indubitatam paroeciae, vicum nempe dictum « Favergettes », cum Ecclesia parochiali apud Viuz. Imo, peritus geometricus, R. Berger, testatur hanc viam, juxta plantam topographicam censúale m anni 1731, solam fuisse quae a loco Favergettes ducebat ad Ecclesiam parochialem Viuz: « D'après le plan Cadastral soit mappe « de 1731, le chemin qui va de l'Eglise paroissiale de Viuz au hameau « de Favergettes en passant par la Chapelle de l'Annonciation est le

«seul chemin qui existait alors entre ce village et l'Eglise paroissiale « de Viuz, dont il dépendait au spirituel ». Testes dein narrant processiones Rogationis paroeciae Viuz ab antiquo tempore illam viam secutas fuisse: ita testis Constantinus Marchand, qui sexaginta annos aetatis suae habet: « Comme enfant de chœur, j'ai assisté à la procession des « Rogations faite par le Curé de Viuz sur le parcours de l'Annoncia- « tion à Favergettes ». Confirmant testes Philibertus Dussolier, Rev. Parochus F. J. Chomety et alii. Ex alia parte nullum adducitur positivum testimonium de iurisdictione seu cura parochiali in territorio ultra hanc viam a parocho loci Faverges exercita.

Neque intelligi potest usus publicus et pacificus huius viae a parte paroeciae matricis Viuz tanquam servitus activa tantummodo in territorio alieno, nempe in paroecia loci Faverges, uti contendit patronus huius loci. Nam prius esset probandum quod ante Decretum Ordinarii haec pars terreni ad paroeciam dictam pertinuit; servitus enim activa non habetur nisi in re aliena ; id vero non probatur. Imo testatur Reverendus D. Gerfeaux, qui munere Vicarii fungebatur in paroecia Faverges ab anno 1863 ad annum 1870, parochum Ecclesiae Faverges eo tempore limites paroeciae ultra Cappellani Annunciationis extendere nunquam prétendisse : « La Chapelle de l'Annonciation », ait, «peut et doit « être considérée comme point terminus à peu près incontestable. Je n'ai « jamais entendu M. Marullaz émettre la prétension de porter plus loin « les limites de sa paroisse ». Ideoque, etiam in hypothesi quod nulla exstitit authentica divisio per lineas inter duas paroecias, sed tantummodo per pagos, huiusmodi tractus terreni pertinere dicendus est ad paroeciam Viuz-Faverges; siquidem iacet inter pagos huius paroeciae proprios, ibique constanter exercita fuit iurisdictio parochi loci Viuz, nullatenus vero parochi alterius loci Faverges.

Contendit insuper parochus loci Viuz fines suae paroeciae a Cappella Annunciationis continuari usque ad portam meridionalem Coemeterii loci Faverges: id vero praecipue probari censet ex antiqua consuetudine, a pluribus testibus relata, et documentis quibusdam confirmata, de processionibus funebribus, quae, sive ab Ecclesia parochiali apud Viuz proficiscuntur versus oppidum Faverges, sive viceversa ab Ecclesia oppidi Faverges versus Ecclesiam parochialem Viuz, ad portam meridionalem dicti Coemeterii sistere consueverunt, et ibi locum cedere processioni alterius paroeciae, quae cadaver sepeliendum comitari pergebat versus propriam Ecclesiam. Aliqui quidem testes de exceptionibus huius regulae deponunt, sed, omnibus perpensis, de facto consuetudinis sufficienter constare dicendum est.

Quid vero de eius interpretatione? Certe, consuetudo huiusmodi praesumptionem ordinarie facit de exsistentiae limitum paroeciae in puncto loci, ubi processiones parochiales ad-invicem occurrentes, constanter et pacifice mutuo sibi cedunt locum. At praesumptio, nedum veritati, sed et alteri fortiori praesumptioni cedere debet. Iamvero, inter locum occur-, sus processionum funebrium et Ecclesiam Viuz iacet totum coemeterium parochiale oppidi Faverges, ita ut, admissa linea divisionis, quam parochus Viuz a N. Tribunali in gradu appellationis petit, coemeterium parochiale loci Faverges intra fines alterius paroeciae totaliter contineretur. E contra; coemeterium parochiale intra fines propriae paroeciae includi praesumendum est, nisi aliud concludenter probetur, quod in casu nostro non probatur. Erectum est dictum coemeterium anno 1823 quin ulla memoria extet in archivo parochiali sive veniae petitae a parocho oppidi Faverges, sive protestationis cuiusvis factae ex parte alterius paroeciae, uti testatur Sacerdos Chaumontet, olim parochus oppidi Faverges. Nec ullum vestigium similis protestationis quocumque modo factae in actis habetur. Ampliatum est coemeterium anno 1879 sine venia petita parochi loci Viuz, et sine protestatione ab eodem facta. Praesumendum est igitur per erectionem coemiterii oppidi Faverges eiusque ampliationem, utramque sine venia parochi alterius loci factam, nullum huius paroeciae ius fuisse laesum, ac proinde fines parochiales loci Faverges iure extenduntur ultra locum occursus processionum funebrium. Pacifica nimirum possessio fere centenaria ex parte paroeciae Faverges huius terreni, ad usum coemeterii parochialis adhibiti, evidens signum est illud non contineri intra limites paroeciae loci Viuz.

Praeterea, notandum est praesumptionem e loco occursus processionum parochialium petitam, eatenus tantum valere ad limites paroeciae signandos, quatenus supponitur paroecias ipsas per lineas divisionales ab invicem distingui: probabilius tamen dicendum est paroecias locorum Faverges et Viuz Faverges nunquam per lineas divisionales authentice distinctas fuisse, sed tantummodo per pagos, qui «sus-portes » et « sous-portes » vocabantur, quorum primus ad paroeciam Faverges, alius ad paroeciam Viuz-Faverges pertinebant. Rationes huius fundatae opinionis sunt sequentes: 1) nulla exstat memoria scripta, quae vel indirecte innuit distinctionem paroeciarum per lineas divisionales. 2) In transactione inita an. 1763 vel in decreto episcopali an. 1765, quo effecta est prima divisio antiqua paroeciae Viuz in duos vicariatus, quae per «redintegrationem » ab Episcopo sub lege Concordati peractam an. 1803 in hodiernis veris et distinctis paroeciis Faverges et Viuz-Faverges continuatur, nulla omnino mentio fit divisionis linealis, sed sermo est tan-

tummodo de pagis («des hameaux sus-portes et sous-portes»), qui cuique Rectori seu Vicario parochi habitualis respective assignantur. Si tamen per lineas, vias nimirum etc., facta fuisset divisio, ita ut termini simul contermini essent utriusque partis paroeciae divisae, illud omnino ^recolendum fuisset in documento, quod iura et onera utriusque partis minutatim describit. Ex omissa mentione ipsius probabiliter concludi potest divisionem per lineas non esse factam.

3) Tertia ratio est quod, supposita divisione per pagos, quatenus divisioni per contérminos opponitur, intelligi potest quomodo sine sanctione auctoritatis superioris petita vel data, et sine protestatione alterius paroeciae, novae domus prope portam oppidi Faverges et « Crucem petream » erectae, in districtu nempe nomine « Quartier des Granges » appellato, iurisdictioni determinatae et exclusivae parochi loci Faverges subduntur: etenim accedunt pago, ideoque tanquam accessorium ad partem principalem seu pagum pertinent.

Re quidem vera, consentiunt plures testes ab utraque parte producta de traditione a maioribus accepta loquentes, successivas mutationes factas fuisse in terminis paroeciae Faverges a latere huius oppidi paroeciam Viuz prospiciente; dicunt enim portam ipsius oppidi primo terminum constituisse, deinde « Crucem petream », denique portam meridionalem coemeterii, quin tamen ullum interventum auctoritatis legitimae, vel tempus praecisum quo facta fuisset mutatio, assignare possint. In hypothesi linealis divisionis inter paroecias huiusmodi mutationes intelligi nequeunt, quia fines paroeciae semel certo fixi praescribi non possunt, nec mutari nisi ad normam iuris et cum solemnitatibus a iure praescriptis. In hypothesi vero divisionis per pagos facile explicantur, quatenus quisque parochus iurisdictionem exclusivam exercet in pagis sibi subiectis et eorumdem aecessoriis, dum in zona quae inter utramque paroeciam iacebat uterque parochus paucissimis incolis, qui ibidem habitabant, sacramenta promiscue administrabat. Domus vero noviter erectae prope pagum partem pagi constituere censebantur, ac proinde parocho illius pagi exclusive subiiciebantur.

Hypothesis, igitur, divisionis per pagos probabilior dicenda est altera per lineas facta. Sed in huiusmodi hypothesi, ut patet, locus ubi ex consuetudine sibi occurrunt processiones fúnebres utriusque paroeciae desinit esse signum cont er minorum paroeciarum, quippe qui contermini in data hypothesi reapse non existebant.

Tándem, quae dicunt testes de traditione maiorum circa lineam divisionis ostendunt hanc traditionem non fuisse constantem de finibus fixis et certis inter duas paroecias.

Concludendum est, igitur, parochum loci Viuz-Faverges non probasse fines certos suae paroeciae inter Cappellani Annunciationis et paroeciam S. Columbi exstitisse intra terrenum per Episcopi Decretum paroeciae loci Faverges assignatum, ac proinde, quoad hanc terreni partem sustinendam esse finium designationem in Decreto Ordinarii definitam, prout sustinetur in sententia primi gradus. Videlicet, linea divisionis sequi debet viam feream a paroecia S. Columbi usque ad viam n. 18 dictam « Fin de Viuz » per quam duci debet ad viam « de Lettraz » et Cappellani Annunciationis: unde prosequi debet prout in sententia primi gradus designatur, nempe per viam vicinalem n. 11, usque ad Crucem dictam « de Favergettes », et inde ad Torrentera S. Rulphi, cuius cursum sequitur usque ad rivulum varie appellatum « de Combaptême », « de Bellecombe », « de Chancobert », qui tractum finalem divisionis signat .usque ad Montem « de la Motte ».

Quibus omnibus perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, proposito dubio respondentes : Determinandos esse fines inter paroecias dictam Viuz-Faverges et Faverges, respectu terreni, de quo in sententia Curiae dioecesanae d. 28 septembris 1916, iuxta limites in eadem sententia definitos: statuentes, praeterea, expensas iudiciales esse inter partes compensandas.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De Reform.*, Conc. Trid., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 5 februarii anno 1918.

Ioannes Prior, *Ponens.*
Aloisius Sincero.
Fridericus Cattani-Amadori.

L. * S.

Ex Cancellaria S. R. Rotae.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

II

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (LOUBBRY-RISLER)

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die 9 iulii 1918, BB. PP. DD. Seraphinus Manu, Ponens, *Ioannes Prior, et Aloisius Sincero, Auditores de turno, in causa* Parisien. - Nullitatis matrimonii, *inter* Margaritam Loubery, *actricem, repraesentatam per legitimum procuratorem Nazarenum Ferrata, advocatum, et* Andream Risler, *in gradu appellationis contra sententiam Bev. Curiae Parisiensis a defensore vinculi Parisiensi interpositae, interveniente et disceptante in causa defensore vinculi ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Margarita Loubery, puella catholica, domicilium cum genitoribus fovens Parisiis, in parochia Dominae Nostrae Gratiarum de Passy, sponsalia contraxit, anno 1904, cum Andrea Risler, iuvene sectae protestantium addicto, in alia parochia Parisiensi domicilium habente. Porro, cum rite a Curia Parisiensi dispensationem super impedimento mixtae religionis impetrassent, matrimonium celebrarunt, die 26 iunii anni 1906, in ecclesia S. Ludovici *des Invalides,* cuius rector, Rev. Meuley, nuptiis benedixit. Uti saepissime contingit in huiusmodi nuptiis mixtis, matrimonium infelices exitus habuit. Unde mulier, ut suam recuperaret libertatem, Curiam Parisiensem supplici libello adiit, petens ut suum cum Andrea Risler matrimonium nullum ex capite clandestinitatis declararetur, quia nimirum, aiebat, sacerdos Rev. Meuley, qui matrimonio astiterat, neque parochus proprius alterutrius sponsi erat, neque delegationem acceperat ab Ordinario Parisiensi, aut a parocho proprio alterutrius sponsi. Revera Curia Parisiensis, sententia die 22 maii anni 1917 lata, matrimonium ex dicto capite clandestinitatis nullum esse declaravit. A qua sententia cum ad H. S. O. appellaverit vinculi Defensor Parisiensis, causa hodie venit sub consueto dubio: *Utrum constet de nullitate matrimonii in casu.*

*

Quod ad ius spectat. - In iure, quod vigebat tempore quo contractum fuit dictum matrimonium, certum est matrimonium esse nullum quando celebratum fuit « aliter quam praesente parocho, vel alio sacer-

«dote, de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus « testibus » (Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. I *De reformatione matrimonii).* Haec autem parochi proprii licentia dupliciter dividi potest; licentia potest esse *generalis* vel *specialis; generalis,* quando datur aut ad totam curam animarum exercendam, aut ad omnia sacramenta admistranda, aut ad omnia matrimonia celebranda; *specialis,* quando datur ad *hoc* matrimonium celebrandum. Iterum licentia potest esse vel *expressa,* vel *tacita,* vel *interpretativa: expressa,* quando scripto, vel verbis, aut nutibus, qui verbis aequivaleant, manifestatur; *tacita,* quando parochus, sciens sacerdotem extraneum matrimonio assistere vel astiturum, tacet, cum possit facile contradicere; *interpretativa,* quando parochus in eo animi statu versatur, ut, si sacerdos ab eo licentiam assistendi peteret, eam concederet; ideoque haec licentia vocatur *praesumpta,* quia parochus praesumitur eam concessurus, si peteretur.

Non sufficere ad valorem matrimonii licentiam interpretativam seu praesumptam, in aperto est; daretur quidem licentia, sed de facto non datur, cum non petatur.

Quod attinet ad licentiam tacitam, utrum nempe sufficiat, quidam auctores negant; sed sententia verior et multo communior tenet eam sufficere. Revera, quod sufficiat haec licentia, non est aliud quam applicatio notissimae regulae 43 Iuris, in VI: « Qui tacet, consentire videtur »: cuius regulae hic est sensus, iuxta Reiffenstuel, in tit. *De regulis Iuris,* in hanc Regulam, n. 4: « Qui tacet, in favorabilius consentire vide« tur ; qui vero in praeiudicialibus tacet, tunc consentire videtur, quando, « contradicendo vel expresse dissentiendo, facile potest impedire id de « quo agitur, et in contrarium nulla coniectura apparet»; de quo etiam Barbosa, in eumdem titulum *De regulis Iuris,* in hanc regulam, n. 15: « Sciendum est illum, qui sciens et praesens tacet, ipsa taciturnitate osten« dere proprium consensum, nisi legitima in contrarium detur conie« ctura;... ratio est, quia qui tacet cum possit dissentire, ipsa taciturnitate « ostendit se simul sentire ». Quod, ut etiam addit Reiffenstuel (loc. cit., n. 5), confirmatur capite *% De his quae fiunt a Praelato,* etc., ubi, ex eo solo capitulum pro consentiente habetur, quia non contradicit: « Si, con« ventu (capitulo) sciente et non contradicente, facta est (concessio deci« mae), robur firmum debet habere ». Igitur, si parochus proprius, sciens sacerdotem extraneum matrimonio astiturum, tacet, cum facile possit contradicere, nec sit in contrarium coniectura, v. g., ex verbis aut nutibus, dat licentiam tacitam; quae tacita licentia, iuxta sententiam veriorem et communiorem, ut diximus, sufficit ad matrimonii validitatem. Ita Sánchez, *De matrimonio,* libro III, disp. 35, n. 20. Ita etiam Benedictus XIV,

Institutiones eccles., Inst. 33, n. Î2; ibi agit de iis qui carceribus pro custodia ad tempus incertum detinentur, nec ullum ibi acquirunt domicilium aut quasi-domicilium, ideoque parocho loci, in quo est career, non sunt subditi ; attamen eorum matrimonia, coram hoc parocho inita, valida declaravit Benedictus XIV, quia non deerat licentia tacita Ordinarii loci, scilicet archiepiscopi Bononiensis: « Ut iam inita matrimonia «rata firmaque sint, sufficit si eadem minime ignoraverit, imo pertu-« leriti atque ideo permiserit, is (scilicet archiepiscopus), qui eo tempore « sapienter hanc ecclesiam administraba!, quemadmodum Tridentinum « Concilium his verbis asseruit: " Qui aliter quam praesente parocho, « vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia „ », etc., ubi, ad validitatem dictorum matrimoniorum hoc solum requirit Bene dictus XIV, scilicet quod Ordinarius ea matrimonia *cognoverit* et *pertulerit:* quae duo licentiam tacitam constituunt; de se enim intelligitur archiepiscopum facile potuisse contradicere. Sic etiam diserté Pichler, in tit. *De clandestina desponsatione,* n. 22, ad 4: « Utrum vero sufficiat « licentia tacita, seu mera taciturnitas et non contradictio parochi, alium «assistere vel astiturum scientis, cum tamen contradicere posset, con-« troversia est: negant Fagnan., Bonacina, et inclinat Sporer *(Demátri-« monio,* n. 245); affirmant melius et communius alii cum Sánchez (lib. III, « disp. 35, n. 20, 21), Gobat, Palao, etc.; quia in illis, quae sunt modici « praeiudicii, et simul favorabilia, uti est matrimonium, scientia et « patientia operatur consensum, et licentiam veram actualem, tacitam « nimirum.... Recte enim praesumitur de praesenti consentire parochus, « qui facile dissentire et contradicere posset, cum nullum fere praeiu-« dicium patiatur, si consentiat ; iuxta caput 43, *De regulis Iuris,* in VI : « Qui tacet, consentire videtur ». Hos auctores plurimi secuti sunt, v. g. Engel, in tit. *De clandestina desponsatione,* n. 15; Schmalzgrueber, in eumd. tit., n. 194-195; Rosset, *De matrimonio,* n. 2232, t. IV, p. 153, etc.

Huiusmodi licentiam tacitam sufficere ad validitatem matrimonii negant quidam auctores, v. g., Fagnan., in caput *Quod nobis, % De clandestina desponsatione,* n. 31, 33, attenta resolutione S. Congregationis Concilii, quae sic sonat: « An, ut sacerdos, qui non sit proprius contrahentium « parochus, eos matrimonio coniungere possit, sufficiat tacita licentia, «quae resultat ex tolerantia: S. Congregatio censuit non sufficere, sed « requiri vel commissionem generalem administrandi omnia sacramenta, « vel, si haec non adsit, specialem et expressam licentiam ». Verum praeterquam quod haec decisio affertur sine die et anno, notandum est illam impedimento non fuisse quominus auctores supra relati et ipse Benedictus XIV, licentiam tacitam sufficere docuerint. Emus Gasparri *{De*

matrimonio, n. 1134, t. II, p. 164-165, edit. 3), postquam sic licentiam tacitam definivit: « Licentia est tacitarsi scilicet parochus aut Ordinarius « praesens non est in matrimonii actu, sed scit sacerdotem assistere, « potest facile contradicere, et tacet », dicit sententiam a Sánchez aliisque supradictis traditam esse *veriorem* et *communiorem;* nihilominus attenta praedicta decisione S. Congregationis Concilii, incertus haeret, his additis verbis: « Si agatur de matrimonio contrahendo, retinenda « est sententia Fagnani; si de contracto, stetur pro matrimonii valore ».

Quidam auctores aliam dant licentiae tacitae definitionem. Ita Wernz, qui dicit licentiam esse legitimam, si detur « tacite per facta vere concludentia » *(Ius matrimoniale,* n. 180, ad III, edit. 1904). Unde, iuxta illum, licentia tacita oritur, non ex silentio et taciturnitate '(ut-dicunt omnes auctores supra relati), sed ex factis vere concludentibus. Ita etiam Aichner, *Compendium iuris ecclesiastici,* § 192, nota 13, edit. 1905; Tauber, *Manuale iuris canonici,* §152, quaer. 2°, edit. 1908. Verum haec licentia potiori iure diceretur *expressa,* vel *quasi expressa,* quia exprimitur, non quidem per verba aut scripta, sed per *facta;* ut enim fert notissimum effatum: «facta sunt validiora verbis »; unde ait Barbosa *(Axiomata iuris,* axioma 27, n. 3): «Facta sunt fortiora ad « demonstrandum animum (scilicet hominis intentionem), quam verba » ; unde etiam S. Rota pluries edixit « facta magis esse attendenda quam verba»; et «facta non minus per se loqui quam verba»; dec. 151, n. 24, Parte X; dec. 328, n. 10, Parte XVIII, t. I, inter *Recentiores;* cf. etiam annot. ad dec. 131, n. 254 seq., Parte VIII. Itaque, quod ad validitatem matrimonii sufficiat haec licentia, clarum est, nec potest esse difficultas. Unde ante matrimonium, deficiente licentia scripta aut verbali, consultum est ut sacerdos non procedat ad celebrationem matrimonii, nisi habeat huiusmodi licentiam; sed, matrimonio inito, etiamsi defuerit haec licentia quasi expressa, non potest declarari nullitas matrimonii, nisi actor demonstraverit defuisse etiam licentiam tacitam proprie dictam; quia, ut dictum est, secundum sententiam veriorem et communiorem, haec licentia sufficit ad tuendum valorem matrimonii, praesertim post factum.

Quod ad factum spectat. - Ut causam vincat actrix, probare debet sac. Rev. Meuley, qui neutrius sponsi parochus proprius erat, nuptiis benedixisse absque licentia Ordinarii vel parochi proprii. Quod attinet ad Ordinarium, facile concedi potest non intervenisse eius licentiam, tum ob claram et firmam Vice-Officialis Rev. Coriton assertionem, in suo interrogatorio, ad 4, tum ob usum Curiae Parisiensis, scilicet non

cumulandi (nisi aliter expresse caveatur) licentiam ad assistendum matrimonio cum dispensatione super impedimento matrimonii; de quo usu agit idem testis Rev. Goriton, in dicto responso ad 4, et iam actum est in alia *Parisien,* die 24 martii 1911 (cf. *Acta Apostolicae Sedis, t* III, p. 328-330). Item, quod attinet ad parochum proprium sponsi, non nimium insistendum est; cum enim sponsus esset sectae protestantium addictus, nullum cum parocho commercium fovebat, nec, occasione matrimonii, quidquam ab eo petendum habuit, ne publicationem quidem bannorum, quae Parisiis, in parochia sponsi acatholici omitti debuit (cf. *Statuts Synodaux du diocèse de Paris,* an. 1902, n. 482, p. 300-301); unde verisimile est parochum proprium Andreae Risler nunquam de huius futuro matrimonio audivisse.

Remanet parochus proprius sponsae, scilicet parochus ecclesiae Dominae Nostrae de Passy, eiusque primus vicarius; notum enim est Parisiis primum vicarium, quoad res matrimoniales, parocho assimilari. Igitur probare debet actrix a parocho vel primo vicario dictae ecclesiae nullam sacerdoti Rev. Meuley datam fuisse licentiam expressam aut tacitam controversiis nuptiis benedicendi.

Quod spectat ad licentiam expressam, in fide matrimonii nulla eius fit mentio; memorata quidem est dispensatio super mixta religione ab Ordinario Parisiensi concessa ; ^ d licentiae, quae a parocho Rev. Douvain, vel primo vicario Rev. Protois, data fuisset, nullum vestigium est. Attamen inde concludi nequit defuisse parochi proprii licentiam expressam, saltem verbalem. Scitum est enim libros parochiales baptismorum, matrimoniorum, funerum, etc., non, constituere probationem nisi quoad factum principale baptismi, vel matrimonii, vel sepulturae; quoad ceteras res aut facta accessoria, v. g. qualitates personae baptizatae, mortuae, etc., praedicti libri non constituunt nisi praesumptionem. Nec dicatur, in specie, licentiam ad celebrandum matrimonium non esse rem accessoriam, bene vero principalem et substantialem, ideoque non valere responsum; nam, quidquid id est, negari nequit argumentum ex omissione desumptum, esse argumentum negativum, et argumentum negativum seu omissionem nunquam constituisse nec constituere probationem, quia tandem aliquando haec omissio variis causis attribuì potest, v. g., oblivioni aut merae « inadvertentiae », aut falsae persuasioni (v. g., in casu, quod mentio licentiae non sit necessaria), etc. Unde animadvertit Pallottini *(Collectio Resolutionum S. C. C.* v° *Matrimonium,* § 16, n. 22; t. XIII, p. 261) omissionem delegationis in fide seu attestatione matrimonii non officere validitati matrimonii: « Nec « etiam officit, quod delegatio non reperiatur in libro matrimoniorum

« ad Curiam transmisso et compulsato, cum id evenire potuerit ex negli-« gentia parochi; ex qua nihil contra matrimonii validitatem desumi « potest ».

igitur ex omissa licentiae expressae mentione in fide matrimonii, de quo agitur, non exurgit nisi praesumptio non^concessae licentiae. Imo, in casu, haec praesumptio aliis in contrarium praesumptionibus eliditur; asserit enim sac. Rev. Meuley, in suo interrogatorio ad 5, se solitum fuisse delegationem postulare, et addit parochum Rev. Douvain, cuius fuerat vicarius, et quo adhuc amice utebatur, nunquam sibi delegationem récusasse; unde concludit omissionem concessae licentiae, in casu, oblivioni adscribi debere: « M. Douvain, dont j'avais été vicaire, et « avec qui j'étais resté en excellents termes, n'a jamais refusé de délé-« gation pour un mariage à célébrer aux Invalides.... Si la délégation «n'a pas été mentionnée, c'est évidemment un oubli de ma part, car «j'étais dans l'habitude d'exiger une délégation». Nec dicatur sacerdotem Rev. Meuley se putasse, quoad hoc matrimonium, competentem; nam, e contra, in attestatione matrimonii, accurate refert loca, in quibus, tempore matrimonii, sponsi habitabant; unde probe noverat neutrum sibi esse subditum.

Igitur probatum non est, in casu, defuisse *expressam* parochi proprii licentiam ; multo minus probatum est defuisse licentiam *tacitam.* Imo ex actis demonstratur hanc adfuisse licentiam tacitam, quae, ut dictum est in expositione iuris, sufficit ad asserendam matrimonii validitatem. Adest licentia tacita, ut etiam ibi dictum est, quando parochus scit sacerdotem extraneum matrimonio assistere aut astiturum, et tacet, cum facile contradicere possit. Porro, ex actis constat Rev. Protois, primum vicarium, probe novisse sacerdotem Rev. Meuley matrimonio, de quo agitur, astiturum esse. Nam, in protocollo publicationum dicti matrimonii, et in libello missarum agendarum (quae duae scripturae in archivio ecclesiae parochialis de Passy asservantur), diserte scriptum est matrimonium Loubery-Risler celebrandum esse in ecclesia *des Invalides,* cuius rector erat Rev. Meuley; et has dictiones, tamquam manu sua scriptas, recognovit D. Protois, in suo altero interrogatorio, ad 3. Aliunde idem D. Protois, si noluisse! matrimonium in dictoloco celebrari, facile potuisset, auctoritate qua pollebat uti primus vicarius, protestan et contradicere. Rev. enim Meuley non erat Praelatus aut Superior, a quo quidquam sperare aut timere poterat. Cum ergo D. Protois tacuerit, hoc ipso sacerdoti Rev. Meuley licentiam tacitam matrimonium in ecclesia *des Invalides* celebrandi concessit. Hic est enim, ut ita dicam, casus classicus licentiae tacitae.

Notandum est non adesse licentiam tacitam, quando parochus scit quidem alium sacerdotem matrimonio assistere aut astiturum, sed simul credit hunc sacerdotem esse competentem, quia putat illum esse aut parochum proprium, aut aliunde legitime delegatum; tunc enim tacet parochus, sed de concedenda licentia ne cogitat quidem, nec cogitare potest; ideoque non adest licentia tacita; et hoc negari nequit (cf. Gaspard, De *matrimonio,* n. 1135, t. IT, p. 165, edit. 3). At, in nostra specie, Rev. Protois, primus vicarius, putare non poterat Rev. Meuley esse competentem ad celebrandum dictum matrimonium ; ipse enim scripserat libellum supplicem in quo Curia petebat pro sponsis dispensationem super mixta religione, et in quo describit loca ubi sponsi tunc habitabant; quae loca posita sunt extra fines in quibus capellanus ecclesiae *des Invalides* suam iurisdictionem exercebat; insuper prae manibus habuit, ut infra videbitur, rescriptum Curiae, in quo concedebatur dicta dispensatio super mixta religione, sine ulla mentione delegationis ad celebrandum matrimonium; praeterea asserit, in suo priori interrogatorio, ad 5, parochum ecclesiae de Passy, Rev. Douvain, nunquam has licentias concessisse; dicit enim: « Je puis dire que M. Douvain, aujour- « d'hui décédé, n'accordait jamais ces permissions, mais renvoyait tou- « jours, par principe, à l'Archevêché ». Quod attinet ad parochum sponsi, sectae protestantium addicti, probe noverat etiam Rev. Protois sponsos nihil ab illo petivisse aut petituros quoad futurum matrimonium, ne publicationem quidem bannorum, ut supra dictum est; ex quibus omnibus D. Protois concludere debebat Rev. Meuley esse prorsus incompetentem ad celebrandum dictum matrimonium; unde, quando in suo altero interrogatorio, ad 5 et 6, dicit: « Je supposais que la permission « leur avait été donnée ou leur serait donnée de se marier aux Inva- « lides... J'ai pensé que tout était en règle au moment où j'ai inscrit «la messe pour le mariage sur mon agenda, ou que tout serait en « règle », haec opinio aut coniectura nullo solido fundamento nitebatur vel niti poterat, et ideo non est attendenda. Constat ergo Rev. Protois certum fuisse de incompetentia capellani Rev. Meuley, aut saltem (quod ad idem in casu redit) valde et graviter dubitasse de eius competentia; porro, hoc non obstante, non protestatus est, neque contradixit, cum facile potuisset, sed tacuit, dictumque sacerdotem ad celebrandum matrimonium procedere sivit; ergo eo ipso licentiam tacitam ei concessit.

Nec tantum passive se habuit Rev. Protois relate ad controversum matrimonium, sed etiam positive et active. Cum enim ipse dispensationem super mixta religione pro sponsis a Curia petiisset, Rev. Coriton, tunc Curiae Vice-Officialis, folium concessae dispensationis, ad ipsum, non

ad Rev. Meuley, remitti curavit; et tunc D. Protois idem folium ad Rev. Mèuley transmisit aut transmitti curavit; quae transmissio licentiam plus quam tacitam celebrandi matrimonium absque ullo dubio continebat. Quod Rev. Goriton ad D. Protois, non ad quemvis alium, folium concessae dispensationis transmitti curaverit, dubitari nequit; tum quia ipse Rev. Protois dispensationem petierat, tum quia certior fieri debebat authentice de concessa dispensatione, ut ad ulteriora, praesertim ad bannorum publicationem, procedere posset; tum quia hic erat usus Vice-Officialis Rev. Goriton, remittendi scilicet rescriptum dispensationis ad ipsum parochum qui eam petierat: quod ipse testatur in suo interrogatorio, ad 4 : « Jamais je n'ai donné de dispense à un « autre curé ou premier vicaire qu'à celui qui m'en faisait la demande; «or, dans l'espèce, c'était le premier vicaire de Passy»; ceterum, ex solo tenore libelli supplicis a D. Protois scripti et porrecti, Vice-Officialis suspicari non poterat matrimonium extra parochiam celebran^ dum esse.

Nec his contraria sunt, quae deponit D. Protois in suo primo interrogatorio, ad 6: « Je n'ai rien à ajouter, sinon que la future a pu par« faitement porter aux Invalides, directement, la dispense qui lui avait « été remise pour moi ». - Nam haec non est testificatio Rev. Protois, sed mera eius opinio aut coniectura (« la future a pu », etc.); quae praevalere nequit contra argumenta superius adducta; eo magis quod ipse D. Protois, in eodem suo primo interrogatorio, ait, ad 5: « Je n'ai « pas de souvenir précis sur cette affaire » ; insuper inverisimile est rescriptum concessae dispensationis, Rev. Protois inscriptum, remissum fuisse, sine huius scientia et consensu, alii sacerdoti. Hoc igitur dispensationis rescriptum, a se cognitum et visum, primus vicarius ad Reverendum Meuley transmisit, vel directe, vel potius indirecte, scilicet per ipsam sponsam: quae hypothesis est actis conformior; ideoque primus vicarius non tantum passive, sed positive et active se gessit in hoc negotio, curando nimirum ut dispensatio super mixta religione a Curia concessa ad D. Meuley transmitteretur. Quae tamen dicta sint ad abundantiam iuris, quia, ut habeatur licentia tacita, non requiritur interventus positivus delegantis, sed sufficit eius silentium, modo superius descripto in expositione iuris.

Nec difficultatem facit depositio Rev. Grosjean,qui sic refert: « Après « la démarche qu'ils firent à l'Archevêché, les deux futurs sont revenus « me trouver et me montrer la feuille de dispense qui leur avait été « remise ». Non enim dicit sponsos rescriptum dispensationis ipsis traditum, directe ad Rev. Meuley transmisisse, sed tantum se vidisse rescriptum

dispensationis ipsis traditum. Quod si admittatur hoc rescriptum fuisse sponsis a Vice-Officiali traditum, fuit ipsis traditum ut transmitteretur, noti Rev. Meuley, sed primo vicario D. Protois, ut admittit Patronus actricis, ex verbis eiusdem primi vicarii: « La future a pu parfaitement « porter aux Invalides, directement, la dispense qui lui avait été remise *« pour moi »*. Ceterum dicit ipsa actrix, in suo interrogatorio ad 8, se non recordari de tradito sibi dispensationis rescripto: « Je n'ai pas souve- « nance d'avoir emporté la feuille de mixte religion; par conséquent «je ne l'ai remise à personne ».

His ergo omnibus tam in iure quam in facto consideratis et bene perspectis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes, et Deum solum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus *non constare de nullitate matrimonii inter Margaritam Loubery et Andream Risler,* ideoque, infirmata sensentía iudicis primae instantiae, ad dubium propositum respondemus: *Negative.* Statuentes praeterea eamdem Margaritam Loubery ad expensas iudicii et ad taxam pro sententiae expeditione solvendas teneri.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam SS. Canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De Reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 9 iulii 1918.

Seraphinus Many, *Ponens.*
Ioannes Prior.
Aloisius Sincero.

L. & S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae, 23 iulii 1918.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

III

Citatio edictalis

GRAVINEN.

NULLITATIS MATRIMONII (PERRINO-TROTTA)

Cum ignoretur locus commorationis Dñi Dominici Trotta, rei conventi in causa *Gravinen., Nullitatis matrimonii,* infrascriptus Auditor S. R. Rotae, Ponens iii dicta Causa, peremptorie citat, per praesens edictum, eumdem D. Dominicum Trotta ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime deputatum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae die 20 iunii, hora undecima, ut velit subscribere infra relatum dubium, declarans praeterea, si non compareat, iudicium in eius contumacia ad exitum perductum iri.

DUBIUM

An sententia rotalis diei 2 iulii 1918 sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Datum Romae, die I[a] martii 1919.

I. Prior, *Ponens.*

L. © S.

Ex Cancellaria.

Ioannes Ladelci,
Notarius S. B. Rotae.

Traduction.

TRIBUNAL DE LA SACRÉE ROTE ROMAINE

Citation par Edit

GRAVINEN.

NULLITÉ DE MARIAGE (PERRINO-TROTTA)

Etant inconnu le lieu de la résidence actuelle de Mr Dominique Trotta, défendeur dans la cause *Gravinen., Nullité de mariage,* l'Auditeur de Rote soussigoé, Ponent en cette cause, cite péremptoirement, par le présent édit, le dit Dominique Trotta à comparaître personnellement ou par procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la Sacrée Rote Romaine, le 20 juin 1919, à onze heures, pour vouloir souscrire le doute ci-dessous rapporté, déclarant en outre que s'il ne comparaît pas, le jugement sera continué et terminé en sa contumace.

DOUTE

La sentence de la Rote du 2 juillet 1918 doit-elle être confirmée ou cassée?

Donné à Rome, le 1er mars 1919

J Prior, *Ponent.*

L. & S.

Dans la Chancellerie.

Jean Ladelci,
Notaire de la S. R. Rote.

DIAEIÜM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 11 marzo 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione ***Ordinaria*** dei Sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali, componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:

1) Introduzione della Causa di Beatificazione e Çanonizazione del Servo di Dio Lodovico Pavoni, Sacerdote, Fondatore della Congregazione dei Figli di Maria Immacolata in Brescia.

2) Conferma di cult») prestato da tempo immemorabile al Servo di Dio Frate Ugolino da Gualdo Cattaneo, dei Romitani di Sant'Agostino, detto Beato.

3) Intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Anna Maria Antigo, Monaca professa delle Clarisse.

4) Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio proprio con la Messa e dell'elogio da inserire nel Martirologio dell'Ordine in onore del Beato Nonio Alvares Pereira, Confessore, dei Carmelitani dell'Antica Osservanza.

Martedì 18 marzo 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rrïii Prelati ed i Consultori Teologi, componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto sul dubbio intorno a due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Beata Giovanna d'Are, Vergine, detta «la Pulzella d'Orléans », e vengono proposti per la sua Canonizzazione.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di promuovere:

26 febbraio 1919. Mons. Gaetano Gicognani, da Segretario di Nunziatura di - seconda classe a ***Segretario di prima classe.***

Parimenti con biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

28 febbraio 1919. Il Rev. D. Giacomo Monreal y Oliver, canonico della cattedrale di Madrid, ***Prelato Uditore del Tribunale della Sacra Romana Rota.***

3 marzo » Il Rev. sac. D. Alberto Serafini, ***Minutante dei Brevi Apostolici.***

11 » » Gli Emi signori Cardinali Raffaele Merry del Val, Guglielmo Van Rossum, Donato Sbarretti e Filippo Giustini, ***Membri della S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.***

14 » » L'Emo signor Cardinale Filippo Giustini, ***Protettore dell'Istituto delle Suore di Nostra Signora delle Missioni.***

28 » » L'Emo signor Cardinale Donato Sbarretti, ***Prefetto della S. Congregazione del Concilio.***

» » » Il Rmo P. Francesco Saverio Hertzog, procuratore generale dei Sulpiziani, ***Consultore della S. Congregazione Concistoriale.***

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonoiari apostolici ad instar participantium:

8 febbraio 1919. Mons. Giovanni Giacomo Hopstaken, della diocesi di Breda.
» » » Mons. Pio Maria Guidi, della diocesi di Velletri.
23 » » Mons. Emanuele Nicola Silva, della diocesi di Arequipa.
27 » » Mons. Napoleone Carón, della diocesi di Trois-Rivières.
9 mafzo » Mons. Gioacchino Ferreira de Mello, dell' archidiocesi di Fortaleza.
» » » Mons. Luigi N. Nugal, della diocesi di Ghatam.

Prelati Domestici di S. S.:

8 febbraio 1919. Mons. Adriano Lesourd, dell'archidioeesi di Rouen.
» » » Mons. Baldassarre Delugan, della diocesi di Trento.
26 » » Mons. Armando Giov. Battista Leclercq, della dioc. di Lilla.
» » » Mons. Teodulo Dieu, della medesima diocesi.
27 » » Mons. Luigi Eugenio Duguay, della dioc. di Trois-Rivières.
7 marzo » Mons. Eugenio Berti, dell'archidioeesi di Firenze.
9 » » Mons, Liberato Dionisio da Costa, dell'archid. di Fortaleza.
10 » » Mons. Agostino Oliva, dell'archidioeesi di Torino.
13 » » Mons. Gustavo Depreitere, della diocesi di Oklahoma.
» » » Mons. Bernardo Mutsaers, della medesima diocesi.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce** dell'**Ordine di** S. **Gregorio Magno, classe civile:

12 febbraio 1919. Al sig. Vittore Eastman Cox, ministro del Cile presso la repubblica dell'Equatore.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

27 febbraio 1919. Al sig. Giacomo D. Ryan, dell'archidiocesi di S. Giovanni di Terranova.

7 marzo » Al sig. Lope Tejera, dell'archidiocesi di S. Giacomo del Venezuela.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 febbraio 1919. Al sig. Giovanni Bernard, della diocesi di Lilla.

» Al sig. Luigi Carlo M. Selosse, della medesima diocesi.

23 » Al sig. Pierre Lacy, dell'archidiocesi di Birmingham.

1 marzo Al sig. Augusto Bonanni, architetto della R. Fabbrica.

7 » Al sig. avv. Enrico Tuccari, di Roma.

9 Al sig. dott. Giuseppe Pietro Dias Chorao, della diocesi di Guarda.

11 » » Al sig. conte Francesco Vitali, dell'archidiocesi di Fermo.

li Cavalierato dell'Ordine di £. Gregorio Magno, classe civile:

21 febbraio 1919. Al s Giuseppe Mathis, dell'archidiocesi di Lione,

27 » Al si prof. Carlo Cruciani, di Roma,

» Al si conte Alberto Giovanni Battista de la Saigne de Saint-Georges, della diocesi di Moulins.

» » » Al si Ernesto Bonduel, della diocesi di Lilla.

» » » Al si Maurizio Vanlaer, della medesima diocesi.

» » Al si Cirillo Carrez, della medesima diocesi.

» » Al si Giuseppe Vuillot, della medesima diocesi.

» » Al si Giulio Voituraz, della medesima diocesi.

» » » Al si Carlo Flipo, della medesima diocesi.

» » » Al si Paolo Leurent-Béghin, della medesima diocesi,

» » » Al s dott. Giulio Vanneufville, della medesima diocesi.

» » » Al si Paolo Toutlemonde-Hyndrichs, della medesima dioc.

1 marzo » Al si Vincenzo van den Heu vel, della dioc. di Bois-le-Duc.

14 » » Al s Giovanni Desmarquet, della diocesi di Amiens.

La Gran Croce'dell'Ordine di^S. Silvestro Papa:

19 marzo 1919. Al sig. Giuseppe Hoette, della diocesi di Münster.

La Commenda dell' Ordine di S. Silvestro Papa :

21 febbraio 1919. Al sig. Giuseppe Benaglia, di Roma.
9 marzo 19Í9. Al sig. prof. cav. Dionisio de Sarno S. Giorgio, console di Spagna a Belgrado.
11 » » Al sig. cav. Tullio Milani, della diocesi di Velletri.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

9 marzo 19.19. Al sig. Giulio Fumasoni-Biondi, di Roma.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

17 febbraio 1919. Mons. Alessandro Trebaure, di Cuyaba.
15 marzo » Mons. Vincenzo Sisto, della diocesi di Casale Monferrato.
18 » » Mons. Francesco Mala venda, dell'archid. di Reggio Calabria.
» » » Mons. Antonio Bossi, della diocesi di Guastalla.

Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario di S. S. :

8 febbraio 1919. Il conte Francesco Bernetti, dell'archidioeesi di Fermo.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

21 novembre 1918. Mons. Giuseppe Fischer, della diocesi di Rotenburg.
» » » Mons. Giuseppe Standenmaier, della medesima diocesi.
23 dicembre » Mons. Antonio Maria dos Santos Portugal, dell'archidioeesi di Lisbona.
7 marzo 1919. Mons. Mario Più, dell'archidioeesi di Cagliari.
24 » » Mons. Efisio Argiolas, della medesima archidiocesi.
» » » Mons. Giuseppe Uras, della medesima archidiocesi.

NECROLOGIO

23 marzo 1919. L'Emo signor cardinale Francesco di Paola Cassetta, vescovo di Frascati, sotto-decano del S. Collegio, prefetto della S. Congregazione del Concilio.

Annus XI - Vol. XI 1 Maii 1919 Num. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. IOSEPHUM MARIAM ROBERTI, GORREGTOREM GENERALEM FRATRUM MINIMORUM, QUARTO EXEUNTE SAECULO A CANONIZATIONE S. FRANCISCI DE PAULA.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Quandoquidem, divino beneficio ac munere, finem tandem cepit belli huius atrocitas quae omnis generis ruinas minis ubique cumulavit, in primis dari operam sanctitudini christianorum morum revocandae, cui tam magna sunt allata detrimenta, omnino apparet oportere. Huc spectat non modo in divinae legis meditatione versari, sed etiam in illos diligenter intueri, qui praeclarissima exstiterunt christianae perfectionis exempla. Itaque auspicato proxima occasio vobis adest sanctissimi Conditoris vestri studiosius vitam recolendi, quarto iam pleno saeculo, cum ei caelestes honores rite decreti sunt. Nobis autem pergratum accidit eius praestantissimi viri renovari memoriam, quem iam pridem peculiari quadam veneratione prosequimur. - Etenim in Francisco de Paula cum omnium christianarum virtutum decora, tum illa tria maxime elucent: humilitatis spiritus, poenitentiae austeritas et ardor caritatis. Nam qui de se tam démisse sentiebat, ut honore sacerdotii se indignum putaret, non aliunde quam ex ipsa humilitate sumpsit suorum nomen alumnorum, quos *mínimos* appellavit. Cumque esset innocentissimus, incredibile est quanta quamque multiplici asperitate corpus affligeret, solitus ésurîalem quadragesimalis victus tenuitatem in totum annum producere. Qua vero caritate is flagrasse dicendus est, qui eam instituto suo tamquam insi-

gnem notam impressam reliquit? Harum quidem virtutum hodie, si unquam antea, usus est pernecessarius, cum tam multos a divinae fidei obsequio abalienat superbiae contumacia; cum effrenata cupido fluxis bonis fruendi dominatur latissime; cum humanum genus emergit ex hoc bello ea gerens odii invidiaeque vulnera, quibus sola Iesu Christi caritas mederi posse videatur. Vos igitur, probe considerantes quid ab optimo quoque requirant haec tempora, vel alacriores Legiferi Patris vestigia, Deo adiuvante, persequemini. Ita non exigua vestri Ordinis erga Ecclesiam civilemque societatem accrescent promerita; qui quidem Ordo usque adhuc hominibus floruit pietate doctrinaque praestantibus, iisque non suae gloriae studiosis, sed communis utilitatis. Ita etiam vosmet ipsos magis magisque probabitis huic Apostolicae Sedi, quae vestram observantiam ac fidem paterna voluntate rependere consuevit.

Nos vero istam faustae rei commemorationem valde vobis profuturam speramus; atque ad eius solemnitatem augendam haec de sacro Ecclesiae thesauro damus perlibenter:

I. Ut quovis die proximi mensis maii, excepto die Ascensionis Domini, in omnibus Ordinis sacris aedibus saecularia solemnia agi liceat, facta potestate cuilibet sacerdoti utriusque Cleri Missam de Sancto, propriam Minimorum, celebrandi, tum in triduana supplicatione, tum ipso fausto die.

II. Quo die festum agetur, antistes loci, vel per se veì per alium ab ipso deputandum, Papalem benedictionem impertiat.

III. Quicumque ecclesias Minimorum, ubi saeculare festum celebrabitur, eo ipso die inviserint, Indulgentiam Plenariam *toties quoties* ad modum Portiunculae lucrari possint.

IV. Triduo ante festum vel post usque in diem octavum sacerdotes, quotquot sunt e Minimis, possint, extra Urbem, coronas precatorias, Crucifixi effigies et sacra numismata Indulgentiis Apostolicis benedicendo ditare.

Denique Officio et Festo S. Francisci de Paula celebrando secundam diem Dominicam post Pascha, ut antea, pro toto Minimorum Ordine in perpetuum assignatam volumus. - Atque auspicem divinorum munerum et paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecte fili, et omni bus, quibus praepositus es, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die II mensis aprilis, in festo S. Francisci de Paula, MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD IACOBUM S. R. E. CARD. GIBBONS, ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM, GUILELMUM S. R. E. CARD. O'CONNEL, ARCHIEPISCOPUM BOSTONIENSËM, CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS FOEDERATARUM AMERICAE CIVITATUM DE EPISCOPORUM CONVENTIBUS ET DE SACRA AEDE IMMACULATAE VIRGINI ^VASHINGTONIAE DICANDA.

Dilecti filii Nostri, venerabiles fratres; salutem et apostolicam benedictionem. — Communes litteras vestras Washingtonia datas, quo dilecti filii Nostri Iacobi S. R. E. Presb. Card. Gibbons quinquagesimum episcopatus natalem ad celebrandum coiveratis, reddidit Nobis, istinc nuper reversus, ven. frater Bonaventura, archiepiscopus titulo Corinthiensis, Nostrae apud vos in tam singulari evento interpres nuntiusque laetitiae. Confirmarunt eae quidem, novo pietatis studiique erga Nos vestri testimonio, quam coniuncti Nobiscum sitis; quam vero coniuncti inter vos, sollemnia ipsa, cura et frequentia omnium vestra, apparate feliciterque acta, clariore in luce collocarunt. Utrumque vobis, venerabiles fratres, vehementer gratulamur; at id tamen vehementius, quod ea usi estis opportunitate, ut de rebus maximi momenti, quae ad Ecclesiae reique publicae utilitatem aeque pertinent, communiter disceptaretis. Comperimus enim vos animis decrevisse concordibus, unum in locum quotannis convenire universos, consilia ad rem catholicam provehendam aptiora inituros, itemque duos constituisse e gremio episcoporum coetus, quorum alter praesertim de re sociali, alter de recta puerorum iuvenumque institutione quaestiones perscrutetur et ad ceteros conlegas referat. Dignum sane propositum cui accedat, cum voluptate animi coniuncta, commendatio Nostra. Crebri enim episcoporum conventus, quos haud semel probarunt decessores Nostri, mirum quantum inserviunt catholici nominis incremento; quandoquidem, si in commune conferant singuli quidquid investigando experiendoque didicerint, expedita res erit dispicere qui serpant occulte errores, quae cleri populique disciplinae detrimenta immineant, quae praesto sint, ad eos evellendos, ad hanc firmandam remedia, num animorum motus in regione vel tota ipsa republica deprehendantur, quos ad regundos vel aequis continendos finibus Pastorum sollertia sit valde profutura. Cum propulsatone autem mali it pariter consectatio boni, ad quam alii aliorum incitantur exemplis. Sicubi enim laetiorem fructuum segetem certa quadam via ac ratione

excrevisse appareat, nemo non videt, episcopos, qui in coetum convenerint, id, pro temporum rerumque condicione, in sua quemque dioecesi, acturos certatim esse, quod alibi fieri viderint cum tam praeclara animorum utilitate. Neque vero est cur fusius hortemur, adeo res urget, ut actionem, quam oeconomicam socialem vocant, studiose constanterque persequamini; caveatis tamen, ne populares vestri a Christianis rationibus, quas fel. rec. decessor Noster Leo XIII in Encyclicis Litteris *Rerum Nommm* enucleavit, opinionum fuco animorumque perturbationibus abrepti, misere discedant. Quod profecto, si unquam alias, certe per has rerum vices plurimum habet periculi, quando tota societatis hominum compages videtur in discrimen vocari et civium inter se caritas invidiae tempestate restingui ac paene obrui. Haud minorem tamen prae se fert gravitatem catholica puerorum atque adulescentium institutio, qua sarcta tectaque, in tuto sit civium fidei morumque integritas. Quapropter nostis, venerabiles fratres, Ecclesiam Dei nunquam desti tisse eiusmodi institutionem cum summopere provehere, tum pro viribus ab omni oppugnatione defendere ac tueri: cuius quidem rei si certa deforent argumenta, ipsa inimicorum christiani nominis, apud veteres nationes, agendi ratio certissimo argumento esset. Etenim, ne praestet Ecclesia incolumem teneriorum animorum fidem, neve ludi privati, materna eius providentia constituti, cum publicis a religione alienis feliciter certent, adversarii sibi velle solis vindicare docendi potestatem; nativum patrumfamilias ius omnino proterere ac violare; in tanta falsi nominis libertate religiosis catholicisque viris liberam erudiendorum adulescentium facultatem circumscribere, adimere, quoquo saltem pacto praegravare. Quibus vos istic ab incommodis vacuos, exploratissimum habemus largitate ac sedulitate admirabili catholicis scholis condendis dedisse operam; neque minorem curionibus religiosisque ex utroque sexu sodalibus tribuimus laudem, qui, vobis ducibus, ad tutandam, qua late patent Foederatae istae Civitates, scholarum suarum prosperitatem atque efficientiam, nec sumptibus nec laboribus pepercerint. At vero, quod ceterum vobis persuasum est, neutiquam licet secundis sic rebus confidere ut, quae futura sint, neglegantur, cum Ecclesiae sors ac rei publicae a scholarum fortunis ac disciplina omnino pendeat; neque enim alii erunt Christifideles quam quos docendo, instituendo informaveritis. Atque hic memor ad Washingtoniensem studiorum Universitatem sponte provolat cogitatio. Iucundo sane animo mirabiles Lycei istius magni prosecuti adhuc sumus progressiones, quibuscum tam bona spes cohaeret Ecclesiarum vestrarum; eoque nomine praecipue gratia Nostra hominumque memoria digni dilectus filius Noster Cardi-

nalis Baltimorensium Archiepiscopus et ven. frater Episcopus tit. Germanicopolitanus eiusdem Lycei moderator. Quos autem non ita dilaudamus, tamquam si velimus navitatem operamque praeterire vestram, cum perspectum habeamus, in fovendo isto disciplinarum sacrarum optimarumque artium domicilio haud mediocriter ad hunc diem industriam omnium vestram desudasse, neque dubitemus quin sitis in posterum, et quidem alacrius, saluberrimo instituto adfuturi. Quod praeterea ad Nos adfertur, consilium. Aedis Sacrae, ad Lyceum, in honorem Virginis Immaculatae erigendae, vehementer in popularium animis pietatem erga Eam excitavisse, scitote id Nos mirifice recreasse. Quemadmodum enim sanctissimum propositum fel. rec. decessor Noster Pius X et probavit et laudibus omnibus extulit, sic nihil Nobis antiquius quam ut in urbe magnae istius reipublicae principe templum quam citissime perficiatur Caelesti Patrona totius Americae dignum, eo vel magis quod Lyceum vestrum, Deipara Immaculata auspice, perfectius quiddam attigisse dicendum est. Confidimus equidem fore ut, perinde ac Lyceum sedes erit, quo catholicae doctrinae studiosi, quasi in centrum radii, intendant ac concurrant, ita eam in Aedem Sacram, Virgine Immaculata gratiarum omne genus sequestra,, non modo qui in discipulorum numerum adlecti vel adlegendi posthac sint, sed catholici quoque omnes e Civitatibus istis, veluti in Sanctuarium peculiare ac proprium, intueantur, et religionis pietatisque causa frequentissimi confluant. O illucescat quamprimum ille dies, quo vobis, venerabiles fratres, tanto huic operi fastigium imponere liceat. Ut vero inceptum ne diu protrahatur, efficiant, collata liberalius quam solent stipe, quotquot catholica apud vos professione gloriantur; neque tantummodo singuli, sed sodalitates quoque omnes, illae in primis, quibus, instituto suo, Deiparae cultus cordi est. Nec secundum in hoc insigni certamine catholicas decet mulieres obtinere locum, utpote quae debeant eo magis Immaculatae Virginis promovere gloriam, quo Eius gloria in sui sexus honorem propius recidit ac redundat. Quos vero hortati sumus verbis, ut eos exemplo etiam Nostro ad pie largiendum permoveamus, Altare eiusdem templi princeps peculiari dono illustrare deliberavimus. Tempestive igitur missuri Washingtoniam sumus Imaginem Beatissimae Virginis sine labe conceptae, quam musivo opere in officina Vaticana effingendam curabimus, eaque, in ara maxima aliquando collocata, monumento erit cum pietatis erga Mariam Immaculatam Nostrae, tum singularis qua Lyceum complectimur benevolentiae. Enimvero in eo versatur societas hominum discrimine, quod hinc praesentem Virginis opem, illinc communia omnium molimenta etiam atque etiam postulare videatur. Posita ea quidem est in arcto

salutis exitiique confinio, nisi caritatis iustitiaeque legibus denuo ac firmius stabiliatur; qua in re vos maxime omnium elaboretis oportet, cum multum apud gentem vestram possitis, quae, sanioris libertatis christianaeque humanitatis rationum retinentissima, praecipuam habitura est partem et in tranquillitate ordinis restituenda et in societate hominum ad eadem principia, post tam violentam eversionem rerum, instauranda ac renovanda. Caelestium interea munerum conciliatricem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii Nostri, venerabiles fratres, clero populoque unicuique vestrum commisso, iis praesertim qui ad Washingtoniensis templi exaedificationem adiumento aut fuerunt aut erunt in posterum, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x aprilis MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

LETTERA CIRCOLARE ALL'EPISCOPATO ITALIANO IN ESECUZIONE DEL DECRETO « PRO CONCILIORUM CELEBRATIONE IN REGIONIBUS ITALIAE » DEL 15 FEBBRAIO 1919.

Con circolare della S. Congregazione dei Vescovi e Regolari in data 24 agosto 1889 Leone XIII, di v. m., aderendo al voto di parecchi Arcivescovi e Vescovi d'Italia, mentre sanzionava l'uso delle conferenze episcopali, già fin dal 1849 introdotto in parecchie regioni d'Italia e particolarmente nell'Umbria, e ne prescriveva e disciplinava la celebrazione, stabiliva inoltre quali e quante dovessero essere le riunioni o conferenze dei Prelati italiani, attenendosi in ciò alle note divisioni regionali d'Italia.

Nulla sembra doversi innovare di quanto venne allora definito, salvo le due modificazioni che la s. m. di Pio X, per giuste ragioni, credette necessario introdurre circa l'Emilia e circa il Lazio, o circondario di Roma, come si chiamò nella detta circolare.

Rimane quindi fisso che per le conferenze episcopali e rispettivamente pei concilii regionali gli Ordinari d'Italia si raggruppino a seconda delle regioni che qui sotto vengono elencate.

1. L'Emilia, comprendente la provincia ecclesiastica di Modena, più le sedi immediatamente soggette di Parma, Piacenza e Borgo S. Donnino.

2. La Romagna, comprendente le provincie ecclesiastiche di Ravenna e Bologna e l'arcivescovato di Ferrara con l'unita sede di Comacchio.

3. Le Marche, comprendenti le provincie ecclesiastiche di Fermo ed Urbino, gli arcivescovati di Camerino, Ancona ed Umana, più le sedi immediatamente soggette di Treia, Fabriano e Matetica, Fano, Iesi, Osimo e Cingoli, Recanati e Loreto.

4. L'Umbria, comprendente le sedi arcivescovili di Spoleto e Perugia, più le sedi vescovili immediatamente soggette di Orvieto, Poggio Mirteto, Rieti, Narni e Terni, Amelia, Todi, Norcia, Foligno, Città della Pieve, Assisi, Nocera, Gubbio e Città di Castello,

5. L'Etruria, comprendente le provincie ecclesiastiche di Pisa, Firenze e Siena, l'arcivescovato di Lucca, più le sedi immediatamente soggette di Arezzo, Cortona, Montalcino, Montepulciano^ Pienza.

6. Il Lazio Superiore o Regione Cimina, comprendente le diocesi di Civitavecchia e Corneto, Sutri e Nepi, Civita Castellana-Orte e Gallese, Viterbo e Toscanella, Montefiascone, Bagnorea, Acquapendente, nonché le abbazie *nullius* di S. Paolo fuori le mura, dei SS. Vincenzo ed Anastasio delle Tre Fontane, e di S. Martino al Monte Cimino.

7. Il Lazio Inferiore, comprendente le diocesi di Tivoli, Segni, Anagni, Ferentino, Alatri, Veroli, Sezze-Piperno e Terracina, Sora-Aquino e Pontecorvo, più l'abbazia *nullius* di Subiaco.

8. La Campania, comprendente le provincie ecclesiastiche di Capua, Napoli, Sorrento, e l'arcivescovato di Gaeta, la sede immediatamente soggetta di Aversa e l'abbazia *nullius* di Montecassino.

9. Il Beneventano, comprendente la provincia ecclesiastica dello stesso nome e l'abbazia *nullius* di Monte Vergine.

10. Il Salernitano e la Basilicata, comprendenti le tre provincie ecclesiastiche di Salerno, Acerenza e Matera, Conza e Campagna, più l'arcivescovato di Amalfi, e le sedi immediatamente soggette di Cava e Sarno, Melfi e Rapolla, e l'abbazia *nullius* della Santissima Trinità della Cava.

11. Le Calabrie, comprendenti le provincie ecclesiastiche di Reggio e S. Severina, gli arcivescovati di Cosenza e Rossano, più le sedi immediatamente soggette di Mileto, S. Marco e Bisignano.

12. Gli Abruzzi, comprendenti tutte le sedi arcivescovili e vescovili esistenti nel territorio abruzzese.

13. Le Puglie, comprendenti le provincie ecclesiastiche di Bari, Brindisi, Manfredonia, Otranto, Taranto, Trani e Barletta, più le sedi vescovili immediatamente soggette di Foggia, Gravina ed Irsina, Molfetta-Terlizzi e Giovinazzo, Monopoli, Nardo, e la prelatura *nullius* di Altamura ed Acquaviva.

14. La Sicilia, comprendente tutte le sedi arcivescovili e vescovili dell'isola, l'abbazia *nullius* di S. Lucia del Mela, e la sede vescovile di Lipari.

15. La Sardegna, comprendente tutte le sedi arcivescovili e vescovili esistenti nell'isola.

Quanto al Veneto, Lombardia e Liguria, poiché la regione coincide con la provincia ecclesiastica, nulla avvi da immutare per la celebrazione dei concilii provinciali.

Quanto al Piemonte, dove sebbene siano due le provincie, unica e la conferenza, se gli Ordinari credessero miglior cosa in luogo di due concilii provinciali farne uno solo regionale, potranno farne domanda, che sarà bene accolta, sembrando in massima cosa opportuna.

Siccome poi nella circolare superiormente ricordata del 1889 il Sommo Pontefice stabiliva che « II°. In ciascuna delle mentovate regioni procu-
« reranno i Vescovi di convenire insieme almeno una volta l'anno per
« appianare e risolvere con mutuo consiglio le difficoltà che incontrano
« nel governo delle rispettive diocesi, per promuovere in tutto la rego-
larità e la uniformità della ecclesiastica disciplina e per emettere, ove
« le circostanze lo richiedessero, atti collettivi di qualsiasi genere » si fa riflettere che questa disposizione non viene punto infirmata dal Codice, dove al *can. 291 § 1*, circa le conferenze episcopali, vien detto che *nisi aliter pro peculiaribus locis a Sede Apostolica provisum fuerit... Ordinarii locorum saltem quinto quoque anno éonvenient.*

Rimane quindi fermo che le conferenze episcopali per regioni debbono continuare a tenersi in Italia ogni anno nel modo superiormente indicato. E tale è la mente di Sua Santità Benedetto PP. XV che viene comunicata ai Rmi Ordinari d'Italia per la sua piena osservanza.

Dato a Roma, dalla Segreteria della S. Congregazione Concistoriale, 22 marzo 1919.

J$| G. CARD. DB LAI, Vescovo di Sabina, *Segretario.*

L. & S.

f V. Sardi, Arciv. tit. di Cesarea, *Assessore.*

II

DUBIUM
SUPER DECRETO « REDEUNTIBUS »
die 25 Octobris 1918

Quidam Ordinarii S. Congregationi Consistoriali sequens dubium dirimendum proposuerunt:

« An clerici in sacris, militum vulneratorum vel infirmorum adsi-
« stentiae addicti, qui ex huiusmodi ministerio sponte sua maluerunt
« transire ad militiam pugnantem, quin tamen mortem vel mutilatio-

« nem intulerint, teneantur, iuxta mentem decreti *Redeuntibus,* dispen-
« sationem a Sancta Sede impetrare, ut ad sacri ministerii exercitium
« restituantur ».

Cui Sacra Congregatio respondendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 28 martii 1919.

£g C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. $ S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, SSmus D. N. Benedictus XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

28 martii 1919. — Cathedrali ecclesiae Desmoinensi praefecit R. D. Thomam Guilelmum Drumm, parochum ecclesiae S. Patritii civitatis *Cedar Rapids,* in archidioecesi Dubuquensi.

29 martii. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Achridanae Rmum Dnum Ioannem Baptistam Cieplak, suffraganeum Rmi Dñi Eduardi de Ropp, archiepiscopi Mohiloviensis.

31 martii. — Titulari episcopali ecclesiae Dardani R. D. Antonium Keil, canonicum theologum metropolitanae ecclesiae Salisburgensis et rectorem Seminarii maioris eiusdem civitatis, quem deputavit in auxiliarem R. P. D. Ignatii Rieder, archiepiscopi Salisburgensis.

2 aprilis. — Cathedrali ecclesiae Ergadiensi et Insularum in Scotia R. D. Donaldum Martin, administratorem pro-cáthedralis ecclesiae Oban.

14 aprilis. — Titulari episcopali ecclesiae Isiondensi R. D. Marcellinum Carolum Marty, canonicum archipresbiterum cathedralis ecclesiae Ruthenensis, quem deputavit in coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Felicis Augusti Béguinot, episcopi Nemausensis.

SACBA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DUBBIO

Sono stati tradotti in varie lingue i canoni riguardanti le religioni laiche; traduzioni autorizzate, ma non officiali. Ora, in qualche traduzione, il testo di alcuni canoni non concorda con il disposto degli stessi canoni nel Codice.

Si domanda se sia intervenuto qualche cambiamento in proposito, o debba starsi al testo del Codice e ritenere errato il testo della traduzione.

La S. C. dei Religiosi, esaminata debitamente la cosa, dichiara doversi stare ai prescritto del Codice e doversi emendare la traduzione.

Dalla Segreteria della S. C. dei Religiosi, 2 aprile 1919.

Mauro M. Serafini, Ab. O. S. B., *Segretario.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PRIVILEGIA CONCEDUNTUR « PIAE UNIONI CLERI PRO MISSIONIBUS ».

Ex Audientia SSmi habita die 20 martii 1919

SSmus Dominus Noster Benedictus Divina Providentia Pp. XV, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Cardinali Praefecto, RR. DD. Sacerdotibus « Piae Unioni Cleri pro Missionibus », vulgo : *Pia Unione Missionaria dei Clero,* adscriptis et in posterum adscribendis, dummodo ad sacramentales confessiones audiendas sint adprobati, facultatem benigne concessit benedicendi coronas Septem Dolorum B. M. V., cum applicatione omnium et singularum Indulgentiarum quas Summi Pontifices eiusmodi coronis impertit! sunt,

et benedicendi ac imponendi, sub unica formula, scapularia quae ut Sodales praedictae Piae Unionis imponendi facultate gaudent. Voluit insuper Sanctitas Sua ut nominatio Praesidis pro diversis regionibus *Piae Unionis Cleri pro Missionibus* Revmo P. D. Cardinali Praefecto reservetur eique facultas sit immutandi Statuta Piae Unionis prout diversitas regionum in quibus erigitur exegerit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno quibus supra.

G. M. CARD. VAN ROSSUM, *Praefectus.*

L. >$<S.

C. Laürenti, *Secretarius.*

II

DESIGNATIO ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE IUXTA CAN. 1594, § 2

Iuxta can. 1594, § 2 Codicis Iuris Canonici pro appellatione:

Rmus Archiep. Sydneyensis designavit Ordinarium Maitlandensem.
» » Perthensis, Ordinarium Adelaidensem.
» » Adelaidensis, Ordinarium Melburnensem.
» » Brisba tien sis, Ordinarium Armidalensem.

Quas designationes SSmus D. N. Benedictus Pp. XV, die 20 martii 1919, approbare dignatus est.

III

NOMINATIONES

Brevibus apostolicis nominati sunt:

2 aprilis 1919. — *Vicarius apostolicus de Scensi meridionali in Sinis* R. P. D. Antonius Maria Capettini, e Sem. SS. AA. Petri et Pauli de Urbe pro Missionibus exteris.

— *Coadiutor cum iure successionis Vicarii apostolici de Ce-li Septentrionali in* Amis Illmus ac Revmus D. Ioannes de Vienne, e Congr. Missionis, episcopus tit. Abriten., antea Vicarius apostolicus de Ce-li meridio-occidental i.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

SPOLETANA

DECRETUM CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVO DEI FR. UGOLINO A GUALDO CAPTANEORUM, ORDINIS EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI, BEATO NUNCUPATO.

Vetera et nova documenta, etiam ab agiographis provinciae Umbriae producta, Dei Famulum Ugolinum a Gualdo Gaptaneorum, quem Ordo Eremitarum S. Augustini inter suos alumnos cooptasse gloriatur, Bevaniae oriundum et Gualdi natum vertente saeculo decimotertio tradunt. In natali oppido a parentibus pie institutus, et puer et adolescens praeclara praebuit exempla virtutum, potissimum vitae solitariae et poenitentis caelestium rerum contemplationi coniunctae. Eodem in loco magnus adhuc exstat lapis in memoriam Dei Servi orantis, nomine Beato Ugolino appellatus. In Augustinianum Eremitarum Ordinem benevole receptus, ipse praecepta et consilia religiosae familiae fideliter observasse sanctique viri opinione apud suos et exteros inclaruisse fertur, concivibus frustra conantibus ut in patriam, iuxta omnium vota, reverteretur. Circa annum 1258, iterum instantibus Gualdensibus civibus illisque monachis S. Benedicti libenter annuentibus, eorum monasterium cum ecclesia praefato Ordini Augustinianensi legitime attributum fuit. Tunc Ugolinus, Superiorum iussu, in patriaro^reversus, monachus et prior una cum socio beato Angelo a Fulgineo possessionem cepit conventus et ecclesiae, quam impensa voluntate et cura instauravit et honori sancti Patris et Doctoris Augustini dica vit. Biennium ibi vixit Dei Famulus sancteque obiit die I[a] ianuarii anni 1260. Funere solemniter acto et quovis ordine civium confluente, eius corpus in eadem ecclesia sepultum fuit; ubi duos circiter annos quievit integrum, donec a quodam religioso sodali pes dexter abscissus est et ecclesiae florentinae ad ipsum Ordinem Augustinianensem pertinenti donatus. Quo tamen idem corpus, veluti thesaurus, melius custodiretur, auctoritate et iussu Bartholomaei Episcopi Spoletani in ecclesiam parochialem Ss. Antonii et Antonini martyrum, ab ipsomet Episcopo consecratam, translatum fuit. Ibidem usque ad annum 1640 legebatur vetustissima inseri-

ptio marmorea, eodem anno restaurata, quae refert consecrationem eiusdem ecclesiae rite perfectam tempore Urbani IV anno 1262, die dominica 2 septembris, intervenientibus septem Episcopis Umbriae, nempe Spoletano, Assisiensi, Eugubino, Fulginatensi, Nucerino, Interamnensi et Tudertino. Singuli antistites posuerunt indulgentias, in forma consueta lucrandas a fidelibus visitantibus ipsam ecclesiam consecratam ad honorem Dei et B. Mariae semper Virginis et Ss. Antonii et Antonini martyrum, *quorum corpora hic quiescunt et corpus B. Ugolini.* Id quoque describitur a Ludovico Iaeobiili agiographo sanctorum et beatorum Umbriae et confirmatum ab Actis sacrae Visitationis in Castro Gualdo Gaptaneorum mense iulio anno 1713 peractae a Carolo Hyacintho Lascaris, O. P., Episcopo Spoletano, qui etiam invisit tum *hortum B. Ugolini* nuncupatum, tum reliquias *Ecclesiae,* prope domum paternam, *sub titulo Beati Ugolini ab Universitate, eo defuncto, aedificatam* Progressu temporis, ne corpus Servi Dei furtim raperetur, in arca nucea affabre sculpta et deaurata inclusum, in ecclesia subterranea collocatum fuit super altari eidem B. Ugolino dicato, sub quo asservabatur corpora praefatorum sanctorum martyrum. Deinceps Confraternitas a misericordia et a B. Ugolino nuncupata canonice illic erecta est, cuius sodales saccis nigris incedunt sub proprio vexillo, adiecta ipsius Beati imagine. Ex documentis authenticis anno 1470 constat quod illo anno Petrus Sañtessis seu Faressis, prior Fraternitatis B. Ugolini, testamento reliquit libras decem denariorum *pro opere sancti Ugolini* speciatim ecclesiae fatiscenti reparandae, quod opus ipsa Gualdensis civitas perficiendum susceperat. Pia vero sodalitas anno 1568, aggregata sodalitati romanae a S. Ioanne Decollato, ad haec usque tempora Servi Dei cultum fovet et provehit eiusque festos dies solemniter peragit, et in sacris functionibus et processionibus quisque ex prioribus fraternitatis insigne honoris et potestatis praefert effigie Sancti Ioannis Decollati et B. Ugolini decoratum. Insuper ad cultum Servi Dei augendum, Gualdenses in statuto civitatis, anno 1483 edito, statuerunt et ordinaverunt quod praefatae ecclesiae S. Augustini in festivitate beati Ugolini, die I[a] ianuarii, quotannis dentur et offerantur duae librae cerae per dictum Commune. Nec praetereundum est quod in pariete cubiculi adiacentis memoratae ecclesiae adsunt depictae sacrae imagines; nempe: Domini nostri Iesu Christi cruci afíixi in medio, B. Mariae Virginis ac S. Ioannis Evangelistae ad latera crucis et S. Mariae Magdalenae ad pedes Crucifixi. Aspicitur quoque beatus Ugolinus indutus veste nigra sui Ordinis et cinctus in capite aureola eiusdem formae ac aliae imagines. Ipse manu dextera defert filium et sinistra librum apertum in quo legitur: « Para-

<< disum intravi quia Regulam Patris mei Augustini observavi ». Ex fragmento inscriptionis huic operi subiectae patet ipsum absolutum fuisse anno 1482. Praeter haec quae ex processu Spoletano deprompta ad antiquitatem cultus Ugolino exhibiti pertinent, causae actores eiusdem cultus continuationem ad haec usque tempora comprobare student, praesertim per Acta Sacrae Visitationis in eodem Processu inserta Episcoporum Spoletanae dioeceseos, nempe Fulvii Ursini saeculo xvi, Maphaei Barberini, qui postea Urbanus VIII fuit, saeculo xvn, Vincentii ab Aqua et Francisci M. Locatelli saeculo xvni; et per sacras functiones solemniter celebratas anno 1904, in honorem Servi Dei, cuius exuviae, occasione reparationis ecclesiae in eius partem superiorem delatae, restauratione absoluta, in elatum locum post altare princeps collocatae fuerunt. * Qua demum pietate ac fiducia Gualdenses Ugolinum colunt et invocant in suis necessitatibus sive publicis sive privatis, opem implorantes et gratias ob accepta beneficia reddentes, testes sunt devotae peregrinationes, oblationes, dona ex voto, candelae accensae et similia ad eius exuvias honorandas. Quod potissimum accidit in praecipuis solemnitatibus ac in festivitate Servi Dei et quando, iuxta morem a maioribus traditum, ter in anno vel pluries, urgente necessitate, illa sacra pignora palam exponuntur, ad vitandam modalitatem vel tempore pestilentiae, ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem vel pro qualibet alia necessitate et publica causa. Quibus omnibus superius recensitis aliisque argumentis in Processu Ordinario Spoletano deductis cum subsequenti sententia Iudicis delegati super casu excepto a decretis Urbanianis, cuncta haec Acta Processualia ad Sacram Rituum Congregationem delata sunt. Quum vero per decretum eiusdem Sacrae Congregationis diei 10 februarii 1918 obtentum fuerit, ut in hac causa servetur vetus iuris ordo ante recentiora decreta dierum 11 novembris et 31 decembris 1913 vigens, nihil obstat quominus ad ulteriora procedatur. Quapropter, instante Rmo P. Eustasio Esteban, Ordinis Eremitarum S. Augustini postulatore generali, communia vota universae religiosae familiae Augustiniensis et cleri populique Gualdensis etiam depromente, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Philippus Giustini, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinario sacrorum rituum Congregationis coetu subsignata die ad Vaticanum coacto, sequens dubium discutiendum proposuit : *An sententia lata a Iudice per Rmum Vicarium Capitularem Spoletanum delegato super cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praefato Servo Dei seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi et Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani,

Fidei Promotore generali, cunctis diligenter expensis, rescribere censuerunt: *Affirmative, seu confirmandam esse sententiam.* Die 11 martii 1919.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, die 12 eisdem mense et anno.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. **Rufinae,**
S. R. G. Praefectus.

L. $ S.

Alexander Verde, *Secretarius:*

II

PAPIEN.

DECRETUM CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVO DEI ISNARDO DE CHIAMPO, SACERDOTI PROFESSO ORDINIS PRAEDICATORUM, BEATO VEL SANCTO NUNCUPATO.

Sub annum trigesimum saeculi xni sodales Ordinis Praedicatorum a Rodobaldo II, eximiae sanctitatis viro et praesule de venerabili ecclesia Papiensi praeclare merito, dono acceptam habuerunt ecclesiam S. Mariae de Nazareth, in suburbio civitatis, trans fluvium Ticinum sitam, una cum agro adiacente, in quo, consilio et opibus eiusdem praesulis adiuti, conventum erexerunt, duce Fratre Isnardo de Chiampo, seu.-Vicentino; quippe qui, iuxta vetera documenta, ex pago Chiampo, prope Vicentiam, oriundus erat. Ex Annalibus tam civitatis Papiensis quam Ordinis Praedicatorum certo constat eum, dum Bononiae studiis vacabat, ab ipso Patre legifero S. Dominico, anno circiter 1219, habitu Ordinis Praedicatorum indutum fuisse atque, spiritu eiusdem sancti Patriarchae repletum, divini Verbi praedicandi officium sibi demandatum ardenter explevisse. Conventum vero Papiensem, ad quem condendum missus fuerat, ad obitum usque vitae sanctimonia sacrisque ministerii operibus illustravit, ita ut cum Episcopo Rodobaldo, caelesti quadam amicitia sibi iuncto, Papiensis veluti alter apostolus haberetur. Vir etenim fuit magnae orationis, caritate erga Deum et homines accensus, virgínea nitens castitate ac poenitentiae exercitiis mire addictus, quibus mediis, Deo benedicente, multos catholicos ad meliorem frugem reduxit, haereticorum vero, eo tempore pervicaciter insultântium, conatus repressit. Miracu-

lorum etiam dono insignem, iidem traditionis fontes Fratrem Isnardum claudos, surdos, mutos, manibusque vel aliis membris captos ac debiles perfectae sanitati restituisse ferunt. Tandem, post graves labores in Dei gloriam pro animarum salute susceptos, Vir Dei, lethali correptus morbo, die 19 martii anni 1244, omnium peccatorum confessione humiliter praemissa ac sacramentis Ecclesiae rite expiatus, in osculo Domini quievit, tanta sanctitatis fama potitus, ut inde ab obitu eiusdem usque ad hanc nostram aetatem cultus publici et ecclesiastici honores eidem tributi fuerint. Corpus quidem venerabilis Viri in ecclesia veteris coenobii Papiensis S. Mariae a Nazareth humatum fuit et pluries deinde eum honore translatum, prout ipsi Fratres Praedicatores sedem vel sponte mutaverunt, vel inviti mutare coacti fuerunt; prius quidem in ecclesiam S. Andreae de Realibus, deinde in templum S. Thomae Apostoli, ubi sacellum Beato Isnardo dicatum diu extabat, postea, sub finem saeculi XVIII, in ecclesiam S. Petri in Caelo Aureo nuncupatam, ac demum, extinctis una cum ceteris Familiis religiosis in civitate Papiensi Fratribus Praedicatoribus, in Basilicam Ss. Gervasii et Protasii, ubi etiam nunc sub altari sancti Patriarchae Francisci fidelium venerationi expositum quiescit. Neque vero Papiae tantum ac circa reliquias beati isnardi, verum etiam in dioecesi et territorio Vicentino, unde erat oriundus, aliisque in regionibus, imo in toto Praedicatorum Ordine eius memoria cultu publico et ecclesiastico cum titulo *beati* vel etiam *sancti* honorabatur, prouti facile est perspicere ex Actis Processus, Ordinaria potestate a Rmo Episcopo Papiensi recenter constructi. Prae ceteris placet seligere elogium quo S. Antoninus, O. P., archiepiscopus Florentinus, in suis *Ghronicis,* editis circiter anno 1453, inter viros *maximae sanctitatis et miraculis coruscantes,* adnumerat quoque Isnardum *Priorem olim Papiensem.* Commemorantur etiam imagines et reliquiae in ecclesiis et oratoriis publicae venerationi expositae atque votivae tabellae pro beneficiis acceptis ad tumulum Servi Dei appensae. Neque omittenda est imago quinta ex quadraginta iconibus per Thomam Mutinensem anno 1251 depictis in aula magna tunc coenobii Ordinis Praedicatorum, nunc Seminarii Tarvisini, quae quidem imago refert Isnardum devote dispositum ad divini Officii recitationem, radiis in capite redimitum, titulo Beati litteris gothicis ad calcem apposito et sinistrórsum eisdem caracteribus ita descriptum: « B. Fr. Isnardus Ordinis « Fratrum Praedicatorum, fuit vir valde religiosus, fervens et excellens « praedicator, per quem Deus multa miracula fecit ». Mentione quoque dignum est quod in Martyrologio Ordinis Praedicatorum anno 1604 Romae evulgato, inter beatos Confessores Fr. Isnardus recensetur cum

hoc elogio: « In conventu Papiensi, sanctitatis praestantia nobilis, multis « editis miraculis effulsit ». Itaque quum omnia in promptu essent ut de hac Causa confirmationis cultus apud Sacram Rituum Congregationem ageretur, instante Rmo P. Mauro Maria Kaiser, Ordinis Praedicatorum postulatore generali, attentisque postulatoriis litteris quorumdam Illmorum et Ríñorum- Sacrorum Antistitum, necnon Capitulorum Cathedralium Ecclesiarum atque cleri et populi Papiensis et Vicentinae dioecesium, rogantibus praepositis Ordinum Fratrum Praedicatorum et Minorum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Iosephus Calasanctium Vives y Tuto, loco et vice Emi et Revmi Dui Cardinalis Sebastiani Martinelli, causae Ponentis seu Relatoris, in Ordinario sacrorum rituum Congregationis coetu die 10 decembris 1912 ad Vaticanas aedes coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia lata ab Elmo et Rmo* ***Dno*** *Episcopo Papiensi super cultu ab immemorabili tempore Servo Dei Isnardo de Chiampo, Ordinis Praedicatorum, exhibito, seu super casu excepto a decretis s. m. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Proponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Fidei promotore, omnibus accurate perpensis, rescribere censuerunt: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam.* Quam resolutionem ab ipso Cardinali Sebastiano Martinelli sacrorum rituum Congregationi Praefecto relatam, Summus Pontifex Pius X ratam habuit et confirmavit, die 11, eisdem mense et anno.

Attamen ob speciales circumstantias optatum decretum confirmationis Apostolicae editum non fuit. Nunc autem, instante Rmo P. Ludovico Fanfani, Ordinis Praedicatorum postulatore generali, etiam universae religiosae Familiae S. Dominici fervida et supplicia vota depromente, atque ab infrascripto Cardinali sacrae Rituum Congregationi Praefecto Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV de praefatae Causae statu eiusque peculiaribus adiunctis facta relatione, Sanctitas Sua declarare atque statuere dignata est, ut praesens decretum confirmationis praenotatae sententiae de casu excepto seu de cultu immemoriali Servo Dei Isnardo de Chiampo, sacerdoti professo Ordinis Praedicatorum, exhibito, prouti de more publicetur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 martii 1919.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Praefectus.

L. % S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

III

AURELIANEN.

CANONIZATIONIS BEATAE IOANNAE DE ARC, VIRGINIS, AURELIANENSIS PUELLAE NUNCUPATAE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet, post indultam, eidem Beatae venerationem, in casu et ad effectum, de quo agitur?

Cunctas inter res, quibus passim facileque abuti consueverunt catholico nomini adversi homines, exstat profecto ea atque eminet, quae pro arbitrio effingitur magnaque praedicatione extollitur, quaeque amor est patriae, quemadmodum cuiusvis superioris recentiorisque aetatis scite non minus quam apte monumenta testantur.

Ducto siquidem initio ab ipsa adorabili Iesu Christi Redemptoris persona, dum per medium populum, per vias et plateas transibat Ille benefaciendo et sanando omnes, impia et blasphéma in Eum iacta est calumnia, quod scilicet subverteret gentem. Utque consentaneum prorsus erat maximeque decebat fideles Eiusdem sectatores, non absimilis opinionis iniqui tate, sub nascentis Ecclesiae exordio, primi agitati sunt Christiani iique, quo in odium invidiamque popularem adducerentur, veluti reipublicae inutiles insimulabantur, periculosi cives, seditiosi, imperii atque imperatoris hostes. Quin autem subsequentibus saeculis pedetentim quiesceret, itinere potius progredi visa est calumnia, quamvis eadem componi nequaquam possit cum christiana catholici hominis professione eique imo plane repugnet, sicut aperte docet communiter recepta Ecclesiae doctrina, quam, ceteros inter, valide strenueque tuetur Angelicus Doctor, quippe cuius huc spectans tam gravibus tamque perspicuis expressa verbis, haec sententia prostat : *Homo efficitur diversimode aliis debitor secundum diversam eorum excellentiam, et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus summum obtinet locum; qui et excellentissimus est et est nobis essendi, et gubernationis primum principium. Secundario vero nostri esse et gubernationis principium sunt parentes, et patria, a quibus et in qua et nati et nutriti sumus. Et ideo post Deum, maxime debitor est homo parentibus et patriae. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere; ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae* (2ª, 2ªᵉ, quaest. 101, art. 1).

Quod si haec omnia de quolibet Christifideli, qui memor sit professionis suae, affirmari praedicarique oportet, summum attigisse gradum in eo dicenda sunt, cuius non communes neque vulgares, sed heroicas fuisse constat christianas exercitas virtutes; eaque idcirco ad Beatam Ioannam de Arc, *Aurelianensis Puellae* pernotam nomine, vix atque transferuntur, statim levissimoque negotio planum fit atque perspicuum, quam temere quamque iniuste se gerant illi, qui ipsam *Aurelianensem Puellam,* vitam eius gestaque res, ad humanae tantum opis facultatem dimetientes, omni divinae virtutis instinctu exuere se posse arbitrentur. Reverá, quae *Aurelianensis Puella* fuerit; quae peculiaris eiusdem vivendi agendique ratio ad sextum usque ac decimum suae aetatis annum; quae postmodum patrata per ipsam gloriosa et inaudita facinora, quibus inclinatae valde et afflictae in integrum restitutae sunt patriae sortes; qui funestissimus demum eiusdem intentus, cum, inique a suis prodita, ab hostibus capta, caedi omnium teterrimae tradita, sacra Eucharistia refecta, oculis in Christi Crucem defixis, implorata, coram populo confertissimo, pro suae mortis auctoribus venia, crepitantibus flammis est absumpta; ad haec sane omnia eorumque adiuncta tranquillum animum et praeiudicatae opinionis expertem qui parumper attendat, facere procul dubio nequit, quin christianam veri nominis heroidem agnoscere cogatur atque revereri.

Etenim, secus si esset, quae nuper cursim raptimque describere consilium et cura fuit, quibusque, brevius et expressius quo fieri potuit, Ioannae Arcensis exhibetur imago, nullam amplius sui nanciscerentur explicationem; idque facto suo ostendere fermeque confiteri vel ipsi visi sunt, qui innocentissimae Virgini tantum paraverunt exitium. Hi porro quum neque ipsi inficiari auderent quae egit quaeque operata illa fuit, insciae rusticaeque adolescentiae conditionem longissime exsuperasse potestatem que, Rationalistarum tamen scholae ut erant addicti, ne darent gloriam Deo, tamquam sagam atque veneficam rapere eam in ius non dubitarunt; eoque ex capite, per summum scelus, damnata quidem est; ast non incassum in iis, quae sibi propositae fuerant, interrogationibus iugiter constanterque professa illa fuit semetipsam actionesque suas subiicere Ecclesiae fidenterque se appellare ad Dominum Papam; quandoquidem, aliquot post annos, eius instante matre ac duobus germanis fratribus, veritatis iustitiaeque patrocinium volenti animo suscepit fel. rec. Callistus Papa III.

Huius namque Summi Pontificis apostolica auctoritate, apposita condita fuit inquisitio, qua res antea iudicata penitus est rescissa planeque deleta *Arcensis Puellae* infamia; quodque longe maius, ineundae

causae Beatificationis Stratum et complanatum est iter; ex praefata quippe inquisitione magni pretii eruta sunt facta, pleraque sat firma sumpta sunt argumenta ad heroicas eiusdem *Arcensis Puellae* demonstrandas virtutes, quae tantam postea adeptae sunt firmitatem et certitudinem, quanta eisdem ex duplici obvenit miraculorum accessione. Vix enim peracta Beatificatione, novorum prodigiorum manare coepit fama, quorum ex numero binae, de quibus agitur, percensentur sanationes, quaeque pro Beatae Ioannae impetranda Canonizatione propositae ab actoribus fuere, earumque quadruplici disceptatione absoluta fuit cognitio. Primum siquidem de re est actum in Congregatione antepraeparatoria, secundo ac tertio in duabus praeparatoriis Congregationibus, quarto denique in Congregatione generali, quae, die decima octava superioris mensis martii, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV coacta fuit; in eaque a Reverendissimo Cardinali ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum est Dubium: *An et de quibus miraculis constet, post indultam Beatae Ioannae de Arc venerationem, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores suum ex ordine protulerunt suffragium; verumtamen Sanctissimus Dominus noster supremam distulit edere sententiam, cunctos interea monens Suffragatores, orando obsecrandoque oportere Dei exquirere voluntatem. Quum vero mentem Suam patefacere statuisset, hodiernam designavit diem Dominicam Passionis; ideoque, Sacro devotissime peracto, ad Vaticanas Aedes arcessiri voluit Reverendissimus Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Albanensem causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter pronunciavit: *Constare de duobus miraculis;* de primo nempe *instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Antoniae Mirandelle a morbo plantari perforante;* deque altero *instantaneae perfectaeque sanationis Theresiae Bellin a tuberculosi peritoneali, nec non a lesione organica orificii mitratici.*

Hoc Decretum publici iuris fieri et in acta sacrae rituum Congregationis referri mandavit octavo idus apriles anno MCMXIX.

f$ A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. s.

Alexander Verde, *Secretarius.*

IV

PRAEFATTONES IN MISSALI ROMANO INSERENDAE

I

PRAEFATIO IN MISSIS DEFUNCTORUM

Per omnia saecula saeculorum.

RJ\ Amen.

f. Dominus vobiscum.

RJ\ Et cum spiritu tuo.

f. Sursum corda.

RJ\ Habemus ad Dominum.

•f. Gratias agamus Domino Deo nostro.

RJ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. In quo nobis spes beatae resurrectionis effulsit : ut quos contristai certa monendi conditio, eosdem consoletur futurae immortalitatis promissio. Tuis enim fidelibus, Domine, vita mutatur, non tollitur: et dissoluta terrestris huius incolatus domo, aeterna in caelis habitatio comparatur. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes.

URBIS **ET** ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XV, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, suprascriptam Praefationem propriam, in Missis Defunctorum ubique locorum in posterum recitandam, approbavit, atque in futuris Missalis Romani editionibus rite inserendam iussit. Die 9 aprilis 1919.

£g A. CARD. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,

S. B. G. Praefectus.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

PRAEFATIO IN FESTIS S. IOSEPH, SPONSI B. MARIAE VIRGINIS

\ Sequens Praefatio dicitur in Festo, in Solemnitate et per Octavam S. Ioseph. In Missis votivis dicitur: *Et te in veneratione.*

Per omnia saecula saeculorum.

RJ. Amen.

f. Dominus vobiscum.

RJ. Et cum spiritu tuo.

f. Sursum corda.

RJ. Habemus ad Dominum.

f. Gratias agamus Domino Deo nostro.

RJ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: Et te in Festivitate beati Ioseph debitis magnificare praeconiis, benedicere et praedicare. Qui et vir iustus, a te Deiparae Virgini Sponsus est datus: et fidelis servus ac prudens, super Familiam tuam est constitutus : ut Unigenitum tuum, Sancti Spiritus obumbratione conceptum, paterna vice custodiret, Iesum Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Caeli, caelorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes.

URBIS **ET** ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XV, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, pro sua quoque pietate erga Sanctum Ioseph, Beatae Mariae Virginis Sponsum et Catholicae Ecclesiae Patronum, suprascriptam Praefationem propriam, in Missis de eodem Sancto Ioseph ubique locorum in posterum adhibendam, approbavit, atque in futuris Missalis Romani editionibus rite inserendam iussit. Die 9 aprilis 1919.

)$l A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,

S. R. C. Praefectus.

L. % S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA BOTA

GRAVINEN.

NULLITATIS MATRIMONII (PERRINO-TROTTA)

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die 2 iulii 1918, BP. PP. DD. Petrus Bossetti, Ponens, *Baphaël Ghimenti et Maximus Massimi, Auditores de turno, in causa* Gravinen. - Nullitatis matrimonii *inter* Mariam Antoniam Perrino, *actricem, repraesentatam per legitimum procuratorem, deputatum ex officio, rev. D. Aloisium Garabini, advocatum, et* Dominicum Trotta, *reum conventum, interveniente et disceptante in causa Substituto Defensoris vinculi huius S. Tribunalis, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

In parochiali ecclesia S. Ioannis Baptistae et S. Luciae, civitatis Gravinae, Maria Antonia Perrino, die 28 aprilis 1892, decimo quarto aetatis suae anno nondum expleto, matrimonium contraxit, Tridentini lege servata, cum Dominico Trotta. Mulieris admodum difficile erat ingenium: « Era troppo vivace; facilmente usciva a baloccarsi in istrada; « è molto sventata ». Quare eius mater, vel a tenera filiae aetate, uti debuit severitate, verberibus non exclusis, ad illam in officio continendam; immo persuasum etiam habuit, coniugalem societatem efficax remedium futurum filiae indoli moderandae atque corrigendae. « La « madre diceva, che per il carattere troppo vivace, e per i frequenti atti di « pazzia di lei, stimava buono darle presto l'appoggio del marito, essendo « la figlia troppo leggera, vivace, pazzerella e facile ad amoreggiare: « credeva necessario darle subito lo stato matrimoniale ». Sed contrarium prorsus accidit; coniugali enim consortio instaurato, Maria Antonia, quin ullo modo se corrigeret, suae indoli indulgens, adulterinos fovit amores; a viro in flagranti flagitio deprehensa, non levibus fuit verberibus affecta: « allora volle punirla, percuotendola e ferendola con una scure; « tanto che le portò via una parte del padiglione di un orecchio ». Inde,

orta inter coniuges dissidia, quorum exitus fuit mulieris discessus a viro, a matrimonio contracto anno vix elapso, quae Barium cum amasio contendit, ad virum suum nunquam reversura. Revera, viginti aliis elapsis annis a desertione viri, Maria Antonia coram Ordinario Gravinensi, die 14 augusti 1918, petiit matrimonium suum, ex capite vis et metus sibi illati a matre, nullum declarari. At, processu instituto, in contumacia viri causa fuit disceptata; sed sententia, quae prodiit, fuit contraria mulieri actrici, quae ad H. S. T. rite appellavit. Cum constitisset, Dominicum Trotta Americanas oras appulisse, per edictum, in Commentario officiali *Ada Apostolicae Sedis* insertum, iterum fuit citatus, sed sine effectu. Ideo, viri perdurante contumacia, in hodierno Turno Rotali causa definienda proponitur sub formula dubii : *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Ius quod attinet. - Matrimonium cum sit ipsemet contractus naturalis sacramenti auctus dignitate (Pius VIII; Encycl. *Humilitati,* 24 maii 1829), adeo ut sacramentum et contractus sint aliquid unum individuum prorsus (Pius IX, Encycl. *Ad Apostolicae,* 1851), non aliter ac contractus ceteri consensu perficitur (cap. 5, *de Bigam.,* 1. 30, *de B. L);* et talis consensus requiritur, qui sit omnino liber et immunis a qualibet coactione (CC. 14-15-28, *de spons. et matrim.,* cap. 2, *de eo qui dux. in matrim.,* etc). Quare communis est theologorum et canonistarum sententia, matrimonium, vi et metu initum, nullum et irritum esse. Et merito; si enim vis physica sit adhibita, quae in corpus, non in animum, cadit, consensus deest; nam quis posset nolens velle, si moralis deest plena libertas, quam sacri canones in nupturientibus requirunt?

Metus enimvero, qui in animum cadit, etsi libertatem enervet, non enecat tamen; nam quisquis ad malum vitandum aliquid facit, hoc mavult (D. Thom., 2. 2. 6, 61. L. 21, § 3, *Quae met. causa; h.* 22 *de rit. nupt),* ut ecce si nauta, pelago saeviente, deiicit merces in mare; si facit voluntate, facit (D'Annibale, *Sum, Theol. Mor.,* 1,105). Quare, metu incusso, matrimonium simpliciter et absolute est quidem voluntarium, sed est etiam secundum quid, seu sub quodam respectu, involuntarium ; qui enim solo metu ad illud impellitur, ita agit ut, absente metu, ab eo abstineret: atque adeo matrimonium, ex solo metu contractum, sociatam habet quamdam voluntatis tristitiam ac repugnantiam, licet inefficacem. Hoc sacri canones reprobant. « Cum locum non habeat consensus ubi « metus vel coactio intercedat, necesse est ut, ubi consensus cuiusdam «requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium enim solo con-« sensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille

« gaudere cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere « quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire » (cap. 14, *de spons. et matrim.).* Consequitur inde, erroneum prorsus esse quod iudex Gravinensis in sententia appellata hisce verbis asseruit: « In « iure vis et metus ad foedus infirmandum, oportet *ut tollant omnino « libertatem et voluntarium omnino destruant,* sive sub extrema violentia, « sive sub metu gravis mali praesentis et futuri ». Nam in casu metus incussi voluntas quodammodo laeditur; metu enim remoto aliter sese determinaret: non tamen enecatur; posito enim metu sese ad matrimonium determinat; hinc adagium : « coacta voluntas, est semper voluntas ». Et si, hoc minime obstante, matrimonium fit irritum, non ex consensus absoluto defectu est repetendum, sed a iuris dispositione, qua laeso succurritur et iniuria reparatur. Hanc ob causam metum passo actio datur, *quod metus causa,* ad contractum, ceteroquin validum, rescindendum: quae actio, cum locum non possit habere in matrimonio indissolubili,, cautum est a iure ut laeso succurratur ope nullitatis contractus matrimonialis. « Consensus sub tali metu adest; et sicut est sufficiens ad vali« ditatem aliorum contractuum, ita et matrimonii. Ecclesia autem merito « illum insufficientem declaravit, quia alias parti metum passae succurri «non poterat» (Gasparri, *De matr.,* II, n. 935). Sic etiam D'Annibale (loc. cit., III, § 315): « Metus dirimit nuptias, nempe (quia semel initae « rescindi non possunt secus ac alii contractus) ab initio ipso iure ».

Sed hoc non de quolibet timore dici debet; non enim in foro externo attenditur metus levis, qui facile contemnitur, et nemo praesumitur compulsus hoc metu (LL 6, 7,8, *Quod met. caus.);* nec metus, qui est ab intrinseco, cum res ipsa metum facit, veluti si nauta metuat naufragium (C. 17, *De regul.),* reus poenam (Ex L. 21, § 10, C. *Quod met, caus.);* sed unus metus attenditur, qui est ab exstrinseco, cum aliquis infert metum ad consensum extorquendum, ut puta si quis, stricto mucrone, me cogat. Et hoc non semper nec eodem modo, sed tunc tantum cum: 1) metus incussus fuerit ad matrimonium extorquendum (CC. 14, 15, 28, *de spons. et matr.,* cap. 2, *de eo qui dux. in matr.);* 2) si fuerit iniustus quoad substantiam (C. 10, cod.), immo, iuxta nonnullos, etiam si fuerit iniustus tantum quoad modum (Lugo, *De iust. ei iur. disp.* 22; Wernz, IV, n. 265); et 3) si fuerit gravis seu cadens in virum constantem, sive *absolute,* cum grave est periculum quod imminet, et aestimatur ex damno, ut puta si quis metuat sibi vel carissimis suis carcerem, verbera, stuprum, etc. (L. 3, 7,8, *Quod met. caus.)* ; sive *relative,* cum gravis est mentis trepidatio, et aestimatur ex affectione metum passi (L. 3, *Ex quib. caus. maior),* seu ex cuiusque indole, aetate, sexu, valetu-

dine, etc. (S. Thom., 4. Dist. 29, qu. unie, art. 3; Gasparri, *De matrim.,* II, n. 938, edit. IV; D'Annibale, III, par. 315, edit. II).

Quae de metu ordinario sunt dicta, ad metum etiam reverentialem pertinent; ad illum scilicet metum, quo reformidamus eius indignationem, in cuius potestate sumus constituti. Hic per se vel non est omnino metus, vel levis est, qui matrimonium non irritat: sed si aliquid aliud accedat, puta minae, perpetua indignatio, preces importunae et constantes, vetera, aliaque huiusmodi, fit qualificatus vereque *gravis,* qui ideo matrimonium dirimit. Haec est communis Doctorum sententia (Reiff., 1. I, t. 40, n. 95; Schmalzgr., *I* 1, t. 40, n. 5; Sánchez, *I IV .Disp. 15* n. 14; Gasparri, II, n. 943; D'Annibale, 1, § 138, not. 14; Wernz, *De matrim.,* t. 8, n. 264); haec est iurisprudentia Rotalis (uti videre est, inter alias, in *Parisien.,* 20 februarii 1910; in alia *Parisien.,* 13 martii 1911), quam semper sequuta est S. Congregatio Concilii.

Quando de metu incusso agitur, qui non praesumitur, eius probatio quae alleganti incubit (1, *Cum te non solum,* ff. *de iis quae vis metusque causa fiunt),* aliquo modo differt a probatione in genere requisita; cum enim metus probatio sit difficilis, « tum ex parte illum inferentis, cum « secreto et clam inferatur... praesertim quando a patre infertur filiae «secum habitanti » (Rota, Dec. 326, c. Ludovisio); ius canonicum, ad cuius praescriptum perpendi debet impedimentum, quodammodo indulget. Ideo testes admittuntur, qui alias non admitterentur, et idonei vocantur, uti in cap. final. *De test,* notat *Glossa.* Quare admittuntur domestici, ipsique consanguinei, et parentes illius, qui metum passus est (cfr. Fol. S. Congr. Concilii in *Lucerina, Rest, in integr.,* 26 martii 1768, § Clare); immo plurimum defertur iuratae depositioni illius, qui metum passus est; praesertim si aliae praesumptiones concurrant, quae eidem faveant; et illi quoque solent audiri, qui metum incusserunt (Rota, Dec. 373, n. 13 et 14, par. 18, tom. I, *Recent.).* Equidem contra matrimonii valorem pronuncian non debet, nisi « rationum pro nullitate complexio omne pru« deus dubium de existentia impedimenti excludat» (Instr. S. Officii, 20 iunii 1883): sed attenta probationis difficultate in hypothesi declarata, metus retinetur probatus « quando tales testes, coniecturae et « adminicula simul iuncta concurrunt, ut moralem certitudinem in « iudice pariant » (Gasparri, II, n. 954) et notetur « perperam exquiri « eas probationes, quae omnem in contrarium possibilitatem excludant, « cum satis superque sit moralis certitudo ex pluribus coniecturis et «adminiculis simul iunctis promanans» (Reiff., t. 40, n. 78; S. Congregatio Concilii in *Meievitana, Nullit, matrim.,* 22 decembris 1821, § Ioachimae).

Factum quod spectat. - Iamvero, si omnia simul conferantur adiuncta, quae habentur in actis, moralis haec certitudo habetur. Etenim Maria Antonia Perrino fatetur se, nonnisi a matre sua coactam, matrimonium acceptasse: « Questo matrimonio... fu tutta opera di mia madre. Dap- « prima cercava di vincermi con le blandizie; ma, vedendo la mia «ostinatezza, cominciò ad usarmi tutte le sevizie e torture, che solo « ella sapeva e poteva usarmi... Fu allora che mi rassegnai alla sorte. « Io mi rifiutai di accettare la proposta (del matrimonio). Le ^ie di fatto, « a cui essa ricorreva, sino a percuotermi con della fune bagnata, e con «bastoni, ...mi atterrivano, ed era allora che, per calmarla, io assen- « tivo ». Confessio haec ceu vera probatio retineri non potest cum facta fuerit post matrimonium accusatum, seu tempore suspecto (Cap. 5, *de eo qui,* tit. 13, lib. 3, X; *Instr. Austr.*, n. 148 et 169; Rota, dec. 264, n. 44, par. 5, tom. I, *Recent.;* dec. 165, n. 57, par. Vi, *Recent.;* Wernz, n.- 745, edit. 1911); bene vero veluti adminiculum retinetur, quod, aliis admini- culis unitum, omni vi probandi non caret.

Talis confessio, facta quoque legitur tempore non suspecto, quando scilicet de accusatione instituenda in matrimonium Maria Antonia ne cogitaverat quidem; immo quando,ignara impedimenti, de hoc ne cogitare quidem poterat. Hoc ita testatur Sac. Pizza Paschalis: « Ebbi occasione « di rivedere la signora Perrino nel 1909... Mi raccontò... che il suo matri- « monio era stato disgraziato : che fu la madre Fautrice di esso e, quan- « tunque contasse appena 13 anni, con falso attestato fu vinta ogni « difficoltà. La madre, di carattere violento,... volle il matrimonio prima « con un altro e, fallito questo, dopo tre mesi, col Trotta. A tal fine nial- « trattava la figlia con ingiurie e ricorreva anche a vie di fatto »; idque postquam mulier, interrogata, respondisset, se praecepto paschali non- dum satisfecisse, et etiam addidisset, se in concubinatu vivere. Quo audito, testis Pizza ei consilium praebuit conscientiae suae consulendi per recur- sum ad Ecclesiam : « Io, dopo di aver preso consiglio da persone com- « petenti,... cercai di persuaderla a sottoporre il suo caso al giudizio della « Chiesa ». Porro quae candide seipsam accusat de violato paschali prae- cepto et de turpi concubinatu, mentita praesumenda non est quando caetera retulit; et si meretur fidem quando contra se loquitur, est etiam credenda quando loquitur pro se. Ideo idem testis affirmare nullimode dubitavit: « Posso con sicura coscienza assicurare, che la signora era « sincerissima quando mi faceva tali rivelazioni, e nei diversi interro- « gatori, ai quali io la sottoposi in diverse epoche, non ebbe mai a « variare dalla prima ».

Actricis indoli hoc est conforme ; eam enim testes omnes veridicam

dicunt et mentiendi incapacem, saltem quoadusque cum ea consuetudinem habuerunt, ut deponunt Laetitia Tata, Rosa Loglisci, Maria Chiarelli, Salvator Trotta et Dominica La vecchia, hi duo postremi viri parentes. Ratio non suppetit cur hoc idem retineri non debeat pro tempore subsequuto, de quo testes nihil censuerunt affirmare, cum illam a longo tempore absentem non amplius vidissent. Et hoc tanto magis quia mulier, infelix potius quam impia, quamvis in concubinatu viveret, tamen religionis officia non deseruit, sed, quantum ei licuit, pietatem coluit. « Nella chiesa di S. Ferdinando, ait testis Canonicus Bux, edi- « ricava per la sua pietà », quam laudat etiam Sacerdos Pizza.

Quare non est attendenda Substituti Defensoris Vinculi insinuatio, quae Mariae Antoniae fidem abiudicat, et testium depositiones impetit illius credibilitatem affirmantium. Eius vita improbanda eam a testificando non repellit; immo quia metum passa est, debet audiri, eiusque depositio debet attendi, nisi falsa deprehendatur: « iuramento non adhibetur « fides quando vehementes contra iurantem coniecturae adsint » (Rota, dec. 12, n. 6, an. 1911, c. Mori); quod in casu probatum non apparet.

Quae circa metum passum Maria Antonia deposuit, ex pluribus verisimilia apparent. Non tantum ipsa deposuit, se proposito matrimonio cum Dominico Trotta magnam habuisse aversionem: «Dissi a mia « madre, che non avrei sposato giammai un contadino... Io non me la «sentivo per tante ragioni... Io mi rifiutai di accettare la proposta uni- « camente perchè non me la sentivo di sposare un contadino... Il pen- « siero rifuggiva dallo sposarmi un uomo di condizione contadino: ma « dovetti subire la volontà della mamma»; sed testes etiam hoc idem confirmant; Rosa Loglisci, actricis amita, ait: «A me, che pure la con- « sigliavo a preferire il contadino,... dichiarò che non ostante le buone « doti del giovane, non voleva saperne di sposarsi con un contadino ». Franciscus Perrino, eius patruus, dixit: « Mi dichiarò di non accettare « la mano di Domenico Trotta perchè di condizione contadino »; eamdem rem deposuit Dominica Lavecchia, sponsi mater, et Angela Giannini. Iamvero haec Mariae Antoniae repugnantia praesumptionem inducit metus incussi et laesae illius libertatis, ad essentiam matrimonialis contractus a iure requisitae, ut in casu simili tenuit Rota (Dec. 326, n. 7, c. Ludovisio): « Verisimilitudinem deducendo a nimia animi aversione «et repugnantia... quae sicut declarant animum Marchionissae alienis- « simum a dictis nuptiis (L. *si quis § plerique ff. de deleg, et suwtpt.),* « ita removent consensum a contractibus »: et tradit Cosci *(De sep. thor.*, '1. I, c. 8, n. 54) « ex parte mulieris per testes dicitur probatus metus « si deponant de ipsius aversione erga coniugem ante et post riiatrimo-

« nium ». Praesumptio haec, aliis unita adminiculis, veritati statuendae non parum inservit.

Enimvero mater Mariae Antoniae valde desiderabat matrimonium filiae suae cum Dominico Trotta. « Mia madre - ait actrix - mi disse « che mi avrebbe dato in moglie al Sig. Trotta... Volle che io la seguissi « in casa per esprimere il mio consenso ». Testes etiam idem affirmant: « Avvertii - ait Salvator Trotta, viri pater - che era la madre a volere « conchiudere il matrimonio». Eadem ferme repetunt Dominica Lavecchia, mater sponsi, Angela Giannini, quae negotii huius fuit valida mediatrix, Laetitia Tata, et Rosa Loglisci: immo, dum omnes uno ore deponunt de dicto matris desiderio, addunt, se hanc matris agendi rationem non probasse. « Si giudicava male - ait Laetitia Tata - la condotta della madre, «perchè l'età della fanciulla e il suo comportamento non erano atti « allo stato matrimoniale ». Maria Ghiarinelli deposuit « Io e il vicinato « commentavamo la premura della madre di lei a dare lo stato alla « figlia, così giovane ancora, che aveva compito appena i 13 anni ». Adeo autem vehemens fuit hoc matris desiderium, ut, cum sponsi parentes necessariis expensis sustinendis impares essent, et ideo matrimonii celebrationem vellent differre, ipsa difficultatem removit necessariam pecuniam offerens. « A questo provvide la madre della Perrino - «dixit Salvator Trotta - favorendomi centocinquanta lire »: et etiam, quod gravius est, matrimonium contra iuris praescriptum coram civili Magistratu fuit contractum; cum enim Maria Antonia aetatem nondum haberet a lege civili statutam *(Cod. Civ. Mal.,* art. 15), fraudulenter fides nativitatis primae filiae eiusdem nominis, quae obierat, fuit exhibita, atque ita in anno decimo quinto falso apparuit constituta. Cuius opera hoc factum sit non constat in actis; sed filia matrem accusat: «Mi sentiva «troppo piccola, di appena 14 anni, e mia madre per farmi sposare al « civile, esibì una fede di nascita di mia sorella maggiore, che era morta « prima che io nascessi, per cui fu dato a me l'istesso nome della defunta » : eamdemque accusationem confirmat testis de auditu Canonicus Bux: « Dal racconto della stessa Perrino, e *da altre che Vavvicinavano,* mi si «disse che la giovinetta fu fatta sposare con fede di nascita di una «sorella premorta avendo la madre interesse di collocarla presso « Trotta... ». Verum, attento matris interesse praemisso, quod nemo alius habuit, si non certitudo, saltem fundata praesumptio habetur, hoc eius opera factum fuisse.

Hoc semel posito, « considerandum est, utrum qui de illata vi accu« santur, patria potestate et auctoritate pollerent,... quae indoles infe« rentium, quae conditio, qui mores, qua ratione familiam regere con-

« suéverint ; utrum ad iracundiam et violentiam essent proclives, ut « facile, quod minabatur, perficerent et animo ita essent duro et obstine nato, ut a nemine sibi contradici sinerent », iuxta instructionem S. Officii, diei 20 iunii 1883. Tale erat Mariae Antoniae matris ingenium, ut, naturalis amoris penitus oblita, in filiam se ostenderit valde inhumanam; quin enim studeret filiae suae compati infirmitatibus aetatis atque naturae, in eam crudeliter saeviit. Hoc ita actrix exponit: « Le vie di fatto a cui essa ricorreva sino a percuotermi con la fune «bagnata, ed anche con bastoni, e propriamente con quello che si « chiama matterello, ecc.; devo rilevare il carattere di mia madre: era « stata sempre crudele verso di me fin da quando ero bambina, perchè «sovente mi batteva, anche mi mordeva per frenare la mia troppa vivacità ». Et hoc confirmant testes: « La madre - dixit Rosa Loglisci - « ora con insinuazioni, ora con minaccie, ora con vie di fatto, con per« cosse, o morsi, o pizzicotti, cercava di persuadere la figlia alla sua « volontà ». Idem testatur Laetitia Tata: « Ricordo che la madre era « severa con la figlia, e spesso usava con lei mezzi violenti di percosse « di morsi e di pizzicotti, perchè la figlia era troppo vivace » ; et Irenes Modugno refert: « So che (Maria Antonia) era frequentemente percossa «dalla madre, e qualche volta anche inumanamente, e ciò perchè la « figlia era molto irrequieta e disubbidiente ». Equidem testes referunt, matrem ita se in filiam gessisse inde ab eius tenera aetate, et etiam propter eius naturales defectus: ex quo consequi videretur, saevitias non fuisse adhibitas intuitu matrimonii ad consensum in illud extorquendum: testes de hoc nihil deponunt, et fatentur, se hoc ignorasse. Sed imprimis ex his colligitur, quae fuerit matris indoles, quae ratio gubernandi familiam, passione potius quam ratione directa, efferatoque animo superata. Sed insuper nihil impedit quominus saevitiae ad matrimonium quoque obtinendum illatae retineantur. Nam mater, quae erga filiam tali utitur agendi ratione, quae vix et ne vix quidem cum belluis adhiberetur, est ita propositi tenax/ut sua voluntas sit lex absoluta, et nullo modo permittat filiam suam unquam ei detrectare, vitam secus acturam perpetuo infelicem sub talis matris imperio; et ideo, posita ex una parte filiae reluctantia matrimonio contrahendo, et ex alia firma matris voluntate ut illud acceptet, iure meritoque potest retineri, matrem inhumanam, sicut in ceteris, ita et in hoc eadem usam fuisse agendi ratione, ut filiae reluctantiam suae subiiceret voluntati. Hoc autem solido non caret fundamento.

Nam cum de sponsalibus ageretur mater crudelis reluctantem filiam colaphis caesit, sicut non una Maria Antonia, sed testes etiam depo-

suerunt. Illa dixit: « Quando costui (sponsus), insieme ai suoi, venne « a casa mia per fare la formale richiesta di matrimonio, io scappai in « casa di Angela Giannini per non comparire, ed oltre uno schiaffo, ci « vollero tutte le minaccie di mia madre per indurmi a presentarmi ai « genitori dello sposo ». Idem confirmat coram iudice: « Il giorno in « cui nella casa mia si presentarono i genitori dello sposo per fare la « proposta ufficiale.... io mi ridussi nella casa attigua di Angela Gian- » nini. Ma sopraggiunse mia madre, la quale volle che la seguissi in « casa per esprimere il mio consenso, e vedendomi riluttante mi tirò « uno schiaffo e mi fece tante minacce che io dovetti seguirla ». Inter testes Angela Giannini deposuit: « Appena Maria Antonia Perrino vide « quelle nuove persone in casa, sospettandone, o meglio indovinandone « lo scopo, cercò di uscire di casa; ma ne fu trattenuta dalla madre, « che la percosse con uno schiaffo; ma anche dietro lo schiaffo Maria « Antonia Perrino fuggì e venne in casa mia dicendomi: " Mia madre « mi vuol far vedere lo sposo ed io sono fuggita perchè non lo voglio „ ». Inter utramque relationem aliqua existit discrepantia, quae tamen non nocet cum sit accidentalis et non substantialis; temporis enim respicit circumstantiam, sed factum est idem, et bene explicatur discrepantia . haec ex memoriae defectu, cum de facto agatur quod viginti ante annos evenerat. Quod si ita se gessit mater ab initio, etiam in decursu tractationum eodem modo se gessisse merito retinetur; eaedem enim omnes extiterunt rerum et personarum circumstantiae.

Et revera Dominica Lavecchia socrus actricis refert: « Durante il « periodo delle trattative matrimoniali... io mi sono recata più voltein « casa di lei per i preparativi del matrimonio. Avvertivo, che quando « giungevo in casa qualche volta la Maria Antonia ci lasciava per andar- « « sene in casa di quella o di quell'altra vicina, e *la madre si muoveva « a cercarla e a ricondurvela anche rimproverandola.* Mi dicevano che la « madre, quando non si vedeva obbedita, *le usasse spesso maltrattamenti « e percosse,* ma ciò non è avvenuto mai in mia presenza ». Etiam Angela Giannini hoc idem testatur: « Le pratiche matrimoniali continua- « rono, ora col consenso di lei ed ora col rifiuto, a seconda le promesse « di futuri abbigliamenti, o le minaccie, o le percosse »; et Maria Chiarelli dixit: « Non so dire se gli stessi trattamenti, che si continuarono « nel periodo delle trattative dell'accennato matrimonio, avessero per « movente la volontà di forzarla all'istesso matrimonio ». Graviora autem sunt quae refert amita actricis, Rosa Loglisci: « La madre - ipsa dicit - « ed io pure preferivamo la proposta di Domenico Trotta a quella del- « l'artiere... Ma Maria Antonia Perrino preferiva l'artiere al contadino.

«La madre sempre col pensiero del migliore collocamento, ora *con « insinuazioni, ora con minacele, ora con vie di fatto, con percosse, con « morsi e pizzicotti, cercava di persuadere la figlia alla sua volontà... ».* Quae omnia eo processerunt ut testis concludere potuerit: « Secondo « me sono convinta che il matrimonio essa lo accettò non col proprio « gusto, ma per obbedire e togliere il motivo dei maltrattamenti, perchè « una volta mi disse : " Me lo piglio, ma non con piacere „ ». Vexationes .ergo a matre in filiam adhibitae matrimoniali quoque consensui extorquendo fuerunt directae; hisce enim « cercava di persuadere la « figlia alla sua volontà » ; et hoc tanto magis quia Reiffenstuel (1. I, tit. 40, n. 29) docet « metum in foro externo, si dubitetur utrum directe an « indirecte incussus fuerit, praesumi *directum* » (cf. Gasparri, *De Matr., U,* n. 951). Immo et metum incusserunt, qui cadit in virum constantem. Nam, ut ait Pignatellus (tom. IX, Cons. 130, n. 19) : « Quando metus, « concipitur ex sola qualitate personae, non impedit libertatem ; quando « tamen concipitur non solum ex persona, sed etiam ex qualitate peti- « tionis vel iussionis, quia videlicet ostendit animum omnino determi- « natum ad obtinendum quod petitur, tunc certe *cadit in constantem « virum.* Quia rationabiliter sibi persuadet, quod nisi obsequatur petenti, « sive iubenti, graviter indignabitur. Unde verecundia coniuncta est cum « timore indignationis et damni, quod potest ex ea sequi; et ideo est « sufficiens, ut cadat in virum constantem; immo si non timeret, non « esset constans, sed temerarius ». Et Glericatus (Dec. 37, *de matr.,* n. 21) scribit: « Metus reverentialis dupliciter consideratur, vel cum periculo « alicuius gravis mali, vel sine periculo. Primo modo, quando filius vel « filia, non obstante voluntate patris timet rationabiliter reddere illum « sibi infensum, superciliiosum, torve aspicientem, nec placide loquen- « tem, et multo magis si audiat eumdem verba obbrobriosa dicentem, « vel ictus et verbera minitantem, aut alias mortificationes in se pro- « mittentem, quae omnia reputantur in filio mala gravia et importabilia. « Secundo », etc.

Non solum matris, sed etiam filiae est perpendenda conditio. Ratio habenda est primum sexus personae, quae violentiam passa dicitur; « facilius enim animus puellae commovetur, quam viri; deinde aetatis, « educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et « constans; qua ratione in familia vivere consuevit, utrum sub custodia « et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus « penderet » *(Instr.* cit.). Et merito: metum enim graviorem aut leviorem facit animorum affectus; alter siquidem mortem non reformidat, alter minitantium supercilio commovetur. Utrum autem metus liberum

arbitrium violaverit, in passiva subiecti aestimatione inquiri oportet, non vero in aliorum opinione, ceu docet Barbosa *(Voi. decis.,* 1.1, n. 26): « Magis verisimilis redditur metus, habita consideratione ad personam « quae illum patitur », ut tenuit Rota rationem reddens his verbis : « nam « pueri, in quibus rrùlius est usus, et qui omnia maiora, quam sint, iudi- « eant, propter imperitiam aetatis, rebus quibuscumque, etiam levissi- « mis, terrentur. Et hoc non solum in metu, quem coactivum appella- « mus, locum habere dicimus, sed etiam reverentiali ». Iamvero Maria Antonia, cum de matrimonio contrahendo ageretur, decimum tertium aetatis suae annum vix excesserat, quando iudicii maturitatem nondum erat consequuta: nec erat talibus naturae dotibus praedita, ut retineri potuisset mulier in suo genere formata, quae prudens et fortis existe- ret, quaeque matrimonialibus obligationibus suscipiendis sat superque esset idoneos. Patre etiam orbata, sub unius matris, adeo severae et cru- delis, vivere cogebatur, quocumque humano destituta praesidio. Quibus in adiunctis, mirum esse non debet si puellae animus valde trepidaverit, et tandem matri suae matrimonium' volenti morem gesserit, ne illius indignationis effectus experire perpetuo cogeretur; adeo ut ea plena gavisa non sit libertate seu securitate, quae a sacris canonibus requi- ritur, quaeque maior esse debet quam in ceteris contractibus.

Neque dicatur, Mariam Antoniam in die celebrationis matrimonii laetitiae signa non dubia manifestasse: « La festa dello sposalizio fu « fatta con tutta concordia e con tutta volontà si recarono a contrarre « il matrimonio civile e poi quello religioso ; nella festa nuziale mi «parve contenta e soddisfatta. Nei giorni prossimi del matrimonio, e « nel dì proprio della celebrazione, mi parve contenta », sicut testes affirmant; quod ostendit, vel ipsam non fuisse coactam, vel a coactione non fuisse ad matrimonium inductam, seu metum ad matrimonii usque celebrationem non perdurasse; adeo ut puella ex nolente facta fuerit volens. Quo in casu de matrimonii nullitate agi non potest; metus enim siquidem fuit incussus, nullitatem non induxit, cum usque ad matrimonii celebrationem non perduraverit (Rota, in *Bomcma - Matri- monii,* 1 iulii 1727; et in *Leueorien. - Matrimonii,* 10 ianuarii 1727, c. Calcagnino).

Nam imprimis de actricis laetitia licet dubitare; non enim omnes testes affirmant, illam in die matrimonii laetam atque hilarem vere fuisse, sed dicunt talem sibi visam fuisse : « Mi parve contenta »: bene an male hoc asseruerint non constat* cum nullum factum assignaverint verae letitiae declarandae aptum. Sed insuper in hoc etiam prae oculis ha- benda est conditio puellae non solum tenerrimae aetatis, sed etiam

indolis levissimae atque inconstantis, quae vestium sericarum pulchritudine allecta, et amicarum puellarum capta admiratione, omnium, quae passa fuerat, oblita, contenta atque hilaris visa est, cum e contra internus eius animus matrimonio esset adversus. Hic fuit mos perpetuus toto negotiationum tempore a Maria Antonia servatus; eius enim mater reluctantem filiam promissionum harum vestium sibi subiicere curabat, quae tunc acquiescebat; sed, matris ira sedata, iterum in contrariam sententiam revertebatur. « È vero che alle insistenze della mamma io «qualche volta manifestavo la mia volontà affermativa; e ciò sopra-ni tutto quando mi si facevano promesse di abiti di seta e di altri bei « doni, perchè a quell'età, cioè nell'età di 14 anni non compiti, tali cose « mi facevano piacere. Ma il più delle volte mi rifiutavo sempre, per la « ragione detta che non volevo uno sposo in quella condizione ». Media quibus mater utebatur ad filiam subiugandam « erano minacce, erano « vie di fatto, che si ripetevano ogni tanto ; ed erano pure persuasioni « e allettamenti; per cui io alle volte mi ribellavo, alle volte assentivo: « e posso dire che questa fu la storia di più che due mesi, che dura- « roño i preparativi del matrimonio... Per calmarla io assentivo, ma « poi dopo qualche giorno io era daccapo con la ribellione, ed ella ritor- « nava ai soliti mezzi ». Porro puella, quae constanter vult et non vult, prout est vexationibus territa et promissionibus allecta, vel sua utitur libertate, non est retinenda serio voluisse, quod tandem vieta acceptavit : ad vexationem enim redimendam illud acceptavit, et ideo quamvis revera in die matrimonii laeta atque hilaris fuerit, inde argumentum non oritur pro demonstrando libero eius consensu in illius celebratione. Quod est tanto magis retinendum, attenta generali naturae lege; virgines enim nubentes tanta commotione agitari solent in festivo apparatu, in gratuiationibus omnium, in rei novitate, praesertim si sint tenerrimae aetatis, ut maxima in animo perturbatio insidere soleat, quamvis in ore debita laetitia appareat. Quare si quae exterius apparuere laetitiae signa in Maria Antonia, haec bene componuntur cum eius proposito, quod ex illis non ostenditur mutatum.

Matris ergo considerata natura, atque eius agendi ratione, filiaeque inspecta conditione, haec in matrimonio contrahendo usa non fuit ea libertate, quae plena esse debebat, et talis non fuit ob timorem reverentialem qualificatum, qui ex dictis non solum gravis fuit, et directus ad matrimonium extorquendum, sed fuit etiam iniustus, quia inducta est ei nubere, quem aversabatur ; et in hoc consistit iniustitia metus. Nam in matrimonio contrahendo filii non habent dependentiam a parentibus iure divino et ecclesiastico, neque illorum voluntatem sequi coguntur;

ideo in casu ius Mariae Antoniae fuit vulneratum, et metus fuit iniustus. « Si autem matrimonium a nullius arbitrio pendere debet, et a qua- « cumque coactione immune esse debet, sequitur, iniustum esse et impedimentum constituere timorem, quem parentes in filios immittunt, ut « tale matrimonium contrahant » (Rota, dec. 493, n. 30, par. IV; dec. 242, n. 13; dec. 346, n. 7, par. XIV, Rec).

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et sententiamus, *constare de matrimonii nullitate in casu,* seu ad propositum dubium respondentes: *Affirmative.*

Quare mandamus Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam Sacrorum Canonum, praesertim cap. 3, sess. XXV, *de ref.,* Conc. Trid., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis esse iudicaverint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 2 iulii 191 S;

Petrus Rossetti, *Ponens.*
Raphaël Giumenti.
Maximus Massimi.

L. * S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 8 aprile 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* dei Sacri Riti, nella quale con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali, componenti la medesima, dai Ritti Prelati Officiali e dai Rmi Consultori Teologi, è stato discusso il dubbio su l'eroismo delle virtù esercitate dal Venerabile Servo di Dio Giovanni Nepomuceno Neumann, Vescovo di Filadelfia, della Congregazione del Santissimo Redentore.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare :

31 marzo 1919. Mons. Francesco Parrillo, *Prelato Uditore della S.R. Rota.*

3 aprile » Il Rev. sac. D. Giovanni Trione, della Congregazione Salesiana del Ven. Giovanni Bosco, *Consultore della S. Congregazione dei Sacramenti.*

8 » » L'Emo signor Cardinale Aidano Gasquet, *Presidente Onorario della Pia Società di S. Girolamo perla diffusione dei SS. Vangeli.*

9 » » L'Emo signor Cardinale Michele Lega, *Protettore della Venerabile Confraternita delle Stimmate di S. Francesco, in Firenze.*

» » » Il Rev. sac. D. Enrico Quattrocolo, *Difensore del Vincolo presso il Tribunale della Sacra Bomana Rota.*

» » » Il Rev. sac. D. Giuseppe Malusardi, *Minutante della Sacra Congreg, degli Affari Ecclesiastici Straordinari.*

XO » » L'Emo signor Cardinale Giovanni Cagherò, *Membro della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari.*

» » » Mons. Gastone La Perrine d'Hautpoul, vescovo titolare di Caristo, *Consultore della S. C. Concistoriale.*

19 aprile 1919. L' Emo signor Cardinale Oreste Giorgi, ***Membro della Sacra Congregazione di Propaganda Fide.***
15 » » L'Emo signor Cardinale Gaetano Bisleti, ***Protettore della Primaria Associazione della Santissima Croce, eretta nella Basilica Sessoriana.***
16 » » L' Eöio signor Cardinale Ottavio Cagiano de Azevedo, ***Protettore dell'Istituto delle Adoratrici Perpetue del Ssmo Sacramento.***
17 » » L'Emo signor Cardinale Donato Sbarretti, ***Protettore della Pontificia Accademia Teologica.***
19 » » L'Emo signor Cardinale Michele Lega, ***Protettore della Società Antischiavista Italiana.***
22 » » L'Emo signor Cardinale Oreste Giorgi, ***Protettore dell'Istituto delle Oblate Filippine in Boma.***

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistenti al Soglio Pontificio :

8 aprile 1919. Mons. Paolo Bruchesi, arcivescovo di Montréal nel Canada.
» » » Mons. Paolo Stanislao La Rocque, vescovo di Sherbrooke.

Protonotari apostolici ad instar participantium:

2 aprile 1919. Mons. Francesco Nardi, della diocesi di Conversano.
11 » » Mons. Edoardo Chichy, della diocesi di Saint-Dié.

Prelati Domestici di S. S.:

6 agosto 1918. Mons. Dionisio O'Connor, della diocesi di London.
26 ottobre » Mons. Giacomo Alfonso Griffin, della diocesi di Sioux City.
7 *marzo 1919.* Mons. Pio Berti, dell'archidioeesi di Firenze.
27 » » Mons. Giorgio Waring, cancelliere del Vescovo castrense negli Stati Uniti.
3 aprile » Mons. Luigi Apollon Morel, della diocesi di Nancy.
4 » » Mons. Pietro Giuseppe Amedeo Lefebvre, della diocesi di Sherbrooke.
» » » Mons. Alfonso Osia Gagnon, della medesima diocesi.
» » » Mons. Filemone Brastard, della medesima diocesi.
» » » Mons. Giuseppe Amedeo Dufresne, della medesima diocesi.
9 » » Mons. Giuseppe Bollón, dell'archidioeesi di Algeri.
12 » » Mons. Donato Frese, della diocesi di Caserta.
» » » Mons. Giuseppe Pepe-Maturi, della medesima diocesi.
13 » » Mons. Timoteo Gibiliseo, della diocesi di Piazza Armerina.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze :

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile :

23 marzo 1919. Al sig. Luigi de Nadal Artòs, della diocesi di Barcellona.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

15 aprile 1919. Al sig. Bartolomeo Castelli, della diocesi di Tortona.

H Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

6 agosto 1918. Al sig. Filippo I. Pocock, della diocesi di London.
12 febbraio 1919. Al sig. Fernando Georlette, console generale del Brasile ad Anversa.
23 marzo » Al sig. Pietro Girardon, della diocesi di Valence.
30 » » Al sig. Guglielmo Giorgio Federico de Bruyn.
4 aprile » Al sig. Giovanni Patrizio Tye, della diocesi di Brentwood.
» » » Al sig. Arturo Gauss, già segretario della cancelleria della Legazione Austro-Ungarica a Monaco di Baviera.
9 » » Al sig. Pietro Scheffers, della diocesi di Bois-le-Duc.
12 » » Al sig. Benedetto Genna, della diocesi di Mazara del Vallo.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

1 aprile 1919. Al sig. Alberto Traband, capitano di fregata della marina francese.
» » » Al sig. Paolo Mass, capitano di corvetta della marina francese.
» » » Al sig. Antonio Edde, commissario di seconda classe della marina francese.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

8 ***aprile 1919.*** Al sig. Carlo Tornassi, di Roma.
10 » » Al sig. ing. arch. Giuseppe Mariani, di Roma.

MAGGIOROOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. **E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre** si **è degnato di nominare:**

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

26 agosto 1918. **Mons. Vincenzo Schweitz, della diocesi di Rottemburgo.**
17 febbraio 1919. **Mons. Antonio Tabanelli, della diocesi di Modigliana.**
» » » **Mons. Antonio Mengolini, della medesima diocesi.**
18 marzo » **Mons. Lorenzo Monaco, dell'archidioeesi di Brindisi.**
1 aprile » **Mons. Giuseppe Naddeo, della diocesi di Potenza e Marsico.**

Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario di S.S.:

28 giugno 1918. **Il sig. Nicola Federico Brady, dell'archidioeesi di** New **York.**

Camerieri d'onore m abito paonazzo di S. S. :

26 agosto 1918. **Mons. Francesco Saverio Reck, della dioc. di Rottemburgo.**
» » » **Mons. Corrado Kümmel, della medesima diocesi.**
» » » **Möns. Michele Munz, della medesima diocesi.**
» » » **Mons. Carlo Moehler, della medesima diocesi.**
» » » **Mons. Stefano Magg, della medesima diocesi.**
17 marzo 1919. **Mons. Salvatore Fiore, della diocesi di Nicosia.**
28 » » **Mons. Amedeo Carrillo Archidona, della diocesi di Madrid.**
29 marzo » **Mons. Francesco** Annibale **Ferretti, di Roma.**

Cameriere d'onore **extra urbem** *di S. S.:*

26 agosto 1918. **Mons. Giuseppe Müller, della diocesi di Rottemburgo.**

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S. S.:

2ì marzo 1919. **Il sig. Emilio Edmondo Egberto Sassen, della diocesi di Ruremonda.**

NECROLOGIO

24 marzo 1919. **Mons. Alessandro Parvi, vescovo di Scepusio (Ungheria)**

Annus ÏI - Vol. *XL* 2 Iunii 1910 Num. *t*

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTAEIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

EPISTOLA ENCYCLICA

AD V. E. FELICEM S. R. E. CARD. HARTMANN, ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM, CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS GERMANIAE, DE SANCTO BONIFACIO, GERMANIAE APOSTOLO, AC DE EIUS PERFECTA CONSTANTIQUE CUM APOSTOLICA SEDE CONIUNCTIONE, DUODECIMO EXEUNTE SAECULO AB INCHOATA GLORIOSI EIUSDEM MARTYRIS APUD GERMANIAE POPULOS APOSTOLICA LEGATIONE.

BENEDICTUS PP. XV

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In hac tanta aerumnarum atque angustiarum mole, quae ultra modum acerbissimi» hisce temporibus Nos undique premunt, - « praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea <(quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum », ut apostolicis verbis utamur, [1] maiore nuper sollicitudine gravioribusque curis prosecuti sumus, dilecte Fili Noster et venerabiles Fratres, repentinos illos casus ac turbulentissimos rerum publicarum motus, qui apud vestros finitimosque populos acciderunt, quique adhuc suspensos tenent animos expectatione futuri.

Verum inter haec ipsa tenebricosa tempora et communium rerum perturbationes, e regionibus iisdem vestris, lucis veluti radius quidam affulget, spei bonae laetitiaeque nuncius, iucunda

[1] **II, *Cor.*, xi, 28.**

scilicet recordatio primum partae duodecim abhinc saeculis Germaniae populis christianae salutis, misso ad eosdem Bonifacio, Romani Pontificis auctoritate Evangelii praecone, ac Sedis Apostolicae legato: de qua quidem re, mutui solatii ac paternae gratulationis causa, in praesenti vobiscum colloqui iuvat.

Hanc enim spem laetitiamque Nostram dum plane ex animo communicamus vobiscum testem amoris in vos Nostri in vestramque gentem universam paternae benevolentiae, simul antiquam illam germanici populi cum hac Apostolica Sede coniunctionem partim iucundissime commemoramus, partim vehementissime desideramus ; quae prima apud vos fidei initia posuit ac laetissima incrementa dedit, post commissam tanto viro a Sede Apostolica romanam legationem, singulari deinde rerum gestarum gloria nobilitatalo, atque ipso demum sanguine martyris confirmatam.

Expleto autem ab iisdem beatissimis catholicae religionis initiis duodecimo" saeculo, cernimus iure apparari apud vos, quantum fert temporis conditio, saecularia solemnia, quae novum illud christianae humanitatis aevum, Bonifacii legatione ac praedicatione inchoatum eiusdemque alumnorum ac successorum ope propagatum, unde Germaniae salus ac prosperitas omnis exordium duxit, grata memoria revocent ac dignis laudibus celebrent.

Neque enim praeteritarum tantum rerum lae t am recordationem ac faustam celebrationem scimus vos spectare, dilecte Fili Noster et venerabiles Fratres, sed praesentium veluti quamdam perfectionem atque etiam affuturae unitatis ac pacis religiosae optatissimam instaurationem. Nam haec bona sunt maxima, ab una christiana fide et charitate profecta, quae Christus Deus ac Dominus Noster e coelo delata, Ecclesiae suae ac suo in terris Vicario, Romano Pontifici, retinenda, propaganda ac vindicanda commisit. Hinc illa necessaria cum hac Apostolica Sede coniunctio, cuius/Bonifacius vester perfectissimus praeco extitit atque exemplar : hinc item potior quaedam et mutua amoris officiorumque consensio Romanam Sedem inter ac vestram gen-

tem, ab eodem Bonifacio tum primum Christo et Christi in terris Vicario mirifice de vinctam.

Quam quidem unitatem et consensionem summam commémorantes, eandem votis omnibus cupimus revocari apud omnes, ut sit « omnia et in omnibus Christus ».[1]

Vix enim recoli sine iucundissimo quodam animi sensu ea nunc possunt, tanto saeculorum intervallo, quae candida narratione scriptores aetatis illius antiquissimi, in primisque Bonifacii fere aequalis Willibaldus episcopus, cum de ceteris sanctissimi viri virtutibus ac rebus gestis, tum vero potissimum de eiusdem legationis Romanae apud Germaniae populos initiis atque incrementis felicissimis tradiderunt.

Diuturno siquidem vitae religiosae tirocinio instructus, quod puer innocentissimus inierat in patria, atque aliquod etiam periculum apostolicae vitae inter barbaras gentes veluti exploratoris in modum expertus, id Bonifacius intellexit et certum apud se statuit nullum posse colligi magnum stabilemque fructum, nisi consensio et approbatio, atque adeo propria missio seu mandatum Apostolicae Sedis accederet.

Quapropter et honorificentissima abbatis dignitate depulsa, et sodalium religiosorum adversis conatibus lacrimisque superatis, valedicens fratribus, et profectus per longa terrarum spatia perque ignotas maris vias, limina B. Petri apostoli prospere aggressus est, ibique venerabilem Sedis Apostolicae Papam beatae memoriae Gregorium secundum affatus, « omnem sibi per ordinem itineris sui atque adventus occasionem manifestavit, et quali anxius desiderio diutius desudasset aperuit ». Tum vero hominem sanctum « sanctus Papa hilari vultu arridentibusque ((oculis » excepit, nec modo semel est allocutus, sed « sedulum « deinceps cum eo habebat quotidianae disputationis collo- « quium »,[2] ac tandem amplissimis verbis et scriptis etiam litteris, eidem in cunctis Germaniae populis curam Evangelii praedicandi commisit.

[1] ***Coloss.*, III, U.**

[2] ***Vita S. Bonifacii* auctore WILLIBALDO, C. V, 13-14.**

His vero litteris [1] Pontifex multo luculentius etiam quam scriptores illius aetatis-qui mandatum « Apostolicae Sedis », sive « apostolici Pontificis » commemorant, quo spectaret idem et quam late pateret, explicat atque commendat.

Nam tanta eum alloquitur gravitate verborum et pondere auctoritatis ut vix maiore quis possit : « exigit - inquit - manif e- « stata nobis religiosi propositi tui pie in Christo flagrantia in- « tentio et approbata sincerissimae fidei tuae periata relatio ut « ad dispensationem verbi divini, cuius per gratiam Dei curam « gerimus, te .comministro utamur ». Demum dilaudata doctrina, indole, proposito, atque suprema Sedis Apostolicae auctoritate interposita, quam Bonifacius ipse invocaverat, hoc solemni veluti praecepto concludit: « Ideo in nomine indivisibilis Trinitatis, ((per inconcussam auctoritatem beati Petri apostolorum prin- ce cipis, cuius doctrinae magisteriis dispensatione fungimur et lo- ci cum sacrae Sedis administramus, modestiam tuae religionis <(instituimus atque praecipimus, ut in verbo gratiae Dei ... ad ((gentes quascumque infidelitatis errore detentas properare Deo « comitante potueris, ministerium regni Dei per insinuationem « nominis Christi Domini Dei nostri veritatis suasione designes » ; admonens tandem, ut et disciplinam sacramenti initiandorum « ex formula officiorum sanctae Apostolicae Sedis » teneat et quod actioni susceptae sibi deesse perspexerit, Pontifici Romano significet.

Iam ex iisdem amplissimis litteris quis/non intelligat quantam pie fovent sanctus Pontifex in Bonifacium ipsum voluntatem atque amoris venerationem, quantam in omnes Germaniae populos sollicitudinem curamque paternam, quibus tam sanctum, tamque sibi dilectum Evangelii praeconem destinaverit ?

Atque huius quidem conscientia mandati, cum charitate Christi coniuncta, continuo urgebat apostolicum virum, solabatur afiiictum, iacentem erigebat, suisque viribus diffisum legationis sacrae confidentia roborabat. Quod statim apparuit cum primo adventu in Boioariam Thuringiamque, ut narrantem se-

[1] **Ep. *Exigit manifestata,* inter Bonif ep. XII (al. II).**

quamur eiusdem aetatis scriptorem, « iuxta insitum sibi mandaci tum apostolici pontificis, senatores denique plebis, totius poce puli principes verbis spiritualibus affatus est eosque ad veram « agnitionis viam et intelligentiae lucem provocavit ».[1]

Haec eadem conscientia delatae sibi legationis ab otio deterrens, a quietis etiam vitae rationibus, quibus in uno moratus loco tamquam in portu conquiesceret, perpetuo abstraxit; ad asperrima quaeque atque humillima aggredienda, in Dei gloriam et animarum salutem sive comparandam sive augendam unice intentum, permovit.

Qua vero devotione ac pietate e nutu pendebat Sedis Apostolicae, cui legationem illam suam referebat acceptam, eadem Romam litteras submittebat ac nuntios, ut cum primum legationis curriculo inito, « Patri venerabili Apostolicae Sedis ponti- « fiei universa quae circa illum Domino donante f acta sunt... per « ordinem revelavit », ac « de rebus quae ad quotidianam Eccle- « siae Dei necessitatem populique proventum pertinebant, plura « ob consilium Sedis Apostolicae interrogando conscripsit ».[2]

Atque id quidem praestabat Bonifacius singulari quodam ac proprio pietatis sensu, quem ipse senex candide aperiebat Zachariae Pontifici rescribens : <c Postquam me ante annos prope « triginta sub familiaritate et servitio Apostolicae Sedis, an- « nuente et iubente venerandae memoriae antistite apostolico « Gregorio anteriore, voto constrinxi, quidquid mihi laetitiae vel « tristitiae acciderat, apostolico pontifici solebant indicare, ut in « laetis simul laudaremus Deum et in tristibus eius consilio ro- « borarer ».[3]

His gemina documenta passim occurrunt quae inter strenuum hunc Evangelii praeconem atque Apostolicam Sedem et nunquam intermissum litterarum commercium et mirificam voluntatum consensionem demonstrant, quatuor continenter Pontificum gloriosae memoriae fausto regimine continuatam.

[1] ***Vita S. Bonifacii,* cap. VI, 16.**
[2] **Ibid., VII, 19.**
[3] ***Ep. LIX* (al. LVII).**

Nam et ipsi Romani Pontifices nullum praetermittebant locum curamve legati solertissimi adiuvandi fovendique sui, et rursus Bonifacius nihil prorsus negligebat, nihil unquam studii officiique remi ttebat, quin tan torum Pontificum, quos parentum loco venerabatur ac diligebat, legatione sanctissime fungeretur, atque etiam abunde superaret. '

Gregorius igitur Pontifex probe intelligens' quam late pateret evangelicus campus a se Bonifacio demandatas, quamque laeta messis albesceret, maxima quidem multitudine plebis ad consortium sanctae Ecclesiae per ipsum adscita, summum eidem Sacerdotii gradum communicandum atque episcopalem totius Germaniae provinciam imponendam decrevit. Cui vicissim Bonifacius, qui prius Willibrordo amicissimo suo restiterat, « quia « contradicere huic tanto pontifici Apostolicae Sedi praelato non «auderet, consensit etiam et obedivit ». Hunc autem honorem amplissimum ex parte sua Romanus Pontifex altero cumulavit, sive honore sive beneficio penitus singulari atque Germanorum posteritati commendando, cum familiaritatem Sedis Apostolicae tam Bonifacio quam omnibus eidem subiectis ex hoc in futurum condonavit.[1] Quam videlicet familiaritatem Gregorius ipse multis ante argumentis indiciisque demonstraverat, ut litteris scri ptis compluribus, ad reges et principes, ad episcopos, abbates clerumque universum; ad populos ipsos, quamquam vel barbaros, vel recens ad fidem revocatos, omnibus illud idem edicens ut magno illi « Dei famulo ad illuminationem gentium ab hac « apostolica atque catholica Dei Ecclesia destinato assensum vel « concursum » praeberent.[2]

Eandem iterum Bonifacii Sedisque Apostolicae familiaritatem et amicitiae communionem confirmavit Gregorius III in pontificatu successor, cum Bonifacius electo nuntios misisset; qui quidem « prioris amicitiae foedera, quae misericorditer ab « antecessore suo sancto Bonifacio eiusque familiae collata sunt ((manifestaverunt », itemque « devotam eius in futurum humi-

[1] *Vita S. Bonifacii,* **e. VII, 21.**

[2] **Ep. *Sollicitudinem nimiam* inter ßonif. ep. XVII (al. VI).**

(c litatis Apostolicae Sedi subiectionem narraverunt » ac tandem « ut f amiliaritati ac communioni sancti Pontificis atque totius ((Sedis Apostolicae ex hoc devote subiectus communicaret, « quemadmodum edocti erant » precati sunt.[1] Hos vero nuntios Pontifex et benignissime excepit et Bonifacio novis delatis honoribus, ipsoque « archiepiscopatus pallio, cum muneribus diver« sisque sanctorum reliquiis honorifice remisit ad patriam ». Quibus amoris significationibus vix dici potest quam « gratulabun« dus, Apostolicae Sedis nimium conf ortatus devotionis suffragio, « opeque divinae misericordiae inspiratum »[2] Vjir ille apostolicus ad maxima quaeque ac difficillima aggredienda vires animumque reciperet; nova exaedificare templa, hospitia, monasteria, castella, novas percursare regiones Evangelium promulgando, novas riteque circumscriptas dioeceses constituere aut constitutas reformare, in iisve radicitus vitia, schismata erroresque convellere, tum serere ubique genuina fidei vitaeque christianae germina, recta dogmata ac virtutes; tum etiam, auditoribus usus quampluribus a se institutis alumnis pietatis, popularibus quoque suis bene multis, ex Anglia accitis, gentes barbaras saepe et immanitate efferatas ad humanum civilemque cultum informare.

Ac tamen inter tot ac tanta incoepta, tam multis licet rebus praeclare ac sanctissime gestis nobilitatus, cum assiduis simul insectationibus, adversitatibus, angoribus etiam animi conflictaretur, aetate praeterea iam a diuturnis laboribus devexa ad quietem, nec se intolerantius iactahat nec ullum dabat quieti locum, sed iussa semper Pontificis opemque respiciebat. Quare « tertio « propter familiarem sancti apostolici Pontificis totiusque clerici catus communionem, discipulorum comitante coetu, Romam ((venit ut apostolici videlicet Patris salubri f meretur colloquio, « et sanctorum se, iam aetate provectus, orationibus commence daret ».[3] Tum vero etiam tertio benigne est a Domino aposto-

[1] *Vita S. Bonifacii,* **c. VIII,"25.**

[2] **Ibid., c. VIII, 25 sq.**

[3] **Ibid., c. IX£27Jsq.**

Meo susceptus, ac denuo « cum muneribus et reliquiis Sanctorum « honorifice ditatus », commendatitiis item epistolis cumulatus amplissimis, ut ex earum ipsis exemplis apparet ad nos usque perlatis.

Utrique autem Gregorio, cum Romani Pontificatus, tum potioris in Germanos eorumque Apostolum sollicitudinis haeres Zacharias successit, qui veterem coniunctionem non modo renovavit sed mirifice auxit, confidentius etiam utens fortasse cum Bonifacio ac benevolentia; et vicissim cum Zacharia Bonifacius, nuntiis compluribus atque epistolis familiarissimis ultro citroque missis. Hisce siquidem; inter alia quae commemorare longum est, suavissimis verbis legatum alloquitur suum Romanus Pontifex: « Cognoscat, frater diarissime, tua sancta f race ternitas, ita dilectionem tuam habere in nostris praecordiis, ut « te praesentialiter quotidie videre desideremus et ita te in noce stro consortio habeamus ut certe ministrum Dei et dispensatoci rem Ecclesiarum Christi ».[1]

Iure igitur meritoque, rescribens Germaniae Apostolus extremis vitae suae annis Stephano Pontifici, Zachariae successori, hoc unum « discipulus Romanae Ecclesiae intimis ac visceracc tis obnixe flagitat precibus, ut familiaritatem et unitatem Secc dis Apostolicae ab almitatis suae clementia impetrare et habere ce mereatur ».[2]

*Hac firmissima permotus fide, hac pietate et charitate inflammatus Bonifacius quam Sedi Apostolicae fidelitatem coniunctionemque singularem ex umbratili vitae monasticae palaestra primum hausisse videtur in patria, quam deinde, in apertum certamen vitae apostolicae progressurus, Romae, super corpus ipsius B. Petri Apostolorum Principis, sacro interposito iureiurando promiserat, quam denique veluti sui apostolatus formam ac susceptae legationis regulam, in medium discrimen aciemque produxerat, eamdem et constantissime retinuit, et ceteris etiam

[1] **Ep. *Susceptis,* inter Bonif. ep: LI (al. L).**

[2] ***Ep. LXKVIII.***

omnibus, quos per Evangelium genuisset, vehementer commendare nunquam destitit, atque tanta sedulitate inculcare ut illam veluti testamenti loco reliquisse videretur.

Ita enim senex laboribusque confectus, quamquam de se humillime praedicabat : « ultimus et pessimus sum omnium le-ce gatorum, quos catholica et apostolica Romana Ecclesia ad prae-« dicandum Evangelium destinavit », [1] Romanam tamen illam legationem suam prae se ferebat, eaque unice glorians in Domino, ipse se « legatum Germanicum sanctae catholicae aposto-« licae romanae Ecclesiae » appellare gaudebat, professus devotum servum Romanorum Pontificum pro auctoritate sancti Petri et subditum discipulum atque obedientem esse velle.

Tam alte insederà t eius animo ac penitus haerebat quod Cyprianus martyr, antiquissimae traditionis Ecclesiae testis, firmissime adserebat : « Deus unus est, et Christus unus et una Eccle-« sia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata »; [2] quod item Ambrosius, magnus ille Ecclesiae Doctor, praedicabat : « ubi Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed « vita aeterna », [3] quodque denique Hieronymus sapientissime docebat: « Ecclesiae salus in summi Sacerdotis dignitate pen-ce det, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur « potestas, tot in ecclesiis eificientur schismata quot sacer-« dotes ».[4]

Quod utique tristissima quoque veterum discordiarum historia testatur, eorumque omnium, quae redundarunt ex illo fonte, maiorum experientia confirmat; quae tamen commemorare, tot aliis calamitatibus cruentisque caedibus oppresses, minime iuvat in praesenti, sed communibus potius lacrimis atque, si fieri posset, aeterna oblivione delere.

Praestat igitur veteris potius unitatis memoriam revocare coniunctionisque necessitudinem celebrare quae inter principem

[1] *Ep. LXVII* (al. XXII).
[2] CAECILII CYPRIANI *Ep. XLIII,* 5.
[3] *Enarr. in Ps. XL,* n. 30.
[4] *Contra Lucif.,* 9.

Germanorum Apostolum Bonifacium universamque Germaniae gentem atque hanc Apostolicam Sedem intercessit; e cuius legatione omnis est apud Germanos profecta religio et prosperitas ipsa humani civilisque convictus.

De qua quidem plura proferri possunt, ut optime nostis, dilecte Pili Noster et venerabiles Fratres, perutili sane recordatione commemoranda. At satis multa iam protulimus, et nimis fortasse multa, dum res agitur in promptu et sane planior quam ut prolixa oratione multisque argumentis indigeat. Quod si haec fusius, quam necessitas postulabat, commemoravimus, id propterea placuit, ut vobiscum memoria vetera repetentes nonnihil solatii ad praesentia aequiore animo perferendi perciperemus, in spem erecti afhiturae quam primum huius redintegrationis unitatis, coniunctionisque Ecclesiae *in multitudine pacis atque in vinculis charitatis.*

In iis enim immorari iucundum eoque iucundius, quod Bonifacii decessoris vestri exempla virtutesque singulares, in primisque illam amicitiae coniunctionisque necessitudinem quam hisce litteris celebrandam suscepimus, in vestris conspicimus atque admiramur vitae rationibus repraesentatam Nobis et quodammodo expressam. Vivit enimvero apud vos et gloriosissime vivit vester Germaniae Apostolus ; vivit, ut ipse se appellabat, <(Legatus Germanicus catholicae Romanae Ecclesiae », eandem suam illam Romanam legationem veluti sustinens adhuc precibus, exemplis, rerumque gestarum memoria, quibus profecto « defunctus adhuc loquitur». At vero ita loquens, populos quondam suos ad unitatem potissimum Ecclesiae Romanae invitare atque adhortari ille videtur, fidus interpres ac praeco Magistri et Servatoris nostri Iesu, qui hoc potissimum precamur et commendat suis « ut unum sint ».

Invitat ille quidem coniunctiores Ecclesiae alumnos ut arctius amantiusque adhaerescant; invitat ceteros, ab unitate abscissos, ut ad eiusdem sinum Ecclesiae Matris pie se fidenterque recipiant, veteribus sepositis odiis, simultatibus, praeiudicatis opinionibus; omnes denique christifideles sive recens adscitos,

sive iam pridem cooptatos, ut in eiusdem consensione fidei et coniunctione voluntatum perseverent; ex qua tandem divina floreat Charitas atque ipsa etiam civilis hominum societatis concordia.

Quis autem non hanc Patris invitationem adhortationemque exaudiat? Quis paternam doctrinam, exempla, Vocem denique ipsam despiciat? Nam ut scriptoris item antiqui, popularis vestri, candidissima vfèrba usurpemus in primis opportuna, cum Romanae Bonifacii legationis apud vos centenaria memoria recolitur, « si iuxta Apostolum patres carnis nostrae habuimus eru- <(ditores et reverebamür, nonne multo magis obtemperabimus ((patri spirituum ? Pater namque spiritualis non solum Deus orn- **ee** nipotens dicitur, sed etiam omnes, quorum doctrina et exempla « ad agnitionem veritatis instruimur, ad stabilitatem religionis « incitamur. Sicut et Abraham ob fidei obedientiaeque suae me- « ritum, cunctis imitandum, pater omnium dictus est in Christo « credentium, haud aliter sanctus praesul Bonifacius omnium ((Germaniae incolarum pater dici potest pro eo, quod illos verbo « praedicationis primitus Christo genuit, exemplis confirmavit, « postremo animam quoque suam pro ipsis posuit, qua charitate « nemo maiorem valet exhibere ».[1]

Illud tamen adiungimus, dilecte Fili Noster et venerabiles Fratres, - quamquam id vestrum scimus latere neminem, - miram hanc Bonifacii charitatem, non unius Germaniae finibus circumscriptam, populos omnino omnes, inter se inimicissimos licet, esse complexam ; quemadmodum et potiore quidem amore, iuxta ordinem virtutis, complexus est Germaniae apostolus finitimam Francorum gentem, cuius aeque reformatur extitit prudentissime ; ac « de stirpe et prosapia Anglorum procreatos » populares suos, quibus praecipue « eiusdem generis vernaculus, universa- « lis Ecclesiae legatus et servus Sedis Apostolicae », fidei catholicae, eisdem a S. Gregorii Magni Pontificis legatis Romanis illatae, propagationem, apud Saxonum quoque populos ex eodem

[1] *Vita S. Bonifacii* **auctore OTHLONO monacho, lib. 1, cap. ult.**

ortos genere obtinendam, ac denique « unitatem et communionem dilectionis » custodiendam amantissime commendavit.[1]

Quoniam vere charitas - ut eiusdem verba scriptoris, quem supra laudavimus, iterum Nostra faciamus - est « bonorum « omnium origo ac finis, Nos etiam in hac terminum ponamus »,[2] dilecte Fili Noster et venerabiles Fratres. Id igitur votis omnibus comprecamur ut in hac perturbata hominum societate, Omnipotentis Dei Ecclesiaeque suae instauratis iuribus, legibus, cultu ac memoria denique ipsa revocata, charitas christiana revirescat, quae cum bellis odiisque furentibus tum dissidiis, schismatis atque erroribus serpentibus undique finem imponens, populos inter se foedere devinciat arctiore quam fluxis hominum pactis, unitate fidei potissimum et veteris coniunctionis consuetudine, seu necessitudine potius, cum hac Apostolica Sede, quam Christus Dominus noster veluti quoddam familiae in terris suae fundamentum constitutam voluit, et virtutibus, sapientia, laboribus tot Sanctorum atque ipso denique Martyrum, ut Bonifacii vestri, sanguine consecratam.

Hac autem consensione fidei et voluntatum coniunctione ubique terrarum instaurata, illud Nos etiam usurpare iure quodam Nostro videbimur, de plebe christiana universa, quod Romani conscientia primatus ac sacra Apostolicae Sedis auctoritate permotus, iam inde a primo saeculo christiano peculiariter conscribebat Clemens Papa Corinthiis : « Gaudium et laetitiam « nobis praestabitis, si oboedientes facti iis quae scripsimus per «Spiritum Sanctum resecetis illegitimum zeli vestri studium « secundum exhortationem quam de pace ac concordia fecimus «in hac epistola ».[3]

Atque utinam hoc nobis omnibus Bonifacius Apostolus ac Martyr impetret, ac populis praesertim, potiori iure, sive origine sive electione suis : illud utique idem e beatorum sedibus perficiens quod ipso fatente efficere nunquam cessavit in terris:

[1] BONIF. *Ep. XXXIX* **(al. XXXVI).**
[2] **ibid.**
[3] S. CLEM, ROM., *Ep. I ad Corinthios,* **LXII1.**

« quantoscunque audientes vel discipulos in ista legatione mihi « Deus donaverit, ad oboedientiam Apostolicae Sedis invitare et « inclinare non cesso ».[1]

Huius interea auspicem spei laetissimique fructus vestrorum solemnium, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus, simulque ad augendam solemnitatem S. Bonifacii haec de sacro Ecclesiae thesauro perlibenter concedimus :

I. Quovis die proximorum mensium Iunii et Iulii, exceptis diebus Pentecostes, Corporis Christi et SS. Apostolorum Petri et Pauli, in omnibus Germaniae Ecclesiis et Oratoriis publicis vel semipublicis, ubi solemnia saecularia agentur, cuilibet sacerdoti utriusque cleri Missam de Sancto, tum in triduana supplicatione tum in ipso fausto die celebrare liceat.

II. Quo die festum agetur, Antistes loci vel per se vel per alium ab ipso deputandum Papalem Benedictionem impertiri queat.

III. Quicumque Germaniae Ecclesias ubi saeculare festum celebrabitur, eo ipso die inviserint, Indulgentiam Plenariam *toties quoties* ad modum Portiunculae lucrari possint.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xiv mensis Maii, anno **MCMXIX**, Pontificatus Nostri quinto.

BENEDICTUS PP. XV

[1] *Ep. L.* **(al. XLIX).**

CONSTITUTIO APOSTOLICA

ERECTIO NOVAE DIOECESIS GRAECI RITUS « LUNGRENSIS » NUNCUPATAE

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Catholici fideles graeci ritus, incolae Epiri et Albaniae, a Turcica dominatione turmatim fugientes, in propinquam Italiam demigrarunt, ibique peramanter libenterque excepti, in Calabriae et Trinacriae regionibus domicilium constituerunt, retentis, ut par erat, graecae gentis moribus atque institutis, praesertim suae Ecclesiae ritibus, necnon ceteris omnibus tum legibus, tum consuetudinibus, quas, a maioribus traditas, longo saeculorum tractu accurate diligenterque se/vaverant. Haec vero Albanensium profugorum vivendi ratio ultro eis pontificia auctoritate permissa est, ita ut patriam, praeter caelum, in Italico solo adepti fuisse sibi viderentur. Initio, prout usuvenit, utrique res e sententia evenerunt. Cum autem temporis progressu tepesceret eorum caritas, qui hospites exceperant, non leves molestique persaepe oborti sunt conflictus, unde fidelium, unius eiusdemque Ecclesiae dogmata profitentium, tranquillitas miserrime perturbari coepit. Quarum quidem contentionum origo, si minoris momenti causae seponantur, inde repetenda quod ordinariae iurisdictioni Praesulum Latinorum subiicerentur regiminis disciplinaeque gratia, fideles graeci ritus in illorum dioecesibus commorantes. Etenim isti Praesules, qui liturgiam,^ disciplinam-, consuetudines, leges, mores Ecclesiae orthodoxae unitae vel ignorabant, vel non probe noverant, interdum ea statuerunt pro regimine subditorum fidelium graeci ritus, quae suis iuribus ac praerogativis, iidem adversari censentes, obedire mandatis pertinaciter detrectabant.

Accessit autem permolestum aliud incommodum ex Parochorum utriusque ritus acerbo inter sese dissidio, praesertim quoad iura alterutri competentia, sacramentorum administrationis ergo. Hinc ecclesiastica concordia scissa cum maximo fidelium scandalo ac mutuae benevolentiae detrimento.

Hisce aliisque plurimis id genus incommodis atque malis, quae iamdudum irrepserant in dioecesibus tum calabris, tum siculis, ubi mixti cum latinis degebant fideles graeci ritus, fel. rec. Benedictus Papa decimus quartus, Praedecessor Noster, provide vehementerque occurrere cupiens,

Apostolicam Constitutionem *Etsi pastoralis* edidit sub datum septimo kalendas iunii anni Domini millesimi septingentesimi quadragesimi secundi, in qua, postquam praemonuit, id velle assequi, ut quaecumque in bonum fidelium graeci ritus a Sancta Sede Apostolica iampridem clementer indulta fuissent, iterum confirmata in posterum cautius custodiantur, merito subdidit: « Quoniam vero ... pro diversis rerum ac tem-
« porum circumstantiis, plures ac diversae editae fuerunt a Romanis
« Pontificibus... et S. R. E. Patrum Cardinalium Congregationibus circa
« eosdem graecos et albanenses eorumque ritus consuetudines debitam-
« que Latinis Praesulibus, in quorum dioecesi degunt, subiectionem,
« apostolicas constitutiones, ordinationes, responsa, edicta et decreta:
« eamque ob causam tam de ritibus ipsorum graecorum et albanensium,
« quam de eorumdem sacerdotum potestate et latinorum etiam Praesu-
« lum atque Parochorum iurisdictione et auctoritate saepe obortae sunt
« et oboriri solent quaestiones et controversiae: Nos pro nostra pastoralis
« officii sollicitudine, quantum in Nobis est, hisce malis opportunum reme-
« dium adhibere, causasque omnium litium, iurgiorum, dissidiorum, con-
« tentionum, quaestionum et controversiarum amputare... cupientes », etc.

Quamobrem sapientissimus Pontifex praedictam promulgavit Constitutionem, quae tamen, propterea quod causae maiorum iam radices egerant, haud felicem sortita est exitum. Iurgia enim et controversiae, potissimum vero defectiones a legitimorum Praesulum potestate, cetera denique omnia incommoda et mala quae memoratus Benedictus Papa decimus quartus pastorali sollicitudine affectus per praelaudatas Litteras sese non difficili negotio amputaturum sibi spondebat, passim, rebus usquequaque in deterius prolapsis, altius erumpentia, continentibus fere duobus saeculis, cum summo caritatis christianae detrimento atque ipsius Fidei catholicae periculo, ubique earum regionum, quas incolebant fideles graeci ritus, percrebuere. Ad miserum huiusmodi statum redactae fidelium graeci ritus in Italia res perstabant usque ad hoc tempus, quin ullum perefficax iis instaurandis remedium fuisset adhibitum. Iamvero cum inde ab anno Domini millesimo nongentesimo decimo secundo datus successor non esset fel. rec. Ioanni Barda, episcopo titulari Croiensi cui, dum viveret, munus sacros ordines conferendi clericis graecis ex Calabria oriundis ac rectoris Collegii S. Adriani loci S. Demetrii Coronarum concreditum fuerat; Nos Sacrae Congregationi de Propaganda Fide pro negotiis rituum orientalium commisimus ut quidquid ad bonam rectamque administrationem ac reformationem fidelium graeci ritus conduceret, Nobis proponeretur. Eapropter venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales eidem Sacrae Congregationi praepo-

siti, in plenariis comitiis diei decimae nonae mensis novembris anni millesimi nongentesimi decimi septimi Nobis proponendum censuerunt consilium ut graeci omnes illius regionis Galabrae, quam numero plures incolunt latinis Praesulibus subiecti, ab ordinaria iurisdictione eorumdem Latinorum Antistitum subtracti, unam constituerent graeci ritus dioecesim.

Quod propositum consilium Nos denuo examinandum maturiusque discutiendum venerabilibus Fratribus Nostris pariter S. R. E. Cardinalibus novae Congregationi, a Nobis conditae, praepositis, videlicet pro Ecclesia Orientali, submitti mandavimus. Hi vero Cardinales, in comitiis generalibus diei undecimae mensis februarii nuper elapsi, unanimiter exequutioni dari posse, si Nobis placuerit, novae dioceseos erectionem graeci ritus in Calabriae regione, existimarunt.

Nos autem qui, inde a Nostri Pontificatus exordio maxima prosecuti dilectione Ecclesiam Orientalem, Nobiscum animo volvebamus quid boni accepti que praestandum foret, ut necessitatibus et debito honori universae eiusdem Ecclesiae aliarumque particularium firmius consuleretur, opportunitatem momenti intuiti, memoratam propositionem maxime commendavimus, ratamque habuimus quod mentis Nostrae deliberationi plene responderet.

Proinde Nos, de Apostolicae potestatis plenitudine, protinus dioecesim graeci ritus in regione Calabriae canonice instituendam decernimus. Cui quidem dioecesi, Lungrensi nuncupandae, perpetuo attribuimus et adsignamus sequentes paroecias cum omnibus fidelibus tum graeci ritus, tum latini, si qui sunt, eas incolentibus; idcirco easdem e dioecesibus latinis, ad quas modo pertinent, dividimus ac seiungimus. Quae paroeciae sunt nempe: ex archidioecesi Rossanensi, *S; Demetrio Corone, S. Giorgio Albanese, Vaccarizzo, Macchia;* ex dioecesi Bisinianensi, *S. Benedetto diano, S. Sofia d'Epiro;* ex dioecesi Cassanensi, *Acqua Formosa, Civita, Firmo, Frascineto, Lungro, Piataci, Porcile, S. Basile;* ex dioecesi Angionensi, *Castroregio, Farneta, S. Costantino Albanese, S. Paolo Albanese.*

Insuper ut non pauci fideles graeci ritus extra Calabriam, attamen in ipsa meridionali Italiae regione inhabitantes, beneficio pastoralis officii Episcopi eiusdem ritus in posterum gaudere quoque valeant, Nos supradictis locis in Lungrensem dioecesim cooptandis, fideles loci vulgo *Villa Badessa,* ex dioecesi Pinnensi, atque unius in civitate Liciensi paroeciae apostolica auctoritate coniungi mandamus.

Cum autem in loco *S. Cosmo,* ex archidioecesi Rossanensi, duae extent paroeciae, graeca nempe et latina, praetereaque in dicta civitate Liciensi plebs fidelium graeci ritus cum altera latini ritus mixta inco-

lat, decernimus ut ibidem iurisdictio Episcopi graeci ritus tantummodo « personalis», scilicet ut ipsa unice sese protendat ad fideles et parochum graeci ritus eorumdem locorum, manentibus fidelibus latinis sub ordinaria Archiepiscopi Rossanensis atque Episcopi Liciensis iurisdictione.

Huius autem dioeceseos graeci ritus sedem episcopalem in loco vulgo *Lungro* perpetuum in modum erigimus atque instituimus; ecclesiam vero S. Nicolai Myrensis, antea paroecialem, quae decora et satis opportuna asseritur, ad dignitatem et gradum Cathedralis perpetuo evehimus atque extollimus. Porro, quemadmodum anteactis temporibus statutum fuit, Antistitem electum pro gubernanda Lungrensi dioecesi, Nos Episcopum Ordinarium graeci ritus in Calabria constituimus, atque eidem munus et officium committimus Rectoris Collegii S. Adriani, cum necessariis opportunisque facultatibus. Proinde omnibus ad quos pertinet et spectare poterit, praecipimus ut supradictum Antistitem Lungrensem in huiusmodi munus et officium, de more et iuxta pacta conventa, recipiant atque admittant eidemque pareant, faveant atque praesto sint.

Cum autem exigua haec dioecesis non sinat proprium habere Seminarium ad rite instituendos ac erudiendos iuniores clericos, praecipimus ut pro adolescentibus, qui indicia ecclesiasticae praebeant vocationis, reserventur in perpetuum quinque loca tum in novensili Pontificio Seminario nuper a Nobis condito prope Monasterium S. Basilii graeci ritus Cryptoferratense, tum in Collegio Athanasiano de Urbe. Statuimus insuper ut dioecesis noviter erecta Sanctae Sedi immediate subiecta permaneat, proindeque Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali.

Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, ullo unquam tempore, infringere aut iis repugnare vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes "exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec autem mandata exsequenda deputamus venerabilem fratrem Nostrum Horatium Mazzella, archiepiscopum Tarentinum, cum omnibus facultatibus necessariis atque opportunis ad effectum de quo agitur, cum facultate etiam subdelegandi quemcumque ecclesiastica dignitate praeditum, commisso quoque munere ea omnia disponendi, quae ad rectam administrationem novae dioeceseos conferant, collatis quidem consiliis cum neo-electo Episcopo Graeco et Reverendissimis Ordinariis latinis, nempe Rossanensi, Bisinianensi, Cassanensi, Pinnensi, Liciensi et Anglonensi, ea tamen lege ut, intra sex menses a die harum Litterarum promulgationis, normas ab ipso statutas Sacrae Congregationi

pro Ecclesia Orientali subiiciat ad definitivam earumdem obtinendam adprobationem, atque exemplar authenticum peractae exsecutionis eidem transmittere sedulo curet.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo decimo nono, die decima tertia mensis februarii, Pontificatus Nostri anno quinto.

O. CARD. CAGIANO
S. B. E. Cancellarius.

N. CARD. MARINI
S. C. pro Ecclesia Orientali a secretis.

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*
Ludovicus Schuller, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi.

Beg. in Cane. Ap., vol. XVIII, n. 27.

LITTERAE APOSTOLICAE

I •

ECCLESIA ROTHOMAGENSIS B. M. VIRGINIS A BONO SUCCURSU TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS DECORATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Illustriores inter sacras Aedes, quae tum praestantibus artis operibus Galliae regiones illustrant, tum Francorum religionis alacre studium miramque munificentiam late praedicant, merito recensetur parochialis ecclesia quae Deo in honorem B. Mariae Virginis a Bono Succursu dicata conspicitur Rothomagi. Iam inde a saeculo undecimo vetustissimum ipsius Deiparae Infantem Iesum ulnis gestantis simulacrum in sacello eidem dedicato colebatur, et constans traditio refert, ante idem saeculum, Normannos fideles Beatissimam Virginem a Bono Succursu ibidem in veneratione habuisse. Hoc sacellum, saeculo decimoquarto obnoxium militum Caroli Temerarii incursibus, collata stipe instauratum, insequenti saeculo in ten^plum conversum est, quod haeretici Calviniani per nefas depopulati sunt. Transacta rerum omnium Galliae immani perturbatione, Mariale illud templum, vetustate fatiscens, omnino deletum est; superiore tamen saeculo, ab imis fundamentis de integro excitatum, erga Deiparam bene adiutricem pietatis Gallorum et praesertim Normanniae civium dignissimum exstat monumentum. Sacra haec Aedes, gothico stylo erecta, vel ipsa fronte admirationem intuentium sibi conciliat; sublimi enim sacrae turris

cuspide in caelum pulcherrime assurgit. Interius vero, non modo amplitudine, sed mirifica omnigenae artis praestantia excellit, siquidem picturis ac musivo opere affabre decorati, sacrae Aedis parietes ubique nitent, sublimesque columnae stemmatibus ornantur cuiusque eorum gentis qui, erga Deiparam a Bono Succursu avitae pietatis studio incensi, nullis parcentes impensis, liberaliter atque abunde pro erigendo templo stipem congesserunt. Hoc quidem templum, revera Mariale Sanctuarium appellandum, et celeberrimae Lauretanae Basilicae aggregatum, sacra praedivite supellectile refertum est, ibique in exemplum famulantur sacris muneribus assidue peragendis sufficiens clerus una cum Parocho Deiparae cultus in dies adaugendi studiosissimo. Ast illud in primis laudibus efferendum censemus, quo nempe studio et frequentia, ab antiquissimis temporibus iugiter aucta, christifideles turmatim non modo e propinquis, verum etiam e cunctis, licet dissitis, Galliae regionibus, piae peregrinationis causa ad hoc sanctuarium Rothomagense Dominae Nostrae de Bono Succursu confluere soleant quovis anni tempore, ac potissimum, iuxta vetustissimum morem, feria secunda post Pascha et secunda post Pentecosten, suavissimum Deiparae Virginis simulacrum ibidem veneraturi et persaepe praesentem illius opem feliciter imploraturi. Innumerae votivae tabellae, undique templi parietibus nec non chori subselliis appensae, simulque pretiosa donaria luculenter testantur Virginem Dei Matrem, gratiarum omnium apud Deum sequestram, ex illo sanctuario, veluti e maiestatis Suae solio, beneficiorum et charismatum copiam largiri consuevisse. Quamobrem nono kalendas iunias anno millesimo octingentesimo octogesimo cia. me. Emus et Rmus Dnus S. R. E. Cardinalis de Bonnechose, Rothomagensium antistes, pretiosissimum et auro et gemmis coronam, Decessoris Nostri rec. me. Leonis Pp. XIII nomine, eidem simulacro Virginis et Infantis Iesu, ingenti cleri populique prae gaudio gestientis concursu, sollemni ritu imposuit. His omnibus aliisque permotus memoriis, cum dilectus filius Noster Lodovicus S. R. E. Cardinalis Dubois, Rothomagensium hodiernus archiepiscopus, quo Marialis sanctuarii de Bono Succursu decus maxime augeretur, Nos supplex rogaverit, ut eidem sacrae Aedi dignitatem, titulum et privilegia Basilicae Minoris impertiri dignaremur; Nos votis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Quare, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi a sacris Ritibus tuendis praepositis, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi perpetuumque in modum, Rothomagense templum parochiale Deo in honorem B. Mariae Virginis a Bono Succursu dicatum, dignitate ac titulo Basilicae Minoris cohonestamus, singulis atque universis honorificentiis ac privilegiis

eidem attributis quae Minoribus Almae Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Literas firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque integros effectus iugiter sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvin martii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. GARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

VICARIATU APOSTOLICO CONGI BELGICI DISMEMBRATO, DUO EX EO CONSTITUUNTUR VICARIATUS, ALTER TITULO « LEOPOLDOPOLITANUS », ALTER « NOVAE ANTUERPIAS ».

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae Catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Iam vero cum Catholica Religio in Vicariatu Congi Belgici, curis commisso Congregationis ab Immaculato Corde Mariae, postremis praesertim annis laeta incrementa susceperit, visum est opportunum consilium, ut fidei christianae progressui aptius provideretur, ab eiusdem Vicariatus territorio septentrionalem regionem distrahere, in eaque novam separatam Missionem constituere. Quare, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R E . Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, ab actuali Vicariatu Congi Belgici eius territorii partem separamus, quae sita est ad Boream districtus civilis dicti de Lacu Leopoldi, atque in eodem sic distracto territorio novum constituimus Vicariatum apostolicum curis committendum memoratae Congregationis ab Immaculato Corde Mariae de Scheut; istique novo Vicariatui, ab urbe ubi sedem habebit, « Novae Antuerpiae » nomen facimus. Vicariatus vero Congi Belgici, cum reliqua parte quae ex peracta divisione ei superest, praecipimus ut posthac ex urbe *Léopoldville,* ubi Vicariatus ipse residentiam habet, Vicariatus Leopoldopolitanus denominetur. Haec

statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, suffragari nunc et in posterum ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque atque inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die in aprilis MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

ECCLESIA METROPOLITANA S. IACOBI MAIORIS IN URBE MARIANOPOLI TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae Catholici Orbis templa vel molis amplitudine insignibusque artis ornamentis, vel sanctorum reliquiis et fidelium religione ceteris praestent, ea, Decessorum Nostrorum vestigia persequentes, singularibus titulis ac privilegiis honestare consuevimus. Constat quidem inter sacras huiusmodi aedes merito recensendam esse Metropolitanam Archidioecesis Marianopolitanae Ecclesiam, quae in honorem Iacobi Maioris Apostoli Deo dicata, Canadensium catholicorum fidem ac largitatem luculenter ostendit atque effert. Collecta enim intra Archidioecesis fines ingenti stipe, templum, a fundamentis excitari coeptum, totum lapide lybico exstructum est, additis fronti porticibus; pars interior Basilicam Vaticanam, minore sane spatio, refert et imitatur, neque operibus atque artiliciis caret; arae vero maximae aulaeo ornatae tholus superstat altissimus. Sanctorum autem reliquiae haud mediocri numero ibidem adservantur ; suppellex sacra item affluii, eademque pretiosa, ad divina officia peragenda, quibus ordo Canonicorum eum reliquo clero, non sine magno domus Dei decore, cum praeclara animorum utilitate studiose perfungitur. Placet ad. haec commemorare, in eandem S. Iacobi aedem, anno MCMX, innumerabiles undique gentium convenisse catholicos, coetum habituros cultui Sanctissimae Eucharistiae provehendo, cui Pater Cardinalis praefuit Apostolicae Sedis Legatus, centum' et viginti Episcoporum corona circumdatus. Quibus omnibus

permotus venerabilis frater Pauius Bruchési, archiepiscopus Marianopolitanus, nomine cum suo, tum ordinis Canonicorum et cleri populique universi sibi commissi, a Nobis efflagitavit, ut peculiari honoris titulo Metropolitanum templum afficeremus. Piis hisce votis eo libentius concedendum censemus, quod, si eius templi decus auxerimus, videmur rem facturi esse dignam pietate erga S. Iacobum Maiorem Nostra, cuius Apostoli nomen ad sacrum baptismi fontem impositum Nobis est. Itaque, auditis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus SS. Rituum Congregationi praepositis, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litte rarum vi, Metropolitanam Ecclesiam Marianopolitanam titulo Iacobi Maioris Apostoli ad Basilicae Minoris dignitatem evehimus, eique privilegia omnia tribuimus, quae Minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras Nostras firmas, validas atque efficaces semper exstare, suosque plenarios atque integros effectus obtinere ac sortiri, illisque ad quos spectant, vel spectare poterunt in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum, irritumque et inane fieri si secus quicquam super his, a quolibet, auctoritate quavis, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxrx aprilis anno MCMXIX, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD RR. PP. DD. ARCHIEPISCOPUM LIMANUM CETEROSQUE IN PERUVIANA REGIONE EPISCOPOS, DE TUENDA AC ROBORANDA IN EORUM DIOECESIBUS FIDE.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.—-Inter egregias peruvianae gentis laudes ea est potissime commendatione digna, quod catholicam religionem sancte atque integre per omne tempus servant. Statim ac ad Peruviae terras hispani homines navigarunt, copiosum sacerdotum agmen ex diversis religiosorum Ordinibus, praesertim dominiciano, sub Christi servatoris vexillo Romanoque Pontifice hortante ac bene precante, ad oras istas appulit. Horum per sequuta tempora assiduis curis gravibusque laboribus et fides in catholicis incolumis semper servata est atque aucta et apud ethnicos catholica dogmata sunt feliciter invecta.

Quam in retinenda verae fidei puritate constantiam Deum ipsum singulari praemio prosequi voluisse inde colligitur, quod Peruvia, prae ceteris Americae regionibus, sanctimoniae laude ac splendore floruerit, pluresque ex eius filiis Ecclesia veneretur caelitum beatorum honoribus auctos: quos inter longe eminent Rosa gentis vestrae patrona, primus Americae meridionalis flos, et Turibius Limensium antistes, cuius ferventi studio foecundissimaque actuositate mirum in vobis catholica fides et catholice vivendi ratio incrementum coepit. Verum quod in Evangelio a Christo Domino praedictum legimus, id plerumque et ubique contingit: quod nempe Deus seminat in agro suo bonum semen, sed venit inimicus homo et superseminat zizania in medio tritici. Hoc autem, venerabiles fratres, apud vos etiam nunc fieri, gravi sane moerore animi, conspicimus. Novimus etenim acatholicos haud parvo numero peruvianas pervasisse terras, ibidemque omni astu omnique adiumento, nec frustra omnino, conatos esse ac conari catholicorum mentibus errores suos inserere eorumdemque animos abstrahere a catholica Ecclesia. Id quidem scholis prosequuntur et publicis magisteriis, ephemeridum ac librorum' evulgatione, virorum et maxime adolescentium coetibus, in primis autem apud pauperes pecuniarum largitionibus: quibus aliisque eiusmodi argumentis non singulos modo homines, sed et familias et municipia demereri sibi student, quo facilius et latius errorum suorum venena quaquaversus spargant. Grave istud catholicorum animorum periculum dolere sane et conqueri oportet, venerabiles fratres, attamen videndum pariter est ne quod in Evangelio notatur, istic etiam aliquando evenerit aut eveniat; inimicus namque homo superseminavit zizania *quum dormirent homines;*[1] de quo vobis, qui cleri quisque vestri conditiones nostis, iudicium relinquimus; utrum scilicet detrimentum, quod heterodoxorum artibus fides apud vos coepit, sit necne sacerdotum negligentiae ac desidiae tribuendum. Labia certe sacerdotum custodire debent scientiam, idque non sibi unice, sed ut populum Dei doceant veritatem: ubi ergo veritatis lumen extinguitur aut tenebris obtegitur, indicium est quod sacerdotes aut scientia careant debita, aut quod, officii immemores, eam communicare cum fidelibus negligant. Ad vos igitur, venerabiles fratres, Peruviae vestrae caritate impulsi, hortationes Nostras convertimus Vestrum est, ante omnes, videre et vigilare ne gregi vobis commisso inferatur damnum. In quo pastoris boni Christi Iesu exemplum habetis qui animam suam posuit pro ovibus suis. Quod si humanae debilitati propius exemplum cupitis, adstat vobis beatus vester Turibius, qui

[1] MATTH., XIII, 25.

pastoralis vigilantiae atque zeli praeclarissima praebuit exempla. *Innumeras ille contradictiones, sive ab iis qui foris sunt propter fidem, sive ab iis qui intra sunt propter Ecclesiae libertatem, summa patientia sustinuit, martyrii cupidissimus.*[1] Et ut fides in fidelium animis alte haereret nec facile nutaret, *singulis dominicis diebus, vel in ecclesia, vel inhospitali domo, in parvis etiam oppidulis et sub dio concionabatur, plebemque catechismo instruebat.* [2] Haec vos Patroni sanctissimi documenta sequuti, sacerdotes quisque vestros, assidue ac fortiter stimuletis ut suo singuli ne desint officio, sed omni contentione vobis opitulentur sive sacram catechesim ad novi Codicis praescripta fideliter ac diligenter tradendo, sive opus *Praeservationis fidei* efficacissime promovendo, sive pias consociationes a Doctrina christiana nuncupatas ubique instituendo ac fovendo, cetera demum adiumenta omnia adhibendo quae ad fidem tuendam et roborandam sunt utiliter inventa. Pervigilate vos, venerabiles fratres, pervigilent sacerdotes vestri ; omnes quippe pro suo quisque munere et gradu rationem estis reddituri pro animabus cuique commissis. Spes autem Nos recreat, quoniam studium vestrum novimus atque in Nos propensissimam voluntatem, fore ut hortationes Nostras toto animo exsequendas suscipiatis; clerus vero, vestro simul verbo et exemplo incitatus, non industriae, non labori pareat ut praecipua Peruviae gloria, fidei videlicet catholicae professio, nullum ulterius detrimentum capiat. Quo in negotio Regulares etiam sacerdotes adiutricem vobis manum ultro daturos esse minime dubitamus, decessorum suorum zelum et laudes aemulantes. Quia vero maximi interest optima sacri cleri educatio, nolumus de Seminariis tacere: inde enim ampla expectanda est operariorum seges, quos in messem Domini mittere possitis quique, sui obliti, se totos in animarum bonum fideique defensionem impendant. Quamobrem quae per Nuntium Nostrum circa Seminariorum erectionem rectumque eorumdem regimen vobiscum communicanda voluimus, impensissimo postulamus ut, alacritate maxima cunctisque amotis difficultatibus, exsequenda curetis.

Haec autem omnia ut pro optatis eveniant, vobis, venerabiles fratres, vestrisque cleris ac populis apostolicam benedictionem, paternae Nostrae benevolentiae testem et divinarum gratiarum auspicem, amantissime impertimus. .. "

Datum Romae, apud sanctum Petrum, kalendis ianuariis MGMXEX.

BENEDICTUS PP. XV

[1] **In Lectione Breviarii, in festo S. Turibii, 27 aprilis.**

[2] **Ibid.**

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I •

DECRETUM

CIRCA NOMINATIONEM ADMINISTRATORUM IN DIOECESIBUS VACANTIBUS DOMINII CANADENSIS ET TERRAE NOVAE.

Cohaerenter ad ea quae pro dioecesibus Foederatorum Americae Statuum Apostolica Sedes statuit decreto diei 22 februarii 1919, SSmus Dominus Noster Benedictus Pp. XV censuit et decrevit, ut etiam in dioecesibus Canadensis Dominii et Terrae Novae, quoties vacaverint, ad ipsarum gubernationem eadem regula vigeret.

itaque, dempto Archiepiscopis et Episcopis iure nominandi mortis causa dioecesanum Administratorem, in posterum in omnibus memoratis dioecesibus, quatenus speciales circumstantiae observantiam canonis 427 impediant, si in iisdem quinque saltem vel sex Consultores dioecesani non adsint; Archiepiscopus aut Episcopus senior provinciae ecclesiasticae providere poterit, cum ratihabitione Delegati Apostolici, pro nominatione Administratoris durante sedis vacatione. Idque per triennium, dummodo interim coetus Consultorum non fuerit auctus ad numerum superius indicatum.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 8 maii 1919. •

• ' $ C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. ® S. .

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor-*

II

DE CHACO

ERECTIONIS VICARIATUS APOSTOLICI

DECRETUM

Optimo sane consilio Roduiphus Caroli, archiepiscopus Tyrensis, in Boliviana Republica Apostolicus Internuntius, Archiepiscopo Platensi et Episcopo S. Crucis consentientibus, perpendit et S. Sedi proposuit, ut in amplissimo eiusdem Bolivianae ditionis territorio, cui nomen *Chaco*, ad subveniendum spiritualibus incolarum loci necessitatibus, Apostolicus Vicariatus erigeretur. Quapropter Ssmus Dnus Noster Benedictus PP. XV, de consulto huius S. Congregationis Consistorialis Eminentissimorum Patrum, suppleto quorum intersit, vel suo interesse praesumant, consensu, praesens edi iussit Consistoriale Decretum, quo territorium *de Chaco*, intra fines archidioeceseos Platensis et dioeceseos S. Crucis de Sierra existens, in Vicariatum Apostolicum *de Chaco* nuncupandum erigit ac erectum declarat, donec in propriam ac distinctam dioecesim constitui valeat. Huius autem Vicariatus fines, erunt: ac? *septentrionem* ripa dextera fluminis Magni, vulgo *Bio Grande*, incipiendo a puncto in quo hoc flumen intersecai alta iuga montium de *Incahuasi*, in provincia de Cordillera, usquedum idem flumen attingit lineam interprovincialem cum *Chiquitos*, deinde haec ipsa linea usque ad fines reipublicae status ; *ad orientem* ipsi fines reipublicae de Bolivia cum rebuspublicis de Brasilia et Paraguay; *ad meridiem* iidem fines cum Paraguay et Argentina iuxta cursum fluminis *Pilcomayo* usque ad punctum quod vocatur *Casa de Piedra* et ad dexteram huius fluminis ripam positum est; *ad occasum* linea imaginaria, quae incipiet a sinistra ripa fluminis *Pilcomayo* contra locum nuncupatum *Casa de Piedra* et desinet ad flumen *Parapeti*, in loco dicto *Oquendagüe*, excepto territorio *Canton de Huacareta*, deinde sequetur alta iuga montium de *Incahuasi*, quae separant provincias *Chuquisaca* et *S. Cruz* usque ad locum ubi flumen Magnum intersecat haec ipsa iuga montium et fines septentrionales Vicariatus attinguntur. Praefatus igitur Vicariatus sequentia oppida complectetur. In provincia *de Cordillera:* Lagunillas, Gutiérrez, Limon, Caraguatarenda, Guariri, Saipurú, Masuvi, Tacurú, Àimiri, Obbi, Taputá, Piriti, Charagua, San Antonio, San Francisco, ízozo, Itatique, Iboperenda, Boyuibi, Cuevo, Laguna Colorada, Salinas, Choreti, Ipati et alia

minoris momenti. In provincia *del Azero:* Gamatindi, Garandaiti, Missiones de Tigüipa, Machareti, Ivo, Santa Rosa et Boicavo, oppida de Huacaya, Numbra, Ibopeiti, Loma, Chibé, Mandiyuti, Iguembe, Ingre, Nancaroinza et Sipotindi. In provincia *del Gran Chaco:* Villa Montes (San Francisco), *los cinco fortines* militares existentes et Missio de Tarairi. Voluit praeterea Beatissimus Pater, ut Apostolicus Vicariatus *de Çhaco* metropolitico iuri Archiepiscopi Platensis sit subiectus et obnoxius maneat dependentiae ac iurisdictioni S. Congregationis de Propaganda Fide. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis Consistorialis, die *m* maii 1919.

)$l C.CARD. DB LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. £ß S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

III

PROVISIO ECCLESIAE

S. C. Consistorialis decreto, SSmus D. N. Benedictus XV hanc, quae sequitur, ecclesiam de proprio pastore providit, scilicet:

7 maii 1919. — Metropolitanae ecclesiae Tarraconensi praefecit R. P. D. Franciscum Vidal y Barraquer, hactenus Episcopum titularem Pentacomiensem.

IV

NOMINATIONES

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

1 februarii 1919. — R. P. D. Cletus Cassani, archiepiscopus Turritanus, *Administrator Apostolicus dioecesis Octeriensis.*

11 martii. — R. P. D. Nicolaus Piccirilli, archiepiscopus Lancianensis, *Administrator Apostolicus dioecesis Vastensis.*

31 martii. — R. P. D. Ioannes Scotti, archiepiscopus Rossanensis, *Administrator Apostolicus dioecesis Cariatensis.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

LISBONEN. ET ALIARUM IN LUSITANIA

PROVISIONIS PAROECIARUM

13 aprilis 1918

(Per summaria precum)

SPECIES FACTI. - Sub antiquo in Lusitania regimine vacantes paroeciae de proprio pastore pro videbantur ad normam regii decreti diei 2 ianuarii 1862, vi cuius praescribebatur quidem forma concursus, sive per documenta, sive per publicum examen, sed ita ut potiores partes in his peragendis potestati civili quam ecclesiasticae tribuerentur; quin immo exinde idonei non renunciabantur nisi a Patrono Regio. Quando vero, sive concursus haberi non poterat propter exiguitatem redituum, sive desertus aut frustratus evadebat, tum Episcopi curatos, vulgo *enconmendados* ad nutum suum amovibiles paroeciis praeficiebant. Everso autem antiquo regimine, post violenter abruptas relationes inter novum Gubernium et Ecclesiam, Apostolica Sedes die 13 iulii 1911 inter alia decrevit «provisionem ecclesiasticorum beneficiorum in Lusitania rein- « cidisse sub iuris communis sanctiones ». Quum itaque in relatione de statu dioecesis ab Episcopo Portugalliensi anno 1916 transmissa, legeretur ad num. 64: « Olim provisio paroeciarum fiebat per concursum, «nunc, post separationis regimen, *ad nutum Episcopi* », et num. 65: « Adsunt paroeciarum rectores *ad nutum amovibiles* », quumque profecto provisio paroeciarum omnium per nominationem rectorum ad nutum Episcopi amovibilium, non repraesentaret ius commune in quod debuit recidere beneficiorum, paroecialium praesertim, in Lusitania collatio, visum est hac de re opportunas notitias a Patriarcha Lisbonensi sciscitare. Rescripsit Emus Vir illam praxim non in sola dioecesi Portugalliensi obtinere, sed in omnibus dioecesibus Lusitaniae invaluisse, attento quod, sub auctoritatis politicae persecutione, fere omnes paroeciae in eam redactae essent conditionem in qua Concursus utiliter haberi non poterat; postulabat igitur ut Apostolica Sedes Lusitanos Episcopos per aliquod saltem tempus perseverare in inolita praxi sineret, nec concursus iniungeret nisi pro paucis paroeciis praecipuis. Subinde vero idem Emus Patriarcha, postquam de re egerat in conventu cum aliis

Lusitaniae Episcopis, schema statutorum ad quorum normam paroeciales concursus in posterum peragi deberent, approbationi et revisioni Sanctae Sedis subiecit, iterum postulans ut obligatio paroecias per concursum providendi non imponeretur nisi post aliquod futurum tempus, simulque, attentis diversis nec firmis rerum adiunctis in quibus singulae paroeciae versarentur, Episcopis ampla facultas concederetur in casibus particularibus indicendi vel non indicendi concursus.

Universo negocio ad S. H. G. delato, ante quam praefatum schema disciplinam habendorum concursuum continens revisioni demandaretur, visum est quaestionem praeiudicialem de ipsis concursibus in Lusitania habendis vel non, Emis Patribus decernendam subiicere.

ANIMADVERSIONES. - Enimvero, decisio Apostolicae Sedis de beneficiorum provisione in Lusitania ad *iuris communis* sanctiones conformanda, quamvis lata sit a. 1911, hucusque, ut ex dictis liquet, exsecutioni demandata non est. Quum igitur in praesenti sit religiose exsequenda, statim sese offert dubium, quodnam ius commune *nunc* sit respiciendum: num quod vigebat a. 1911, usque ad promulgatum Codicem Iuris Canonici, an ius quod in Codice continetur. Etenim, ex una parte, ea decisio quum lata fuerit a. 1911, non poterat profecto respicere nisi ius commune eo tempore vigens: ex alia vero, eadem decisio quum exsequutioni demandanda sit nunc, post publicatum Codicem, peropportune videtur ad huius normam accipienda; siquidem universim quum de novo, re integra, ordinanda sit in aliqua regione canonica disciplina circa aliquod institutum ecclesiasticum, praecipua quadam ratione, ordinatio fieri debet ad normam Codicis nunc vigentis: idcirco enim publicatum est, ut secundum illud quodlibet ecclesiasticae disciplinae caput in futurum ordinaretur. Quae quum ita sint, plane concludendum videtur, in casu, obligationem concursus pro paroeciarum provisione minime esse imponendam: nam Codex concursum iam non praescribit, nec exigit; sed solummodo praescribit ut forma concursus retineatur, et quidem *donec Sedes Apostolica aliud decreverit,* iis in locis in quibus est in usu (can. 459, § 4), quod videtur idem esse ac permittere bonum in expectatione melioris, ad quod contenditur. Porro in Lusitania, ut ex enarratis liquet, quamvis forma concursus aderat ante separationem, nunc, quum disciplina provisionis paroeciarum est ordinanda, iam non est in usu. Nec inde consequitur Episcopos perseverare posse ac debere in inolita praxi, providendi paroecias per rectores ad nutum amovibiles, et quidem deputatos absque ullo praevio examine cum facultatibus ministerialibus de anno in annum renovandis, adeo ut

nullus parochus iam securitatem habeat manendi in sua paroecia: longe quidem alia est dispositio Codicis, can. 454 et can. 459 § 1-3, quae ius commune, nunc in re vigens, repraesentat.

Ex adverso, etiam omisso quod incertum manet. num *ius commune* nunc aptandum non sit fortasse quod vigebat a. 1911, quando Apostolica prodiit praefata decisio, in quo iure quidem concursus praescribebatur, ad mentem quoque Codicis videtur Lusitania comprehendi inter illas regiones in quibus paroeciarum provisio fit per concursum: fit, inquam, saltem *virtualiter,* si non ipsa re et effectu. Siquidem modus ab inducta separatione usque in praesens servatus, fuit modus anormalis et irregularis, qui solummodo tribuendus sit statui perturbato Ecclesiae Lusitanae; qua perturbatione durante Episcopi nullum in hac parte determinatum *ius* secuti sunt, sed in praxi vindicarunt sibi peramplam quandam *libertatem* vel contra ius agendi, quia aliter non fidebant posse se congruenter providere necessitatibus fidelium et curae animarum. At vero, status perturbatus, praesertim violentia inductus, licet per aliquod tempus perseverans, non est dicendus immutasse funditus statum iuris praecedentem, qui immo virtualiter perseverare censetur, quatenus, scilicet, re etiam et effectu perseveraret, sublata perturbatione et violentia. Quum igitur ante separationem vigeret in Lusitania disciplina concursus in provisione paroeciarum, videtur haec eadem, saltem virtualiter, usque in praesens perseverasse, ac propterea ad mentem Codicis, can. 459, § 4, retinenda, donec Apostolica Sedes aliud decreverit. Nec inde consequitur redeundum ad specialem formam, decreto regio 2 ian. 1866 praescriptam, quam e contrario sustulit omnino laudata decisio de cuius exsequutione res est. Obvia est enim distinctio inter disciplinam concursus ad normam iuris communis seu Tridentini et formas speciales concursus peragendi, in singulis regionibus hac illave auctoritate inductas: quamvis itaque forma specialis a potestate civili praescripta, iure cessaverit, recuperante Ecclesia in hac quoque re suam libertatem, adhuc tamen perseverare videtur in Lusitania, iuxta, mox disceptata, obligatio provisionis paroeciarum per concursum, seu disciplina generalis concursus, nunc ordinanda in particulari ad normam iuris Tridentini quod magis explicavit S. P. Benedictus XIV (cfr. documentum IV in calce laudati Codicis) et ad peculiares loci temporumque conditiones necessitatesque.

RESOLUTIO. - Hac porro rerum serie plena deliberatione perpensa, Emi Patres S, C. Concilii in plenariis comitiis diei 13 aprilis 1918 rescribendum censuerunt:

*Episcopi poterunt in inolita praxi perdurare ad annum; interim ipsi conficiant elenchum, transmittendum ad H. S. G, paroeciarum quae dotem sufficientem habent. Elapso autem anno, paroecias, quae sufficientem dotem habent, conferant ad normam*Cod. Iur. Can., c. *459, § 3, n. 1-3, poterunt vero alias conferre ad nutum. Curent tamen iidem Episcopi ut quamprimum hae paroeciae congrua dote compleantur.*

Quam Emorum Patrum resolutionem, referente infrascripto S. Congregationis Secretario, SS. Dnus Noster Benedictus div. prov. PP. XV, in audientia diei 15 eiusdem mensis et anni, approbare et confirmare dignatus est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

• V ' '•' 1

DE QUIBUSDAM LIBRIS AD INSTITUTA RELIGIOSARUM IURIS PONTIFICII PERTINENTIBUS, REVISIONI ET CORRECTIONI S. CONGREGATIONIS SUBIICIENDI.

In Congregatione Generali, habita in Palatio Vaticano die 29 martii 1919, Emi ac Revmi S. R. E. Cardinales negotiis Religiosorum Sodalium praepositi, opportunum iudicarunt praescribendum ut omnia Instituta et Congregationes Religiosarum Iuris Pontificii libros quoslibet, continentes consuetudines, usus aut similes quocumque nomine veniant *(Direttorio, Coutumier,* etc.), apud eas in usu, praeter Constitutiones adprobatas, necnon preces proprias Instituti, in communi recitari solitas, inspectioni et correctioni huius S. Congregationis subiiciant; idemque exigatur in novis Institutis adprobandis.

Facta autem relatione SSmo D. N. Benedicto Pp. XV per R. P. D. Secretarium, in audientia diei 31 eiusdem mensis, S. S. sententiam Emorum PP. adprobavit ac propterea mandavit ad hoc fieri Decretum.

Haec S. igitur Congregatio vi praesentis Decreti mandat ut omnia et singula Instituta seu Congregationes Religiosarum Iuris Pontificii, seu etiam Piae Societates mulierum sine votis ad modum Religiosarum in communi viventium a S. Sede adprobatae, libros quosvis ut supra recensitos, intra terminum unius anni ad eamdem S. Congregationem transmittant.

Curent autem Revñii Ordinarii locorum, in quibus Supremae Moderatrices alicuius Instituti et Congregationis mulierum, de quibus agitur rn praesenti Decreto, commorantur, ut illas quamprimum de imposita obligatione certiores faciant: easque admoneant non prohiberi in Institutis et Congregationibus respectivis dictorum librorum usum, quousque ab hac S. C. aliter, si casus ferat, statuatur.

R. CARD. SCAPINELLI, *Praefectus.*

L - £ 8 S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius.*

II

DUBIUM

CIRCA DEPENDENTIAM MONIALIUM AB ORDINARIIS IN GALLIA ET BELGIO

A pluribus Episcopis nec non Religiosis Communitatibus propositum fuit dubium:

« An Monasteria Monialium, quarum vota ex Instituto sunt solemnia, « sed ex S. Sedis praescripto sunt simplicia, in Gallia et Belgio ab Ordi« nariis locorum dependeant eadem ratione ac ante Codicis promul« gationem ».

S. Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit: « Sup« plicandum SSmo ut decernere dignaretur nihil innovandum esse in « dependentia Monialium praedictarum ab Ordinariis locorum in Gallia « et Belgio, prout post restaurationem ab uno saeculo et amplius hucus« que observatum est: cauto tamen quod nulla potestas sit Episcopis ad « immutandas Regulas antiquorum Ordinum aut Constitutiones Monia« lium a S. Sede adprobatas ».

In audientia infrascripto Secretario concessa die 13 maii 1919 SSmus resolutionem adprobavit et, ut publici iuris fieret, mandavit.

Datum Romae ex Secretaria S. C. de Religiosis, die 22 maii 1919.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

ARCHIEPISCOPUS ULTRAIECTENSIS NOMINATUR PRAESES IN HOLLANDIA PIAE UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS.

Cum pia Unio cleri pro Missionibus, huius S. Congregationis Fidei Propagandae auctoritate probata, pluribusque indulgentiis ac spiritualibus privilegiis a SSmo D. N. Benedicto Pp. XV benigne ditata, etiam in Hollandia, Deo adiuvante, institui ac propagari coeperit, ad eius incrementa in dioecesibus dictae nationis promovenda, opportunum consilium visum est Praesidem eiusdem piae Unionis pro Hollandia constituere B. P. D. Henricum Van de Wetering, archiepiscopum Ultraiectensem, cuius ductu eadem Sodalitas moderata nobilissimum finem, quem praestitutum habet, facilius assequatur. Utendo igitur facultate a Summo Pontifice sibi concessa in audientia diei 20 superioris mensis martii, infrascriptus Cardinalis Praefectus S. huius Consilii Christiano Nomini Propagando, memoratum Antistitem Ultraiectensem ad officium Praesidis Unionis cleri pro Missionibus, in universa Hollandia, per praesens Decretum nominat atque confirmat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis, die 11 aprilis, anno 1919.

GULIELMUS CARD. VAN ROSSUM, *Praefectus.*

I, $ S.

C. Laurenti, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

CLAROMONTEN. SEU NOVAE GALEDONIAE

DECRETUM BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII SERVI DEI BLASII MARMOITON, LAICI PROFESSI SOCIETATIS MARIAE, IN ODIUM FIDEI, UTI FERTUR, INTEREMPTI.

Societas Mariae, vulgo Maristarum, a Venerabili Servo Dei Ioanne Claudio Colin, sacerdote, Lugduni, in Gallia, anno 1824 fundata et in plures regiones eiusdem nationis et etiam orbis propagata, dum patrem legiferum ac primum moderatorem generalem atque sodales aliquot sanctitatis fama gloriosos habere laetatur, nunc animum studiumque intendit, ut causa beatificationis seu declarationis martyrii alterius sodalis, laici professi, Blasii Marmoiton, apud sacrorum Rituum Congregationem introduci valeat. Hic Dei Famulus in pago *Yssac-la-Tourette,* Claromontensis dioeceseos in Gallia, die 16 martii anno 1812 natus eademque die baptizatus, post brevem suae peregrinationis curriculum, mense iulio anni 1847 in Nova Caledonia ab inimicis christiani nominis crudeliter interfectus est. Ab ineunte aetate, a parentibus pie institutus, praeclara exhibuit futurae sanctitatis specimina et indicia, eumque puerum cognati et vicini uti angelum aestimabant et vocabant. Studiis dans operam et morum suavitate et ingenii acumine aequalibus praelucebat. In agris colendis patri infirmo saepe adiutor, colonos invisere çogebatur, eosque salutaribus monitis et exemplis instruebat. Sollicitus de maiori sui spiritus perfectione, recessum et solitudinem summopere amabat, ut Dei vocem melius audire eiusque voluntatem agnoscere atque opere implere mereretur. Peculiari pietatis affectu SSmum Eucharistiae Sacramentum et Deiparam Virginem Mariam prosequebatur. Neque solum quotidie utriusque altare devotissime visitabat, sed etiam librum sibi valde earum, proprio nomine signatum et in familia diligenter custoditum, cui titulus: *Visites au Saint-Sacrement et à la Sainte Vierge,* assidue perlegebat. Quum in Consilio Municipii de illuminatione et decore domus Dei ageretur, statutum fuit, ut singulae familiae vicis-

sim per singulos annos subministrarent quod esset necessarium pro lampade ardente coram SSmo Sacramento. Et Blasius, qui erat a Consiliis, non modo primum annum ad hoc opus adimplendum pro sua familia postulavit, sed ipse idem singulis eiusdem anni diebus, mane citius surgens, ecclesiam adibat, ut SSmi Sacramenti lampadis refoveret lumen. Insuper qualibet die dominica adsistebat divinis officiis ac mysteriis, potissimum in ecclesia parochiali loci *Pessat-Villeneuve* nuncupati, ubi etiam cantorum choro suam praestabat operam valde utilem. Pabulum spirituale sibi aliisque praebebat lectione librorum de actis sanctorum et annalium de Propaganda Fide super statu missionum. Ad sacram synaxim accedebat prima dominica cuiusvis mensis et festis solemnioribus, praesertim divini Redemptoris eiusque sanctissimae Genitricis; in quorum honorem et memoriam quotidie recitabat sanctum Rosarium, uti validum praesidium et admirabile compendium precum ac mysteriorum. Spretis mundi oblectamentis, mandata Dei fideliter custodiebat cum integritate vitae sensuumque temperantia et mortificatione. Divino amore et zelo flagrans, liberalis in egenos, sequester pacis in familiis, cunctisque opportune beneficus, de se humillime sentiebat coram Deo et hominibus. Iuxta hanc viam, prout in Actis processualibus describitur, ambulans Dei Servus, quum ad aetatem duodeviginti annorum pervenisset, a quadam sacra concione circa missiones et ex *Annalibus Propagationis Fidei* feliciter permotus, divina operante gratia, statuit se suasque vires missionibus dicare et Societatem Mariae, de iisdem optime meritam, ingredi. Plures tamen exortae sunt difficultates publicae et privatae, auctae quoque a conscriptione militari tam sui quam alterius fratris Gilberti atque ab obitu pii genitoris, qui adhuc vivens, ob infirmitatem, Biasio domesticis praeesse negotiis reliquerat. Verum, omnibus obstaculis devictis, Dei Famulus, die undecima mensis martii anni 1842, Lugdunum concessit, ut Societati Mariae nomen daret, una cum Ioanne Raynaud, Ioanne Taragnat et sacerdote Douarre pagi parocho, qui parochiale officium dimiserat, ut inter missionarios Maristas, Deo vocante, adscriberetur. Itaque eadem die, vespertinis Jioris, quum in praefatam civitatem prospero itinere pervenissent, omnes sese obtulerunt P. Ioanni Claudio Colin, Superiori Societatis Mariae, qui eos benevolo laetoque animo excepit, et Biasium Marmoiton ad novitiatum statim admisit. Hic, adhuc tyro, miram ostendit patientiam et fortitudinem, tum in ictu quem ex involontaria causa receperat, tum in gravi infirmitate, qua exinde affectus est. Interim Dei Famulus, quum notitiam apprehendisset martyrii sacerdotis et missionarii maristae B. Petri Aloysii Chanel, similis pro Fide mortis desiderio incensus,

veniam a Superioribus petiit et obtinuit, ut exteris missionibus inter infideles Societati Mariae concreditis destinantur. Inde Blasius, tyrocinio iam rite peracto, vota fratris coadiutoris in eadem Societate die 11 martii anni 1843 nuncupavit et die 3 maii eiusdem anni a Gallus profectus est una cum aliis sociis sub praeside Episcopo tit. Amatensi Douarre e Societate Mariae, qui, episcopali dignitate a S. Sede decoratus, eiusdem auctoritate missionem in Nova Caledonia condendam susceperat. In illam regionem omnes appulerunt die 21 decembris ipsius anni 1843,' atque illico manus apposuerunt domui habitationis et orationis aedificandae atque novae missioni catholicae instituendae. Dum Episcopus et duo sacerdotes missionarii PP. Bougeyrpn et Viard sacrum ministerium pèragebant, linguam regionis simul addiscentes, frater coadiutor Blasius, cum altero socio coadiutore Ioanne Taragnat, rei familiaris et sacrae aedis decoris, necnon horti, victus et vestitus curam habebat. Insuper indígenas videre studebat, eosque, modo quo poterat, alioqui de Deo, de Christo Iesu, de Fide et religione catholica, ipsos ita disponens ad maiorem patrum instructionem et ad baptismum aliaque sacramenta rite recipienda. Orationi impense vacans, regularum Societatis custos, virtutibus ornatus, SSmae Eucharistiae cultor eximius et B. Mariae Virginis devotissimus filius, hisce praesidiis instructus ad proximum certamen et agonem pro Fide Christi sustinendum paratus inventus est. Mense enim iunio anni 1847 coepta est persecutio in missionarios, qui in loco *Balade* sanctum ministerium exercebant; atque ethnici ex illa tribu magno impetu et furore domum missionis aggressi, Blasium Marmoiton lancea crudeliter percutiunt. Hic, gravi vulnere afflictus, statim sacramentis Ecclesiae recreatur, et de vita sociorum sollicitus eos ad fugam hortatur, ut certam effugiant mortem. Crueiatibus oppressus et in lecto decumbens, iterum sacramentis roboratus, salutari hortatione ac benedictione accepta ab Episcopo Collomb, adstantes consolatur, seque laetum ac paratum profitens mori pro Christo et pro conversione et perseverantia Caledonensium in Fide, veniam simul ex toto corde adprecatur a Deo pro suis suorumque sodalium persecutoribus. Dum vero, ita debilitatus, Ipse vires sumere et aliquot gressus facere potuerat, ut ad sacellum iret et in domo Dei animam exhalaret, repente ab uno ex iis, qui missionarios persequebantur eorumque domum sacramque aedem et suppellectilem iam devastaverant et in odium religionis catholicae profanaverant, ethnico et barbaro post nova et horrenda tormenta, capite obtruncatus est. Fama sanctitatis et martyrii Servi Dei in pago *La Tourette,* in tota regione Claromontensi et apud indígenas Novae Caledoniae viguit et viget, signis ac prodigiis, uti fer-

tur, etiam confirmata. Hinc Processus Ordinarius Informativus in Curiis ecclesiasticis Claromontensi et Novae Caledoniae super ea adornatus est; eiusque Acta Romam ad sacram Rituum Congregationem delata. Quum vero omnia in promptu sint, nihilque obstet ut ad ulteriora procedi possit, instante Rmo P. Ludovico Copéré, Societatis Mariae postulatore generali, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum et Missionariorum, praesertim Novae Caledoniae et Societatis Mariae, necnon Consilii generalis Operis Propagationis Fidei ex utraque sede centrali Parisiensi et Lugdunensi, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Nicolaus Marini, huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinario sacrorum Rituum Congregationis coetu subsignata die ad Vaticanum coacto, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum, de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei promotore generali, cunctis diligenter perpensis respondendum censuerunt: *Signandam esse Commissionem introductionis Causae beatificationis seu declarationis martyrii, si Sanctissimo placuerit.* Die 13 martii 1919.

Hisce omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habuit; propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Blasii Marmoiton, laici professi Societatis Mariae, die 14 eisdem mense et anno.

)$l A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. $ S.

Alexander Vérde, *Secretarius,*

II

MARIANOPOLITANA

DE MISSA ET COMMUNIONE DURANTE EXPOSITIONE SS. SACRAMENTI

Rmus Dnus Paulus Bruchési, Archiep. Marianopolitanus, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur, reverenter exposuit; videlicet:

« In nonnullis ecclesiis et oratoriis publicis vel semipublicis, ubi « Ssmum Eucharistiae Sacramentum legitime asservatur, usus quidam « introductus est, ut Missae cantatae vel lectae coram Ssmo Sacramento « solemniter exposito in Altari celebrentur, atque intra vel extra Missas « in eodem Altari, durante expositione, Sancta Communio Christifide- « libus administretur. Hinc idem Archiepiscopus postulavit: Utrum hic « usus permitti, vel tolerari possit? ». ;

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, praepositae quaestioni respondendum censuit:

« Ad primam partem, praefatum usum *non licere,* sine necessitate, «vel gravi causa, vel de speciali indulto; et ad secundam partem *« negativ»,* iuxta Decreta, et detur Decretum n. 3448 *Societatis Iesu,* « 11 maii 1878, ad I ».

Atque ita rescripsit, declaravit et confirmavit, die 17 aprilis 1919.

ffa A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Praefectus.

h. % S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

III

DUBIUM

Proposito dubio: « An usus bursae, corporalibus includendis desti- « natae, permitti possit pro colligendis eleemosynis?», Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit: *Negative.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die-2 maii 1919.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Praefectus. *

L. © S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

IV

DECRETUM

SUPER OCCURRENTIA DUORUM RESPONSORIORUM DE TEMPORE CUM DUOBUS RESPONSORIIS APOSTOLORUM ET EVANGELISTARUM, VEL MARTYRUM TEMPORE PASCHALI.

A Sacra Rituum Congregatione pro opportuna declaratione postulatum fuit:

« Quaenam norma sit habenda quoties, infra Hebdomadam I et II « post Octavam Paschae, in Communi Apostolorum et Evangelistarum « vel Martyrum, Tempore Paschali, in II vel III Nocturno recurrant ea « Responsoria, quae iam fuerint in primo Nocturno recitata, cum Lectio- « nibus de Scriptura occurrente ».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita rescribendum censuit:

« I. Tum in Communi Apostolorum et Evangelistarum, tum in Com- « muni Martyrum, Tempore Paschali, loco septimi Responsorii *Ego sum « vitis,* dicatur Responsorium: *Tristitia vestra,* quoties in I Nocturno reci- « tatae sint Lectiones de Scriptura occurrente cum suis Responsoriis de « Tempore, Feria III et VI infra hebdomadam I et II post Octavam « Paschae.

« II. In Communi autem Apostolorum et Evangelistarum, Tempore « Paschali, loco Responsorii quinti: *Virtute magna,* dicatur Responso- « rium: *Pretiosa in conspectu Domini,* quoties in I Nocturno Lectiones « fuerint de Scriptura occurrente cum suis Responsoriis de Tempore, « Feria IV et V infra hebdomadam I et II post Octavam Paschae.

« III. Futuris autem editionibus Breviarii Romani, in Communi « Apostolorum et Evangelistarum, Tempore Paschali, post Responso- « rium quintum, inseratur sequens Rubrica: " Feria II et V infra hebdo- « madam I et II post Octavam Paschae, quoties in I Nocturno Lectiones « fuerint de Scriptura occurrente cum suis Responsoriis de Tempore, « loco praecedentis Responsorii de Tempore, dicitur sequens: RJ\ *Pre- « Uòsa in conspectu Domini, alleluja, * Mors sanctorum ejus, alleluja. « f. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteré- « tur. * Mors* ᵥ »,

« Item in Communi Apostolorum et Evangelistarum et in Communi « Martyrum, Tempore Paschali, post septimum Responsorium inscri- « batur haec Rubrica: " Sicubi, Feria III et VI infra hebdomadam I « et II post Octavam Paschae, quoties in I Nocturno Lectiones fuerint « de Scriptura occurrente cum suis Responsoriis de Tempore, loco prae- « cedentis Responsorii dicitur sequens: RJ. *Tristitia vestra, alleluja,* * *« Convertatur in gaudium) alleluja, alleluja,* f. *Mundus autem gaudébit, « vos vero contristabimini, sed tristitia vestra. Convertetur „ ».*

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 16 maii 1919.

l$(A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,

S. R. O. *Praefectus.*

L. © S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA OFFICIORUM

SECRETARIA STATUS

EPISTOLA

AD R. D. SAC. ROGERIUM DE TEIL, SOCIETATIS « A SANCTA INFANTIA » MODERATOREM : MISSIS QUINQUAGINTA FRANCORUM MILLIBUS, PIAM SODALITATEM VEHEMENTER B. P. ADHORTATUR UT, PRO AUGENTIBUS MISSIONUM NECESSITATIBUS, FUSIORE IN POSTERUM MANU, AD ECCLESIASTICAM INDIGENARUM INSTITUTIONEM CONFERAT.

Rme Domine,

Inter multiplices moeroris causas, quo Romanus Pontifex hisce temporibus premitur, haud ultimum sane locum obtinet Sacrarum sollicitudo Missionum, tam gravi, iam aliquot annos, Sacerdotum inopia laborantium, ut, nedum optata omnibus incrementa suscipiant, in dies magis miserabiliter dilabantur.

Tanto mederi malo partesque tot laboribus fructus tueri cupiens, semel atque iterum Apostolica Sedes praefectos Missionibus Episcopos est vehementer adhortata ut, quos invenissent indígenas divinae vocationis signa praeseferentes, sacris rite educendos curarent, donec pro singulis quibusque locis aptus formaretur Clerus, deficientes hinc Missionarios commode suppleturus, facilioremque hinc habiturus aditum in suspicaces incolarum animos, quibuscum foret patria, genere, lingua, moribus denique coniunctus.

Providum sane opus, quamquam a pluribus feliciter inchoatum, lentius tamen quam fert necessitas succrescit, non quod Sacerdotio augendi desint adulescentes, sed quia opes plerumque Episcopis non suppetunt quibus ecclesiasticae eorum institutioni consulant.

Dolendis hisce Missionum condicionibus compositum nuper immane bellum extremam veluti plagam inflixit, ut iam non tam prosperitas quam ipsa earumdem vita in discrimen adducta videatur.

Cum res eo devenerint, supremus Ecclesiae Pastor, pro eo quo flagrat salutis animarum ardore Religionisque profectus, tum singulos fideles tum pias omnes sodalitates obtestatur ut pinguem sane messem

paucitate operariorum ne interire sinant, collatisque simul viribus tam ingens a vinea Domini exitium avertere conentur.

In istam vero Societatem, quae a Sancta Infantia Iesu nomen habet, oculos praecipue convertit, eamque enixe rogat ut geminata exhinc industria parvis seminariis subvenire pergat, in quibus potissimae, ne dicam unicae, vexatarum spes Missionum ad Sacerdotium aluntur.

Haud equidem latet Pontificem certam iam nunc annuarum collationum partem in aliquot ex redemptis pueris instituendos erogari, qui bonam de se spem movent Sacerdotali quondam munere functuros; eaque de re et Sibi vehementer gaudet et debitam Societati laudem Iubenti animo tribuit.

Florentem tamen istam Sodalitatem melius atque amplius de Religione merituram censet, si vel fusiore in posterum manu id operis prosequatur, suaeque beneficia largitatis ad illos quoque non redemptus pueros porrigat, qui iudicio Episcoporum in sortem Domini vocati videantur.

Te itaque, dignum Sodalitii Praesidem, Beatissimus Pater omni studio adhortatur ut in sanctissimum hoc opus, quod pii Fundatoris menti apprime consentaneum apparet, tamquam in alterum eiusdem Sodalitii finem incumbas ad idque aperte sodalium caritatem implores, quos aeque libenter et in primarium finem redimendorum infantium et in alterum de sacerdotibus indigenis formandis stipem collaturos confidit, quorum opera divinae veritatis lumen expertibus tot adhuc populis quantocius inferatur.

Quo autem laetiore animo propositum aggrediaris, quinquaginta hisce francorum millibus piae collationis Sanctitas Sua facit initium, vota simul ex corde promeus ut, Patris acti exemplo, vel maiores largiantur opes quotquot nihil habent satius quam ut Christi regnum, iis adhibitis mediis, quae opportuniora esse aetas ostenderit, per Orbem dilatetur.

Deum denique toto pectore adprecatus ut inceptis propitius adsit, laboresque tuos caelestium gratiarum rore foecundet, apostolicam Pontifex benedictionem, successus simul auspicem ac praecipuae voluntatis testem, cum Tibi tum Societati universae libentissime impertitur.

Romae, ex Secretaria Status, die 28 maii 1919.

Addictissimus tibi

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

COETUS S. R. E. CARDINALIUM
A SUMMO PONTIFICE PECULIARITER DESIGNATUS

DUBIA CIRCA COMPETENTIAM SS. CC. CONCILII ET DE RELIGIOSIS IN QUIBUSDAM NEGOTIIS RELIGIOSORUM.

In peculiari coetu Emorum Patrum iuxta canonem 245 Cod. Iuris Canonici a Beatissimo Patre designatorum, propositis dubiis:

1. Utrum omnes quaestiones, seu instantiae, quae attingunt aliquod ius, aut commodum (seu interesse) alicuius familiae religiosae, aut sodalium religiosorum, spectent privative ad S. C. de Religiosis.

% Utrum concedere, servatis consuetis normis, sanationes et condonationes quoad praeteritum, et reductiones quoad futurum relate ad capellanias et alia legata, quae, licet concredita non sint Ordini aut familiae religiosae, qua talis, erecta tamen aut translata reperiuntur in ecclesiis religiosorum, spectet ad S. C. Concilii, an potius ad S. C de Religiosis.

3. Cuinam Congregationi competentia tribuenda sit quoad dispensationem ad Ordines sacros recipiendos a Religiosis sive ex defectu aetatis sive ab irregularitate, sive quoad alias conditiones quae ad conferendos Ordines requiruntur, sive quod ad studia pertinet quae sacris ordinationibus sunt praemittenda.

4. Cuinam Congregationi competentia tribuenda sit quoad religiosos dispensandus, qui propter morbum vel alia de causa a Missae celebratione physice vel moraliter impediuntur, veluti si pedibus consistere non valeant.

Emi Patres Cardinales, quibus a SSmo D. N. Benedicto PP. XV resolutio commissa fuit, respondendum censuerunt:

Ad 1. *Affirmative:* in sensu tamen canonis 251 Codicis Iuris Canonici.

Ad 2. Privative ad S. C. de Religiosis, quoadusque legatorum administratio et adimplementum concredita sint Religiosis.

Ad 3. Ad S. C. de Religiosis.

Ad 4. Ad S. C. de Religiosis.

Quae omnia SSmus D. N. rata habuit et confirmavit.

Romae, die 24 martii 1919.

£g C. CARD. DE LAI, Episc. Sabinen,, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DI PROPAGANDA FIDE

AVVISO DI CONCORSO

È aperto presso la S. C. di Propaganda Fide il concorso per la provvista di un ufficio di minutante.

I sacerdoti che desiderassero prendervi parte dovranno esibire alla Segreteria della detta S. C, entro quindici giorni dalla data del presente avviso, la domanda corredata delle opportune generalità e del « nulla osta » del relativo Ordinario.

Ê richiesta per l'ammissione al detto concorso la laurea in S. Teologia o in Diritto Canonico.

È poi in facoltà dei concorrenti presentare quei titoli che possono comprovare la loro capacità all'ufficio in parola.

A suo tempo verranno stabiliti i giorni in cui avrà luogo il concorso.

A titolo di informazione per i sacerdoti che volessero concorrere, si avverte :

C

1) che il concorso consisterà in due prove scritte, delle quali una in lingua latina, l'altra in italiano;

2) che i temi verseranno specialmente sulla Teologia Morale e sul Diritto Canonico;

3) che si terrà in particolare considerazione la conoscenza delle lingue estere;

4) i concorrenti non dovranno eccedere l'età di 40 anni compiuti.

Roma, dalla S. C. di Propaganda Fide, 31 maggio 1919.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 29 aprile 1919, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Granito Pignatelli di Belmonte, Ponente della Causa di beatificazione e canonizzazione del Ven. Carlo Giacinto di Santa Maria, Sacerdote professo dei Romitani Scalzi di S. Agostino, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria,'* nella quale dai Rmi Prelati Officiali e dai Consultori teologi si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dallo stesso Ven. Servo di Dio.

La mattina di martedì 13 maggio 1919,' nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti ***Ordinaria,*** nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:

1) Introduzione della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Serva di Dio Paola Elisabetta, al secolo Costanza Cerioli ved. Buzecchi-Tassis, fondatrice dell'Istituto della Santa Famiglia, in Bergamo:

2) E parimenti introduzione della Causa di beatificazione, ovvero dichiarazione del Martirio, del Servo di Dio Biagio Marmoiton, laico professo della Società di Maria (Maristi), ucciso, come si asserisce, in odio alla Fede il 1847 nella Nuova Caledonia.

Martedì 27 maggio 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con ***V*** intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati Officiali e dei Consultori Teologi componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si **è** tenuta una seconda volta la Congregazione ***Nuova-Preparatoria,*** per discutere sul dubbio di due miracoli, che si asseriscono operati da Dio per intercessione del B. Teofilo eia Corte, Sacerdote professo dell'Ordine dei Frati Minori, e che sono proposti per la Canonizzazione del medesimo Beato.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Cori biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

3 maggio 1919. L'**Eolo** signor Cardinale Michele Lega, ***Convisitatore Apostolico dei Luoghi Pii dei Catecumeni.***

9 » » L'Emo signor Cardinale Aidano Gasquet, ***Bibliotecario di Santa Bomana Chiesa.***

» » » Mons. Filippo Mauri, ***Prelato Referendario del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.***

10 » » L'Emo signor Cardinale Vittorio Amedeo Ranuzzi de'Bianchi, ***Protettore della Congregazione dei Figli di Maria Immacolata.***

12 » » L'Eino signor Cardinale Basilio Pompilj, ***Protettore della Congregazione dei Frati Bigi e dell'Istituto delle Suore Bigie Elisabettine.***

19 » » Il Rev. P. Luigi Copéré, Procuratore Generale della Società di Maria, ***Consultore della Sacra Congregazione dei Religiosi.***

20 maggio 1919 Mons. Enrico Sibilia, arcivescovo titolare di Side, e Monsignor Alfredo Peri-Morosini, vescovo titolare di Arca, ***Consultori della Sacra Congregazione*** *degli* ***Affari Ecclesiastici Straordinari.***

27 » » Il Rev. Sac. D. Carmelo Conte, ***Sostituto del Difensore del Vincolo presso il Tribunale della S. Romana Rota.***

28 » » L'Emo signor Cardinale Aidano Gasquet, ***Protettore delle Suore di carità del Verbo Incarnato,*** *in* ***Sant****'An*-***tonio del Texas.***

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonotari apostolici ad instar participantium :

8 febbraio 1919. Mons. Domenico Benigno Cruz, della diocesi della Santissima Concezione nel Cile. . .

14 maggio » Mons. Elia Amieux, della diocesi di Guadalupa.

16 » » Mons. Adriano Smetz, canonico del Santo Sepolcro.

Prelati Domestici di S. S. :

2 febbraio 1919. Mons. Ernesto Palacios Varos, dell'archidioeesi di Santiago del Cile.

» » » Mons. Baldomero Pradeñas, della diocesi della SSma Concezione nel Cile.

24 aprile » Mons. Carlo Maritano, vicario del Vescovo castrense in Italia.

» » » Mons. Michele Cerrati, vicario del Vescovo castrense in Italia.

30 » » Mons. Luigi Dubuc, dell'archidioeesi di Montréal.

» » » Mons. Francesco Saverio de la Durantaye, della medesima archidiocesi.

» » » Mons. Giovanni Edoardo Donelly, della medesima archid.

» » » Mons. Giuseppe Arsenio Richard, della medesima archid.

» » » Mons. Giuseppe Avila Bélanger, della medesima archid.

» » » Mons. Ermenegildo Cousineau, della medesima archid.

» » » Mons. Giovanni Ghezzi, dell'archidioeesi di Milano.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze :

La Gran Croce dell'Orarne Piano:

17 maggio 1919. A don Marcantonio Colonna, Principe assistente al Soglio.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

14 maggio 1919. Al sig. dott. Carlo Marchisio, della diocesi di Novara.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

18 dicembre 1918. Al sig. Ludovico Coccapani, dell'archidiocesi di Pisa.
24 aprile 1919. Al sig. P. Basilio Lamarre, dell'archidiocesi di Montréal.
25 » » Al sig. Nicola Ri vero, della diocesi di Santiago di Cuba.
4 maggio » Al sig. Enrico Alessandro Sleiffers, della diocesi di Harlem.
15 » » Al sig. Renato Ledere, della diocesi di Goutances.
20 » » Al sig. Giovanni Poggi, della diocesi di Modigliana.

La Commenda dell' Ordine di S. Silvestro Papa :

2 maggio 1919. Al sig. cav. Giuseppe Pelici, di Roma.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

9 aprile 1919. Al sig. Latif Kedemos, del vicariato apostolico d'Egitto.
26 » » Al sig. Arnoldo Adriano Maria Van Eyl, della diocesi di Bois-le-Duc.
29 » » Al sig. Francesco Parisi, di Roma.
21 maggio » Al sig: Gerardo van der Heyden, della diocesi di Breda.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

29 gennaio 1919. Mons. Giuseppe Lebeau, dell'archidiocesi di Ottawa.
29 aprile . » Mons. Mario Nuzzi, della diocesi di Arezzo.
12 maggio » Mons. Romualdo Pasté, dell'archidiocesi di Vercelli.

12 maggio 1919. Mons. Carlo Salamano, della medesima archidiocesi.
19 » » Mons. Francesco Parroccini, della diocesi di Monteflascone.
» » » Mons. Giuseppe Pagánucci, della diocesi di Fano.
30 » » Mons. Prospero Casella, dell'archidioeesi di Genova.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S. :

24 aprile 1919. Al sig. Barone Hans von Montagnac-Vörös, della diocesi di Coirà.
21 maggio » Al sig. conte Luigi Affre de Saint-Rome, dell'archidioeesi di Parigi.

Camerieri d'onore m abito paonazzo di S. S.:

24 aprile 1919. Mons. Ermenegildo Bullian, dell'archidioeesi di Udine.
29 » » Mons. Giacomo Magnani, arciprete parroco di Porto Santo Stefano.
17 maggio » Mons. Sebastiano Gaetano, della diocesi di Castellammare di Stabia.
19 » » Mons. Giuseppe Musante, della diocesi di Livorno.

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S. S. :

9 maggio 1919. Il sig. Giacomo Leser, della diocesi di Ratisbona.

Cappellano Segreto d'onore di S. S.:

18 marzo 1919. Mons. Carlo Pasquinelli, dell'archidioeesi di Lucca.

Annus XI - Vol. XI. 4 Iulii 1919 Num. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFi01ALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

SACRUM CONSISTORIUM

Die 3 iulii 1919 in palatio apostolico Vaticano habitum est Consistorium secretum, cuius Acta ex ordine referuntur:

i. - ALLOCUTIO SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

CONFIRMATIO ELECTIONIS PATRIARCHAE ANTIOCHENI GRAECORUM MELCHITARUM

VENERABILES FRATRES

Nobis quidem amplissimi huius ordinis habendi ea potissimum est causa, ut viduis Ecclesiis novos Pastores more solemni attribuamus. Ante omnia vero munus Nostrae auctoritatis sibi postulat Ecclesia Antiochena Graecorum Melchitarum; quam cum venerabilis frater b. m. Cyrillus Geha Patriarcha diu nec sine diligentiae laude gubernasset, abhinc tribus annis, aegritudine potius animi quam aetate confectus, e vita cessit.

Successoris igitur designandi gratia, catholici eiusdem nationis Episcopi, ubi primum per temporum difficultates licuit, in Synodum ad monasterium Basilianum quod est in oppido Sarba, die vicesimo nono Martii proximi coiverunt; atque ut ad suffragia ventum est, statim una omnes voce et acclamatone ipsum

qui Synodo praesidebat, venerabilem fratrem Demetrium Cadi Archiepiscopum Aleppensem, Vicarium Apostolicum Patriarchalem, dixere Patriarcham. Tunc electionem factam Nobis significare per litteras maturarunt, supplicantes ut eam ratam habere et electo Patriarchae sacri honorem Pallii tribuere vellemus. Eadem ipse imploravit, addita catholicae fidei professione solemni.

Nos saorae Congregationi pro Ecclesia Orientali rem cognoscendam sententiamque dicendam delegavimus; eaque omnibus probe perpensis, postulationi concedendum censuit. - Etenim venerabilem fratrem Demetrium Cadi, virum non mediocriter ab ingenio et a doctrina itemque ab ornamentis animi instructum, constat ita in variis, quae gessit, muneribus usque adhuc esse versatum ut admodum huic Apostolicae Sedi se probaverit. Eum in Archiepiscopali Aleppensi non pauca emendasse quae in mores irrepserant, ac de illius Ecclesiae statu ad S. Congregationem Fidei propagandae iniussum retulisse, ex Episcopis Melchitis primum qui huic praesentis disciplinae praescripto sua sponte obtempérant. Cuius erga Romanum Pontificem observantia eo etiam testata est, quod, cum Romam advenisset Apostolorum limina visitatum, datis litteris ad Cardinalem Praefectum eiusdem S. Congregationis, opportunum contendit fore, si in electione Episcoporum Orientalium amplius tribueretur Sedis Apostolicae auctoritati. Nec vero est dubitandum quin, quod ei in optatis iampridem est, ipse ut effectum detur, sit diligentem operam daturas. - Quare de sententia S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, eundem venerabilem fratrem in Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum confirmare eique Pallium de corpore beati Petri sumptum conferre (Constituimus. Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus fratribus Episcopis Greco-Melchitis factam de persona venerabilis fratris Demetrii Cadi, eumque a vinculo absolutum quo Ecclesiae Aleppensi adstrictus tenebatur, praeficimus in Patriarcham Ecclesiae Antiochenae Grae-

eorum Melchitarum, prout in decreto et schedulis Consistorialibus exprimetur: contrariis non obstantibus quibuslibet. In nomine Patris £ß et Filii jjg et Spiritus Sancti. Amen.

Iam, ut alia hoc loco praetermittamus quae non ad Orientem modo sed ad universitatem christiani nominis pertinent, illud non silebimus, in' sollicitudine Nos nuper fuisse de catholicis Missionibus. Equidem cum certiores facti sumus in Versalieñsi consilio paci conficiendae quaedam deliberari quibus evangelicae praedicationis non viderentur salva et incolumia fore iura, consiliantes viros cum fiducia rogavimus, ut id ipsum vellent diligenter attendere. Illuc etiam egregium Romanae Curiae antistitem legavimus, qui eadem, quoad posset, iura tueretur. Hic vero renuntiare libet eos ipsos viros, cum postulata Nostra aequis animis expenderint, Nobis magna ex parte satis fecisse. Itaque in spem adducimur eosdem in exsequendis quae hac de re statuerint, parem animi aequitatem secuturos, id quod non modo catholicae religionis, sed ipsius civilis cultus atque humanitatis interest. Et quoniam hostilia tandem finem cepere, suppliciter divinam clementiam in haec invocamus vota, ut maritima iam nunc solvatur obsidio unde famem summamque rerum omnium egestatem tam ingens multitudo patitur, ut quotquot captivi adhuc sunt, quamprimum dimittantur, denique ut homines populique inter se usque adhuc infensi, vinculis consocientur denuo christianae caritatis, quam Nos quidem inculcare non desistimus, quaeque si desit, omnis de pace conventio frustra erit.

Nunc autem ceterarum Ecclesiarum, Tusculanae in primis, viduitati consulamus.

II - OPTIO AD ECCLESIAM SUBURBICARIAM TUSCULANAM

SSmus Dnus Noster praefecit suburbicariae ecclesiae Tusculanae Emum Revmum Dnum Card. IULIUM BOSCHI, ad quam optavit dimissis -titulo Sancti Laurentii in Panisperna et Ecclesiis Ferrariensi et Comaclensi.

III - PROVISIO ECCLESIARUM

Post haec SSmus Dominus Noster has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

Titulari archiepiscopali ecclesiae Ancyranae praefecit R. P. D. Michaelem Zezza, hactenus episcopum Puteolanum, quem constituit in Coadiutorem Emi Card. Iosephi Prisco, archiepiscopi Neapolefani.

Titulari archiepiscopali ecclesiae Antiochensi, R. P. D. Ioannem Volpi, iam episcopum Arretinunl.

Metropolitanae ecclesiae Gorcyrensi, cui nuper canonice perpetuo unitae sunt Sedes Zacynthiensis et Cephaloniensis, R. P. D. Leonardum Brindisi, iam archiepiscopum Naxiensem.

Metropolitanae ecclesiae Naxiensi, cui nuper canonice perpetuo unitae sunt Sedes Tinensis et Myconensis, R. P. D. Matthaeum Vido, iam episcopum Tinensem et Myconensem.

Titulari archiepiscopali ecclesiae Naupactensi, R. P. D. Achillem Ratti, Nuntium Apostolicum apud Rempublicam Polonam.

Metropolitanae ecclesiae Montisvidei, R. D. Ioannem Franciscum Aragone, visitatorem dioecesanum eiusdem archidiocesis.

Titulari episcopali ecclesiae Sinopensi, R. D. Iacobum Mariam De Amicis, canonicum metropolitanae ecclesiae Ianuensis, quem constituit in Auxiliarem Emi Card. Pii Thomae Boggiani, archiepiscopi Ianuensis.

Titulari episcopali ecclesiae Mosynopolitanae, R. D. Beniaminum Roland Gosselin, presbyterum dioecesis Parisiensis, quem constituit in Auxiliarem Emi Card. Leonis Amette, archiepiscopi Parisiensis.

Cathedrali ecclesiae Sedunensi, R. D. Victorium Bieler, cancellarium Curiae episcopalis, et magistrum in theologico Seminario eiusdem dioecesis.

Cathedrali ecclesiae Clonfertensi, R. D. Thomam O' Doherty, canonicum, decanum disciplinae in Collegio nationali *Maynooth.*

Cathedrali ecclesiae Sditemi, R. D. Thomam Camacho, parochum de « Aguada » in urbe Montevideo.

Cathedrali ecclesiae Melensi, R. D. Iosephum Marcum Semeria, .vicarium generalem archidioecesis Montisvidei.

Cathedrali ecclesiae Nazarenae in Brasilia, nuper erectae, R. D. Richardum Ramos da Gosta Vitella, parochum loci « Gravada », in archidioecesi 01 indensi.

Cathedrali ecclesiae Geranhunsensi nuper erectae, R. D. Ioannem Tavares de Moura, parochum in civitate Olindensi.

Cathedrali ecclesiae Guaxupensi, R. D. Antonium Aemidium Correa, parochum in dioecesi Marianensi.

Insuper Beatissimus Pater^alios etiam, iam renunciatos per Apostolicas sub plumbo Litteras, Sacrorum Antistites publicavit, scilicet:

ARCHIEPISCOPOS:

Angelorum, Henricum Sánchez Paredes.

Larissensem, Bernardum Arguinoniz y Astobira.

Achridanum, Ioannem Baptistam Cieplak.

Pessinuntinum, Guilelmum Barry.

Tarraconensem, Franciscum Vidal y Barraquer, iam episcopum Pentacomiensem.

EPISCOPOS:

Tamaulipanum, Iosephum Guadalupe Ortiz.

De Sonora, Ioannem Navarrette.

De Queretaro, Franciscum Banegas.

Desmoinensem, Thomam Guilelmum Drummu

Dardanum, Antonium Keil.

Ergadiensem et Insularum in Scotia, Donaldum Martin.

Evariensem, Antonium Mariam Capettini.

Isiondensem, Marcellinum Carolum Marty.

Myriophytensem, Felicem Couturier.

Troianum, Fortunatum Farina.

iv. - SACRI PALLII EXPOSTULATIO ET CONCESSIO.

Deinde Beatissimus Pater Sacrum Pallium expostulatum concessit ecclesiis: *Gorcyrensi, Naxiensi, Montisvidei, Angelorum, Tarraconensi, Troianae (ex* privilegio) et *Antiochenae graecorum Melchitarum.*

LITTERAE APOSTOLICAE

I

METROPOLITANAE ECCLESIAE CORCYRENSI UNIUNTUR SEDES ZACYNTHIENSIS ET CEPHALONIENSTS.

BENEDICTUS PP. XV

Ad futuram rei memoriam. — Cum ex Apostolico munere, quo fungimur, Ecclesiarum omnium cura Nobis demandata sit, felici illorum statui ac prospero regimini pro re ac tempore consulimus. Iam vero cum Corcyrensi Metropolitanae Ecclesiae administratio dioecesium suffraganearum iam unitarum Zacynthiensis et Cephaloniensis hactenus adnexa fuerit; nunc vero, ut singularum istarum dioecesium catholicorum in spiritualibus adsistentiae facilius in posterum provideretur, cum peropportunum visum sit consilium tres supradictas Sedes in unam colligere archidioecesim; Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infrascripta sunt decernenda statuimus. Nimirum Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, superenunciatas tres Sedes Corcyrensem, Zacynthiensem et Cephaloniensem in unam unimus archidioecesim, eamque in posterum appellari volumus Corcyrensem, Zacynthiensem et Cephaloniensem. Haec volumus, mandamus, statuimus, decernentes praesentes Literas firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant, sive in posterum spectare poterunt, nunc et in posterum plene suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die **in** iunii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

METROPOLITANAE ECCLESIAE NAXIENSI UNIUNTUR SEDES TINENSIS ET MYCONENSIS.

BENEDICTUS PP. XV

Ad futuram rei memoriam.— Quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, ea ut maturo studio praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Iam vero cum Naxiensis Metropolitanae Ecclesiae catholicorum latini ritus ob plurimas easque diversi generis rationes valde imminuto numero, opportunum visum sit duas ex suffraganeis, scilicet Sedem Tinensem et Sedem Myconensem illi Metropolitanae adiungere atque unire, ut ex his in posterum una habeatur; Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum V V. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infrascripta sunt idcirco decernenda existimavimus. Nimirum Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Metropolitanae Sedi Naxiensi duas ex suffraganeis, scilicet Sedem Tinensem et Sedem Myconensem interim adiungimus, easque ita unimus ut ex his una in posterum habeatur Sedes Metropolitana Naxiensis, Tinensis et Myconensis nuncupanda. Haec edicimus, mandamus, statuimus, decernentes praesentes Literas firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plene suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die in iunii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD RR. PP. DD. CAROLUM GREGORIUM MARIAM GRASSO, ARCHIEPISCOPUM SALERNITANUM, HERCULANUM MARINI, ARCHIEPISCOPUM AMALPHITANUM, CETEROSQUE EPISCOPOS, QUI POMPEIOS AD MARIANAM AEDEM CONVENERUNT I DE OFFICIIS REVERENTER EXHIBITIS GRATIAS AGENS EORUMQUE SOLLERTIAM PROVIDENTIAMQUE COMMENDANS.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae Pompeios nuper, ut nuntiatis, congregati, ad aedem Marianam, consilia contulistis, visa Nobis sunt valde utilia. Tueri enim cleri dignitatem, dando operam ut ii, qui in sacris seminariis in Ecclesiae spem succrescunt, bonitatem, disciplinam et scientiam doceantur, et ii praesertim, qui pastorali funguntur ministerio, laborent ut boni milites Christi Iesu, maximum est episcoporum officium, cui qui rite pareat, is id praestat ex quo, quasi capite, cetera omnia ducuntur, quae ad christianam plebem sancte educendam sunt necessaria. - Par erat et consentaneum temporibus ut ad tot puerorum ex bello orbitatem paterna vestra caritas se porrigeret providentem. Rectius ac plenius consultum per vos erit bono non tantum corporis sed etiam animae.

Ad Nos quod attinet, de officiis gratias vobis agimus et de sollertia providentiaque gratulamur. Cui quidem ut adsit divina gratia et studiose obsequatur clerus populusque unicuique vestrum traditus, apostolicam benedictionem, Nostrae testem benevolentiae, vobis^ venerabiles fratres, atque illis omnibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xx martii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD RR. PP. DD. BERNARDUM, ARCHIEPISCOPUM BOGOTENSEM, CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS COLUMBIAE I DE EORUM CONSILIO CONVENTUS MARIALIS HABENDI GRATULATUR.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Cohaeret plane cum votis Nostris susceptum a vobis consilium de Gonventu Mariali proxime habendo. Quo enim amore, quo honore digna sit Virgo beatissima, quam Deus ipse ita dilexit, ut eam sibi matrem elegerit; quantum ad hanc evecta dignitatem possit apud Iesum filium suum quantaque liberalitate diligentes se diligat, vix Nobis licet animo reputare, quin simul accendamur desiderio ut fideles omnes ad amantissimam hanc matrem redamando, colendo, imitando compellantur. Id porro est caussae cur id vobis consilii vehementer gratulemur, plurimum inde sperantes. Vos vero, venerabiles fratres, date in primis operam ut exteriori pompae ac splendori conventus, par sit interior animorum pietas et ut, quae coepta ineantur, non sint *vapor ad modicum parens:* non ad oculum maxime serviant: non per unam alteramve diem *aedificent;* sed fovendae religioni in Virginem excitandaeque fidei provehendaeque christianae disciplinae mansura praebeant incitamenta atque subsidia. Quis enim dixerit eiusmodi catholicorum coetus propositum assequi si nihil .aliud praestent, quam hominum multitudinem laudes concelebrantium Virginis? Sanctum id quidem est ac laudabile: sed maius quiddam sequendum; nimirum ut *flores* tenerae pietatis in Mariam *floreant quasi litium et,* studio atque actione christianae vitae, *dent odorem et frondeant in gratiam.*

Industriis interim vestris quo uberiora adsint divinae gratiae auxilia, apostolicam benedictionem, Nostrae testem benevolentiae, vobis, venerabiles fratres, iisque omnibus qui conventui vobiscum intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die **xxi** martii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD R. P. D. ANGELUM MARQUINA Y CORRALES, EPISCOPUM CANARIENSEM : DE HABENDA PROXIME DIOECESANA SYNODO GRATULATUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Est sane cur tibi gratulemur ex animo. Quod enim, post ducentos fere annos quam superior dioecesana Synodus habita istic est, alteram, ut scribis, meditans: quod eam auctam vis et auspicatam benedictione Nostra: quod caelestia munera, quorum apud Nos est dispensatio, iis petis, qui, quo tempore geretur Synodus, cathedralem istam Basilicam pie visitabunt, agnoscimus tuam pastoralem diligentiam, eiusque te nomine plurimum collaudamus. Rem enim cum splendore simul et fructu moliris, qua cum Ecclesiae tuae bono coniungitur maxime. Ad Nos quod attinet, precibus tuis annuimus libentissime. Tu vero, venerabilis frater, in id incumbe, ut in nova Synodo quidquam ne desit, quod cleri populique disciplinam efficiat sanctiorem. Quid in instituendo sacro ordine in eiusque tuenda dignitate: quid in impertiendo pabulo divini verbi in alendoque religionis sensu sequendum potissimum eavendumve sit, habes in Codice Iuris Canonici, quem non ita pridem promulgavimus. Sed quae praescripta in eo sunt, tu quidem prudenti iudicio tuo pleniora efficies et ad fideles tuos accomodatiora, ea etiam prae oculis habendo, quibus probatae consuetudines et peculiaria temporum locorumque adiuncta obsequi suggerant.

Haec habuimus quae ex occasione hortaremur. Consilia interim ac coepta tua Deum precantes ut gratia sua fecundet et ad suam dirigat gloriam, tibi, venerabilis frater, iis quorum in peragenda Synodo uteris opera, omnibus qui intererunt, tuae demum dioecesi universae apostolicam benedictionem, caelestium auspicem adiumentorum Nostraeque testem benevolentiae, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, xxn aprilis MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

IV

AD R. P. D. IOANNEM BBNLLOGH Y VIVÓ, ARCHIEPISCOPUM BURGENSEMI DE COLLEGIO FOVENDO IN USUM MISSIONUM EXTERARUM BURGI INSTITUTO.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quum te ex Urgellensi sede ad ßurgensem promovimus, id Nobis consilium fuit latiorem actuosae tuae virtuti parare campum, ubi ea multo se uberius exerceret. Iampridem enim novimus qua sis alacritate ad divinam gloriam cum animarum salute quaerendam, ubicumque tibi facultas in hoc elaborandi detur. Et eam quidem amplissimam nancisceris in nova dioecesi quae tuae est*curae concredita. Iam vero inter cetera hoc tibi volumus pro tua diligentia proponas, ut delecti e clero adolescentes, qui ad Evangelium barbaris praedicandum a Deo vocati sint, ßurgensia intra moenia rite instituantur, subinde in exteras Missiones destinandi. Etenim evangelicorum praeconum magnam adduxit diuturnum bellum et immane penuriam; cui quidem cum satis mederi non possint ea Collegia quae iam sunt Propagandae Fidei, convenit admodum ut similia instituta plurifariam exsistant, catholicarum gentium liberalitate. Qua in re profecto non decet Hispaniam, cuius praeclara sunt in christiano apostolatu promerita, sic sui oblivisci ut cuiquam cedere videatur. Itaque divino munere contigit, ut aliquid huius generis in ipsa urbe honoris tui sede, inchoatum invenías; neque enim ignoras Gerardum Villota, sanctae memoriae sacerdotem, cum vellet simul Americae latinae dioecesibus, simul sacris apud infideles missionibus opitulari, Collegii, duplicem habentis partem, alteram sacrorum administris, alteram missionalibus educandis, laetabilia quaedam, pro suarum fortunarum tenuitate, initia posuisse. Tuae igitur erit industriae hoc tamquam semen omni fovere cultu ut sensim, Deo adiuvante, grandem crescat in arborem fructusque aliquando uberrimos ferat. Multum autem ad aliorum studia excitanda exempli tui valebit auctoritas; nec dubitandum est quin prae ceteris collegae tui Episcopi ex Hispania te in hac nobilissima causa quae ad incrementum Ecclesiae sanctae pertinet, velint quocumque poterunt auxilio, prosequi. Auspicem vero divinorum munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, tibi, venerabilis frater, et clero, populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxx mensis aprilis MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

V

AD R. P. VENANTIÚM A LISLE-EN-RIGAULT, ORDINIS MINORUM GÁPUGGINORUM MINISTRUM GENERALEM, TERTIO PLENO SAECULO A BEATISSIMO EXITU S. LAURENTII A BRUNDUSIO.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Inter praestantissimus viros, qui Dei providentia in Ecclesiae laborantis auxilium umquam excitati sunt, insignem profecto locum obtinet praeclarum illud vestri Ordinis decus, Laurentius a Brundusio, cujus quidem a beatissimo exitu tria saecula propediem expletum iri comperimus. Etenim in ea incidit gravissima rei christianae tempora, cum haeresim protestanticam late disseminatam ingens iactura religionis catholicae consecuta erat: et ante omnia incredibile est quo apostolatus ardore fidem tueri et propagare contenderit. Testes sunt Europae regiones non paucae, quas ipse magno cum animarum fructu peragravit; qua devios reducendo, qua vacillantes confirmando, qua communem pietatem refovendo. Cumque vulgo effrenata morum licentia, uti solet, errorum fallaciis comitantur, innumerabiles fuerunt quos e vitiorum caeno non solum singulari quodam concionandi vi, sed exemplo etiam innocentissimae vitae ad bonam frugem traduxit. Iam vero mirandum in modum tum virtus eius eluxit, cum, bello tumco, apud Albam Regalem non tam de Hungariae libertate quam de salute christiani nominis, impari pugna, decertatum est. Elata enim Iesu Crucifixi effigie, cum exiguas nostrorum copias antecederei, divinitus a vulneribus tutus, cum primis in urbem irrupit, ut ei potissimum victoriae laus, omnium opinione, tribueretur. Consilio etiam prudentiaque fuit sane commemorabili: ob eamque rem legationes plures easque nobilissimas Fidei causa suscepit, in quibus Apostolicae Sedis iura, cui fuit addictissimus, constanter defendere consuevit. Nec est praetereundum quam egregie prosperitati publicae consuluerit, cum et principibus operam navaret, et studiose civitatum dissidia componeret, et summa animi contentione pacem populis atque concordiam perpetuo suaderet. Itaque tanti viri tamque de Ecclesia et civili hominum societate bene meriti, saecularem celebrari memoriam dignum plane est atque opportunum; quandoquidem eorum temporum, in quibus versatus est, non parvam habet haec aetas similitudinem. Nunc enim ea maximarum rerum perturbatio insidet, ut christianae vitae principia et instituta in populis restitui, excitari Fidem, odia restingui

caritatemque Iesu Christi ubique revocari omnino oporteat.. Eo non parum conferre posse videntur haec, quae acturi estis, sacra sollemnia: vosque, ut gloriae huius haeredes, alacres vestigiis eius insistite, ut vestra in Ecclesiam civilemque rem promerita, cum Apostolica Sede coniuncti, augeatis. Nos autem ad fructum splendoremqiie istius commemorationis amplificandum, quae facultates et Indulgentiae, ex praescripto S. Rituum Congregationis die xx maii MGMXII dato, pro triduanis supplicationibus in honorem beati vel sancti novensilis fieri solitis tribuuntur, easdem vobis pro sacris sollemnibus quae a prima die iulii MCMXIX ad diem xxxi iulii MCMXX celebrabitis, libenter concedimus. Atque auspicem divinorum munerum et peculiaris benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et universae, cui praees, Fratrum Minorum Capuccinorum familiae apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die i maii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

VI

AD RELIGIOSAS FEMINAS ANTISTITAM AC SORORES DOMINICANAS HIBERNIAE '. EXACTUM A CONDITA IPSARUM FAMILIA DUBLTNI SAECULUM SECUNDUM COMMEMORAT ATQUE LAETATUR.

Dilectae in Christo filiae, salutem et apostolicam benedictionem. — Exactum non ita pridem saeculum secundum a condita Dublini familia vestra et exiens iam primum, ex quo, latius ea proferens locum tentoni sui, se Cabram contulit, una vobis libet eademque coniungere recordatione ac laetitia. Optimo id sane consilio. Dublinensis enim et Cabrensis familia non disciplina solum ac magisterio sociantur, sed ortu, fortunae vicissitudinibus ac rerum plurimarum memoria, cum altera alterius germen sit ac generosa propago et, uti bene nostis, ab unius vita, vita alterius disiuncta numquam fuerit. Ad haec, uti edita a maioribus, per varias temporum aetates, virtutum exempla, quo plura simul subiiciuntur oeulis, eo ad imitandum excitant magis, ita collata iisdem, longo annorum spatio, divina beneficia, cum omnia simul considerantur, grandescunt quodammodo et grati animi sensus facilius com movent.

Nos quidem, qui uti propria habere solemus decora dominicam Ordinis, libenter scitote cogitatione apud vos per hos dies diversari ac

solatio haud exiguo animum vobiscum referre ad pias illas sorores vestras, quae primae Dublini commoratae sunt. Videre enim in illis propemodum videmur quamdam priorum christianorum imaginem, cum eaedem fere leges eaedemque poenae, eadem invidia catholici nominis hostium coegerint pusillum gregem occultare se et continere domi. Sed num aquae multae poterunt exstinguere caritatem? Prudenter utique, sed nihil timidae sorores illae vestrae, inter obiectas undique difficultates et ipso quandoque capitis periculo, religioni inservire eiusque caussam acrius in dies tueri numquam destiterunt, omnibus, locuples est historia testis, omnia factae.

Sed, elapso iam saeculo, deferbuerant odia in catholicos, remiserant iniquae leges; et parvum granum sinapis, quod dominicana caritas et plantaverat et rigaverat, quid ni incrementum haberet et magna fieret arbor? Divina id ope factum accepimus: et ipsi Nos vidimus volucres caeli, id est pueros puellulasque, quibus praesertim christiane educandis vos datis operam, venire plurimos et habitare in ramis eius. Re quidem vera Dublini et Cabrae primum et postea in innumeris iis domibus, quas Gabrensis familia aperuit in America, in Australia, in Nova Zelanda et in ipsa Africa, virgines dominicanae, positae tandem in ampliori libertatis umbra, una cum studiis, opera multiplicarunt et fractus, magno, uti in aperto est, cum Ecclesiae et civitatis bono.

Haec omnia ea potissimum de caussa commemorantur, ut, oblata occasione, ad eas vos virtutes hortemur, quas sorores vestrae suo vobis exemplo maxime commendarunt ; ad christianam, dicimus, animi fortitudinem et ad actuosam caritatem. Sed eas hortari vix opus est, quae ad omnes christianas laudes sua sponte properant. Vos vero, pro vestra in Nos pietate, dum inter constituta sollemnia gratias, uti par est, Deo agetis, aliquid supplicationis pro Nobis facite. Videtis quae vertantur tempora, quantae Nos urgeant sollicitudinum caussae. Valde indigemus divino auxilio ut Ecclesiam, per tot aspera et adversa gradientem, valeamus sapienter regere ac tueri fortiter.

Caelestium auspex munerum Nostraeque testis benevolentiae apostolica sit benedictio, quam vobis, dilectae in Christo filiae, ceterisque òmnibus sororibus vestris, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die i maii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

VII

AD R. D. SAC. MAXIMILIANUM KASSIEPE, EX MISSIONARIIS OBLATIS IMMACULATAE MARIAE VIRGINIS, VIGESIMO QUINTO EXEUNTE ANNO A CONDITA PIA UNIONE MARIALI AD FOVENDAS MISSIONES.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Epistola tua institutae a te, viginti quinque ante annos, *Piae Unionis Marialis ad fovendas Missiones* initia et incrementa, proposita sancta atque emolumenta ita Nobis ponit ob oculos, ut tibi gratulemur ex animo bene locatos labores, fructus haud exiguos. Thesaurizas enimvero tibi thesaurum non deficientem in caelis hoc ipso quod, evangelicorum Virorum augenda copia, adiuvandaque opera, iis thesaurizas qui in tenebris adhuc sedent et in umbra mortis. In eamdemque laudem quam velimus catholici omnes tecum acriter incumbant ! Aspiciant hi Orientem : ad Occidentem se convertant. Quantus ubique ager ad excipiendum christianum semen : quanta vis mortalium ab impura superstitione ad veram religionem ac fidem traducenda ! Messis patet quidem multa, sed operarii multo sunt pauciores quam pro excolendi agri vastitate. Quid ni igitur multiplicentur viri misericordiae, qui precibus, stipe, omni denique qua possunt ope illis adsint in pulvere et sole laborantibus? Refrigescentem multorum caritatem excitare, fovere, maiorem efficere tu ne desistas. Hi vero meminerint officii sui: reputent animo promissa misericordibus praemia ac derelictis fratribus misericordiam volentes libentesque impertiant. Hoc Nos consilio ac proposito tributas a Decessoribus Nostris operi tuo laudes collataque privilegia hisce confirmantes litteris, opus idem Episcopis ac bonis omnibus etiam atque etiam commendamus; tibique, dilecte fili, iisque omnibus, quos habes operis adiutores, apostolicam benedictionem, caelestium conciliatricem munerum Nostraeque testem benevolentiae, peramanter in Domino largimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die v maii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

VIII

AD R. P. D. LEOPOLDUM DÜARTE SILVA, ARCHIEPISCOPUM SANCTI PAULI, EIUS CARITATIS ET EPISCOPALIS OFFICII OPERA MERITIS LAUDIBUS EXORNANS.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Tristia, laeta istinc nuper accepimus: cum et de morbo allatum est, qui latissime apud vos, uti fere ubique, obtinuit, et caritatis constantiaeque tuae coepta ita Nobis sunt celebrata, ut- vix possit uberius desiderari. Re sane vera, cum, uti nuntiatum est, eo res essent deductae, ut quos morbi vis non attingeret eos metus occuparet ita ut a gratificando retrahere!, tu, boni pastoris non auditor obliviosus factus sed factor operis, omni caritatis officio, vel animae prodigus, gregi tuo adfuisti. Id lumen exempli laetamur civium ex omni ordine admirationem habuisse et grati animi sensus: Nostram in te benevolentiam mire quam auxit! Hisce dum eam libet litteris testari, rerum similium admonitu convertimur ad cetera caritatis providentiaeque documenta, quae in diuturno episcopatu tuo splendent quasi lumina. Neque enim sumus nescii te ista qua apud tuos flores opinione virtutis, ista gratia qua apud eos vales qui publicis praesunt rebus, multa et utilia admodum Ecclesiae tuae providisse. Sunt in iis, novum idque amplius templum cathedrale, quod curas aedificandum: provehendarum litterarum fovendaeque pietatis consilio invecta in utrumque Seminarium aptior disciplina: pia instituta ad christianam puerorum puellarumque educationem vel aucta numero vel effecta meliora: laicorum consociationes relevandae christiano more plebi iussa utilius inservire. Confidimus fore ut quae Ecclesiae tuae probasti studia, maior factus laetabilium fructuum copia, haud minore in posterum urgeas alacritate. Oblata interim occasione hortamur ne illis desis, qui complures ex Italia et ex omni fere Europa istuc egestate vel spe lucri compelluntur. Nec difficili de iis negotio nec parum tu quidem et collegae tui merebimini si, advocata in id opera piorum sacerdotum indigenarum, curaveritis ut advenae isti operarii mutatione patrii soli patrios ne exuant mores; officia nimirum non negligant religionis: parsimoniam adament multis modis frugiferam: in exercendam operam vel mercaturam ita incumbant, ut non obliviscantur ad aeterna se, non ad caduca haec esse natos.

Nos Deum precantes ut consiliis coeptisque tuis benignus aspiret, caelestium auspicem munerum Nostraeque testem benevolentiae aposto-

licam benedictionem tibi, venerabilis frater, omnique tuo clero ac populo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxrv maii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

IX

AD R. P. D. PAULUM REYNAUD, EPISCOPUM TIT. PUSSALANUM, VICARIUM APOSTOLICUM CE-KIAM ORIENTALIS: QUOD TRIGINTA QUINQUE EPISCOPATUS ET QUADRAGINTA APOSTOLICI MINISTERII ANNOS EXPLEVERIT, LAETATUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Laetamur tecum ut qui laetantur in messe, neque ea exigua. Isti enim, quos brevi conficies, triginta quinque anni episcopatus et quadraginta apostolici ministerii quid aliud praestant nisi laborum plurimorum diuturnitatem et parem fructuum copiam? Vasti terrarum tractus ab impura superstitione purgati: magna hominum vis Ecclesiae addita: condita adolescentibus clericis seminaria, scholae pueris christiane educendis, templa ac sacella fidelium multitudini, aegrotis, orphanis, senibus hospitales domus bene multae, sunt ea totidem insignia evangelicae caritatis providentiaeque tuae monumenta et quaedam veluti trophaea. Optatam tu quidem ab Eo mercedem accipies, qui tibi semen dedit seminanti et incrementa auxit frugum iustitiae tuae: Nobis, ea omnia paterno animo considerantibus, gratulari tibi iucundum est: iucundius te, uti decrevimus, adlegere in episcoporum numerum qui pontificio adstant Solio, et, quod benedicendo peramanter facimus, caelestibus ditare muneribus iucundissimum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxvin maii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

X

AD R. D. IOANNEM PRASGHL, CANONICUM BUDOVÍCENSEM, MARIALIS CONGREGATIONIS «A REGINA APOSTOLORUM» MODERATOREM: DE EGREGIIS IN RELIGIONE PROMERITIS EIUSDEM SODALITII GRATULATUR.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — In his rerum angustiis et difficultatibus quibus undique premimur, non modo ad religiosum sed etiam ad civile popolorum bonum pertinentibus, singulari Nobis consolationi fuerunt eae litterae, quas nuper sodales istius Congregationis Marialis, cui tu praees diligenter, ad Nos miserunt. Plane enim vos perspectum et cognitum habetis Nostrum paterni animi dolorem, ex eo susceptum quod istic nonnulli homines sacri ordinis, immemores quibus quantisque vinculis Deo et Ecclesiae obligati sint, in tanta confusione temporum, non verentur eniti et contendere ut clerum impellant ad eiusmodi res novandas quae nullo pacto possunt immutari. Ac diem recordantes sacrae ordinationis, cum Dominum elegistis ut partem vestrae haereditatis, et obsequium obedientiamque debitam legitimae potestati Ecclesiae spopondistis, cum promptos Vos esse et paratos professi sitis ad quaevis incommoda obeunda potius quam sanctitudini sacerdotalis officii deessetis, tum devotam observantiam ac fidem vestram confirmastis in Apostolicam hanc Sedem, quae Ecclesiae est unitatis centrum eademque custos sanctitatis. Equidem non potuimus tam generosos animorum sensus non valde probare; eo magis quod eos Bohémico clero fere universo communes esse confidimus. Nam probe novimus qua is et fide et devotione semper eluxerit; quamobrem non dubitamus quin, Ioannis Nepomuceni, Martyris sacerdotali fortitudine atque virtute praeclarissimi, patrocinio et gloria nobilitatus, paucorum temeritate contempta, in officio sit permansurus. Ceterum de egregiis in hac re promeritis marialis istius Congregationis gaudemus, ac religiosis viris a Ssmo Redemptore, qui eam condiderunt, magnopere gratulamur. Atque etiam, quoniam occasio oblata est, placet sane Nobis actuosam et salutarem operam, quam in ista dioecesi iidem impendunt, dilaudare; precamurque ut eorum sollertia feracior in dies sit, Deo favente, fructuum optimorum. Caelestium auspicem munerum praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, tuisque sodalibus omni-

bus et religiosis viris e Congregatione Ssmi Redemptoris, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die i iunii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

XI

AD R. D. IACOBUM OGIER, MODERATOREM SODALITATIS « PRO PONTIFICE ET ECCLESIA»: DE OBLATA PETRIANA STIPE GRATIAS AGIT AC DE AUCTA PIA UNIONE GRATULATUR.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Inter amaritudines supremo muneri necessario adnexas quod Omnipotenti placuit humeris imponere Nostris, nempe aestuosis in fluctibus Petri Naviculam gubernandi, divina Providentia levamen spiritualium consolatiónum Nobis suppeditare numquam desinit. Primum in his profecto locum tenent caritatis pietatisque populorum significationes erga Personam Nostram tamquam dignitate Vicarii Dei exornatam, atque in mysticam Iesu Christi Sponsam, Sanctam Matrem Ecclesiam. Ex quo efficitur ut valde cara acceptaque Nobis sit Consociatio « Pro Pontifice et Ecclesia » cuius hic praecipuus finis est, ut Clerus universus et per Clerum populus christianus arctioribus in dies amoris adhaesionisque vinculis cum Ecclesia et Romano Pontifice devinciantur. Quam ob rem fieri non poterat quin vehementer laetaremur, quum per te nuper certiores facti simus Sodalitatem istam, quam naviter moderaris, sint quamvis haec tempora quam quae maxime calamitosa, uberem florentemque vivere vitam eandemque in laicum coetum e sacro ordine esse dilatatam. Qua in re animi Nostri satisfactionem praesenti sermone nuper tibi aperuimus; ipsam vero hisce litteris confirmatam volumus, ut per easdem omnibus manifesta fieri possit, qui Societati nomen dederunt. Interea bene meritae laudis preconium tribuere cupimus et tibi et ceteris Sodalibus tum e Sacro Ordine tum laicis, qui ad augendam provehendamque piam Unionem una tecum enixe adlaborant. Neque praetermittendi sunt Nobis grati benevolentisque animi sensus quibus novissimum amoris caritatisque argumentum amplexi sumus, quo Sodalitas ista per conspicuam collaticiam Stipem Nobis a te traditam, Aposto-

licae Sedis necessitatibus opem ferre pro viribus contendit. Grates igitur tibi ceterisque oblatoribus et agimus et habemus quam plurimas, simulque filiorum pietatem paterna dilectione impendentes, vota nuncupamus ut opitulante Deo latius in dies pateat tam salutaris Institutio, quae cum ad Vicarium Dei populos trahere studeat, hoc ipso per veritatis vitaeque semitam eos ducit. Nos autem, uti iam constat, non solum Sodalitatem vestram patrocinio Nostro cumulare optamus, sed volumus etiam ad eius incrementum opem conferre Nostram, aliqua norma quotannis Sodalibus proposita, qua veluti peculiare programma ipsis evolvendum contineatur. Cum igitur cönsideraverimus nefarios perditorum hominum conatus eo potissimum spectare, ut Pontifici et Ecclesiae obversentur, ipsorum iura oppugnent, populos ab eorum sinu avellant arceantque, nihil opportunius Nobis visum est quam Sodales, tum ecclesiasticos tum laicos, enixe exhortari ut, vertente anno, Consociationis instituta praeceptaque rite observare conentur; in ipsis enim arma contineri patet, quae, ad-iura Pontificis et Ecclesiae contra inimicorum insidias strenue tuenda, sunt omnium longe aptissima. Quo vero facilius exhortatio ni huic Nostrae obsecundari possit caelestium munerum auxilio, eorumdem copiam a Datore bonorum omnium super Sodalitatem enixe adprecamur, dum paternae caritatis Nostrae testem apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, ceterisque Sodalibus peramanter in Domino elargimur.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, die xx iunii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

CIRCOLARE AI R.MI ORDINARI D'ITALIA PER SOVVENIRE AI BISOGNI DEL CLERO

Le strettezze economiche in cui versa la massima parte del clero in Italia, e che vanno rendendosi di giorno in giorno più gravi per l'alto prezzo di ogni cosa necessaria alla vita, e Findiscusso principio che chi serve all'altare possa e debba vivere dell'altare, hanno determinato il S. Padre ad adottare degli straordinari provvedimenti che valgano a portare un qualche opportuno sollievo ad uno stato di cose così penoso, senza pregiudizio di quelle ulteriori misure, che potranno essere in seguito stabilite, quando saranno esaminati i vari progetti che recentemente furono tema di studio agli Ordinari d'Italia.

In vista dunque di questi straordinari bisogni del clero, con le presenti lettere della S. Congregazione, Sua Santità:

1) consiglia ai singoli Ordinari d'Italia di elevare l'elemosina delle messe manuali almeno a lire tre;

2) li autorizza a ridurre a questa stessa tassa le elemosine per messe che ciascuno avesse in Curia o presso di sè, qualunque sia la fonte da cui le predette elemosine derivano, supplendo la Santità Sua al minor numero delle messe de *thesauro Ecclesiae;*

3) dà facoltà agli Ordinari tutti d'Italia, compresi i regolari, di ridurre per un quinquennio gli oneri di messe inerenti ai legati ed alle pie fondazioni di loro giurisdizione in ragione della tassa per le manuali sopra stabilita; così che, detratto il necessario pei sacri utensili, per l'amministrazione e per altri fini voluti dai fondatori, il resto si divida per messe alla tassa sinodale;

4) quanto ai benefìci curati e canonicali, ferme le messe *pro populo* pei parroci tanto nei giorni festivi quanto nei giorni di feste soppresse, e le messe *pro benefactoribus* pei Capitolale altre messe che gravas-

sero sui medesimi potranno dagli Ordinari, parimenti per un quinquennio, essere ridotte alla tassa sinodale sopra indicata, in modo però che la somma da erogarsi per la celebrazione di dette messe non superi il quantitativo della somma che si erogava pel passato quando l'elemosina era minore;

5) la riduzione, di cui agli art. 3 e 4, potrà cominciare dall'inizio di quest'anno, se gli oneri non fossero ancora soddisfatti, o dalla metà del corrente anno, o dal principio del 1920 se gli oneri fossero stati in parte od in tutto soddisfatti;

6) qualora per questo aumento di elemosina, le intenzioni di messe, in qualche diocesi, venissero a far difetto, gli Ordinari potranno rivolgersi direttamente a Sua Santità, che provvederà del suo meglio;

7) siccome vi sono in più diocesi benefici con rendite esuberanti alle strette necessità del beneficiato e della Chiesa, gli Ordinari, se credono espediente e possibile imporre su tali benefici, quando vacheranno, una qualche pensione, per costituire un fondo od un'opera in pro'del clero diocesano, ricorrano con fiducia alla Dataria Apostolica, se si tratti di collazione pontifìcia, alla S. C. del Concilio, se si tratti di collazione vescovile, essendo il Santo Padre, in vista delle straordinarie circostanze del momento, ben disposto a favorire equamente tali istanze. /

Cosa santa e salutare è procurare al clero il bisognevole per la sua onesta sostentazione, essendo questa un'opera non solo di cristiana carità, ma anche di religione.

Presso il popolo ebreo, come ognuno sa, provvide direttamente il Signore con la sua legge che i Leviti avessero di che onestamente vivere del loro ministero e non dovessero applicarsi ad altro, ma fossero del tutto dedicati al suo servizio. Non diversa è e deve èssere la condizione del sacerdozio cristiano, come chiaro si rileva dal Vangelo e dalle lettere degli Apostoli. L'indigenza impedisce al sacerdote di lavorare nei campo che Dio gli ha assegnato, e l'obbliga a cercare altrove i mezzi del vivere con dispendio del sacro suo officio; senza dire che lo stato di penosa sofferenza del clero aliena le vocazioni o le soffoca nascenti. E senza vocazioni e senza sacerdoti non vi è culto, non vi sono sacramenti pel popolo eristiano e la religione più e più languisce.

Il concorrere pertanto a sollevare il clero dalle strettezze in cui versa, è opera di religione accetta a Dio e meritoria. Non manchino gli Ordinari di farlo considerare a tutti gli uomini di buona volontà, sacerdoti e secolari, affinchè, o in vita o *occasione mortis,* fra le opere

buone pongano anche questa di dare al proprio Ordinario i mezzi per provvedere ai bisogni del clero.

Roma, dalla S. Congregazione Concistoriale, 29 giugno, festa dei SS. Apostoli Pietro e Paolo, 1919.

£B G. CARD. DE LAI, Vescovo di Sabina, *Segretario.*

L. © S.

f V. Sardi, Arciv. di Cesarea, *Assessore.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, SSmus D. N. Benedictus XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

24 ianuarii 1919. — Metropolitanae ecclesiae Angelorum praefecit R. D. Henricum Sánchez Paredes, vicarium capitularem eiusdem archidioecesis;

— Cathedrali ecclesiae de «Sonora», R. D. Ioannem Navarrette, sacerdotem civitatis « Aguas Calientes ».

— Cathedrali ecclesiae Tamaulipanae, R. D. Iosephum Guadalupe Ortiz, vicarium generalem de « Suares ».

28 februarii. — Cathedrali ecclesiae de « Queretaro ». R. D. Franciscum Banegas, vicarium generalem Verae Crucis.

21 iunii. — Cathedrali ecclesiae Troianae, R. D. Fortunatum Farina, canonicum ecclesiae Salernitanae.

III

DESIGNATIO ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE IUXTA CAN. 1594, § °2

Iuxta can. 1594, § 2 Codicis Iuris Canonici pro appellatione:

Rnius Archiep. Messicanus designavit Ordinarium Angelopolitanum.

» » Viennensis, Ordinarium Salisburgensem.

» » Novae Aureliae, Ordinarium Oklahomensem.

» » Senonensis, Ordinarium Trecensem.

» » Eborensis, Ordinarium Olyssiponensem.

» » Calaritanus, Ordinarium Ecclesiensem.

» » Ravennatensis, Ordinarium Ariminensem.

» » de Guadalajara, Ordinarium de «Zacatecas».

Quas designationes SSmus D. N. Benedictus Pp. XV approbare dignatus est.

DESIGNATIO ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE EPISCOPORUM SANCTAE SEDI IMMEDIATE SUBIECTORUM.

Vigore can. 1594 *Codicis Iuris Canonici* et art. V decreti *Conciliorum provincialium* a S. G. Consistoriali editi sub die 15 februarii 1919 pro electione tribunalis secundae instantiae:

Rmus D. Adolfus Turchi, Archiepiscopus Aquilanus, designavit Ordinarium Theatinum.

Rmus D. Ioseph Angelucci, episcopus Civitatis Plebis, Ordinarium Perusinum.

Rmus D. Franciscus M. Berti, episcopus Amerinus, Ordinarium Spoletanum.

Rmus D. Alphonsus Andreoli, episcopus Recineten, et Lauretan., Ordinarium Anconitanum.

Quas designationes SSmus D. N. Benedictus Pp. XV benigne approbare dignatus est.

Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die 27 iunii 1919.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

MELPHICTEN.

LIBRI CONFIRMATORUM

Die 8 februarii 1919

FACTI SPECIES. - In dioecesi Melphicten., quae fere unice ipsa civitate constat, iam a pluribus saeculis unicus habetur pro tota dioecesi Liber Confirmatorum, quem conficit et custodit Canonicus Sacrista Cathedralis, cui, consequenter, privativum ius est ex praefato libro extrahendi fides seu attestationes receptae Confirmationis quando requiruntur, speciatim ad matrimonia ineunda, et percipiendi propterea a non pauperibus modicam taxam iuxta legem dioecesanam. - Non multis

vero abhinc mensibus, appropinquante iam die quo Codex iuris canonici vim legis ubique assequuturus erat, Vicarius Capitularis praefatae dioecesis sede vacante, ad rectam observantiam can. 470 et 798 circa libros parochiales parandam, dato decreto die 14 maii 1918 constituit inter alia « che il Can. Sacrista, dopo aver iscritto in conformità del « can. 798 nei libro dei Cresimati l'avvenuta cresima, dovrà non oltre « tre giorni, notificarlo al Parroco presso del quale trovasi il libro dei « Battezzati, perchè ne eseguisca la relativa annotazione (cfr. can. 470, « § 2) col richiederne la risposta, così come praticasi per questa diocesi « per la notificazione dei matrimoni ». Adversus huiusmodi decretum statim Canonicus Sacrista hodiernus recursum interposuit apud H. S. C. conquerens inde privilegium suo stallo iam a duobus saeculis acquisitum iniuste laesum fuisse, contra mentem can. 4 Cod., quin immo sibi impositum fuisse grave detrimentum non modo propter totalem futuram emolumentorum cessationem, cessante nimirum necessitate ex unico libro extrahendi attestationes, sed etiam propter sumptus non módicos ad observantiam decreti faciendos: quibus attentis, in damnata hypothesi qua sustinendum esse decretum declararetur, intentionem suam pandebat renuntiandi penitus confectioni et custodiae Libri Confirmationis favore Capituli. Vicissim Capitulum, de more interpellatum, deliberatione diei 13 iulii subsequentis hanc futuram forsan renunciationem in sui favorem prorsus exclusit, et censuit, si res eo deventura esset, satius fore abrogato privilegio ad ius commune redire, prout can. 470, § 1 continetur, nempe librum Confirmatorum, non secus ac baptizatorum, matrimoniorum, defunctorum libros, a *singulis* parochis in posterum habendum esse. Huic deliberationi minime acquiescente Canonico Sacrista, et acrius instante ut decretum Vicarii Capitularis omnino tolleretur, causa delata est ad Emos Patres, sub dubio: *An et quomodo decretum Vicarii Capitularis diei 14 maii 1918 sustineatur in casu.*

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - Canonicus Sacrista Cathedralis recurrens totus est in contendendo-se exturbatum fuisse praefato decreto (et quidem *sede vacante,* contra vetitum can. 436) a pacifica possessione sui iuris seu privilegii, quod tribus consistit: *a)* iure assistendi Episcopo publice conferenti sacramentum Confirmationes; *b)* tenendi privative librum Confirmatorum pro tota dioecesi; c) extrahendi ex eodem libro particulas seu attestationes, cum perceptione emolumentorum. Quae omnia plane constare ex exhibitis documentis sane concedendum est. Verum, circa primum, quod probatur vel ex titulo libri Confirmatorum deinceps ab a. 1716 inscripto: « Liber Confirmationis sub praesule

« Illmo... *cum adsistentia a R. D. ...Sacrista* », nulla fit quaestio, nec mens quidem conficitur fuisse Vicarii Capitularis, in hac re, suo decreto quidquam derogare, quamquam non satis appareat hoc ius assistendi esse in Canonico Sacrista privativum seu exclusivum. - Quo vero ad alterum, seu praecipuum ius, revera a lege iam data deflectens, tenendi unicum librum Confirmatorum pro tota dioecesi, loco parochorum, illud tueri Canonicus recurrens debet, non adversus Vicarium Capitularem, qui suo decreto explicite illud praesupposuit et praeservavit, hanc antiquam praxim dioecesanam componere studens cum novorum canonum praescriptis, sed potius adversus Capitulum, qui sua deliberatione censuit, in casu satius esse inducere ius commune can. 470, § 1. Nec denegandum, si res sub aspectu mere theoretico consideretur videri in casu ea esse praxis Melphictensis, quae a Codice noviter dato non revocetur, ideoque sustineri adhuc possit. Si enim consideretur quatenus est *ius* quaesitum sive Capitulo, sive Sacristae Capituli nomine, iure servatur vi can. 4; si quatenus est *consuetudo* a duobus et ultra saeculis vigens, succurrit can. 5; si tandem, quod rectius videtur, habeatur tamquam lex et statutum dioecesanum (nam et in *Constit. Synodal,* episcopi Loffredi, a. 1673, cap. XXII, legitur: « *In nostra cathedrali Ecclesia,* in qua « Sacramentum hoc ministrari solet, Confirmatorum liber conficiatur »), potest quidem prima fronte abrogata censeri vi can. 6, I° quatenus, « opposita praescriptis huius Codicis », in casu, canoni 470: verum sedulo attendendum est praefatam praxim *opponi* tantummodo cuidam praescripto secundario can. 470, non vero ipsi legi: praecipuum enim obiectum legis, in casu, est ut habeatur liber Confirmatorum, secundarium ut habeatur a parochis: porro Melphicti habetur liber Confirmatorum, licet unus pro tota dioecesi, in cathedrali. At vero oppositio iuri communi, quando cadit in eo quod est secundarium, servato praecipuo obiecto legis, non videtur secumferre abrogationem praxis.

Haec tamen theoretice: in praxi autem duo consideranda sunt. Alterum est, quod dum Capitulum censet et optat in rem inducendum esse ius commune, non videtur Canonico Sacristae ius inesse **obsi**stendi, quum non agatur de re propria, sed capitulari, immo nec personam habeat Canonicus, qua, sine Capitulo, querelam movere possit. Enimvero ex actis docemur (prout iam liquet ex. gr. ex citatis verbis Constit. Synod. 1678) curam et onus conficiendi librum commissum fuisse Capitulo, seu « Cathedrali Ecclesiae », quod ad rem diligentiam seu ministerium Canonici Sacristae *postea* elegit: nonnisi quippe ab a. 1684 libri Confirmatorum exhibiti (ab a. 1614 incipientes) mentionem praeseferunt Canonici Sacristae, quae dignitas ut quinta erecta fuit

anno 1596. Ceterum rem non spectare ad Sacristam ratione propriae praebendae, sed tantum ex libera, quamvis consuetudinaria, Capituli electione, satis suadetur, hinc, quia libri Confirmatorum confectio et detentio interest boni communis dioecesis, quod curare quodammodo potest Capitulum, non vero Canonicus Sacrista: inde vero ex eo quod congruentius ad rem electa sit industria Sacristae, quia ut facile apparet, libri ipsi in Cathedrali asservandi, non melius et rectius quam in Sacristia et a Canonico huic officio praeposito asservarentur. Itaque, cum res sit capitularis, vix intelligitur quomodo Canonicus Sacrista causam habeat recurrendi independenter a Capitulo, et contra huius votum et deliberationem.

Altera practica consideratio est, quam tertia querela Canonici recurrentis suggerit, ubi conqueritur sese iam gravari decreto Vicarii Capitularis, novis *oneribus,* conficiendi exemplar authenticum pro Curia, ad normam can. 470, § 3, et nuntiandi parochis receptam confirmationem pro adnotatione facienda in libris baptizatorum, ex praescripto can. 798, unde sequitur quoque sese privari *iure* extrahendi ex libro attestationes et emolumenta pro iis percipiendi. Verum, quoad haec frustra querelas admovet contra decretum, quae potius contra Codicem sunt. Nam profecto ius extrahendi particulas ex libro consequitur ius tenendi librum, nec ab eo separari potest. Quum igitur decretum Vicarii Capitularis praesupposuerit et praeservaverit in Canonico Sacrista ius tenendi librum, ius quoque extrahendi attestationes illi servavit. Quod si rariores, immo nullae evasurae sunt petitiones particularum in futurum tempus, eo quod suscepta Confirmatio iam adnotata prostabit in libro Baptizatorum penes singulos parochos, non inde immutabitur *ius,* sed tantummodo exercitium et consequens utilitas iuris. Nova autem praescripta quae huiuscemodi exercitium et consequentem utilitatem im minuunt non sunt ex arbitrio Vicarii, sed ex ipsa lege noviter data. Et si Canonicus Sacrista suam possessionem his novis praescriptis turbatam contendit, dicere et probare debuisset proprium ius seu privilegium consistere non solum in iis tribus de quibus supra, sed etiam in *exemptione* a nova lege: quod absonum, eo ipso quia lex est nova. Si enim haec fuissent praescripta a iure antiquo et a parochis regulariter peracta, eorumdem omissio a Canonico Sacrista Melphictensi naturam induisset exemptionis cuiusdam; sed cum, nemine diffitente, sint praescripta nova, a Codice noviter dato in bonum commune inducta, turbatio iuris aut possessionis minime dicenda sunt : alioquin talia essent pro universis parochis in toto orbe terrarum.

Quum itaque a novis praescriptis exemptio ne concipi quidem possit, quumque exinde, ut ipse fuse persequitur Canonicus recurrens, ius sibi (rectius Capitulo Cathedrali) ex antiqua praxi competens, omni iam utilitate careat, immo vertatur in detrimentum non leve, propter sumptus sustinendos, plane consequitur praxim antiquam illam, quam theoretice sustineri posse post datum Codicem vidimus, practice urgendam non esse, nisi bonum commune ita requirat. Aequum enim est neminem invitum gravandum esse quin gravamini respondeat quaedam congrua compensatio. In praesenti autem emolumenta, quae levius antiquum Sacristae onus compensaban!, cessasse videntur, dum onus ipsum gravius evasit. Utilitas autem publica quae facilis apparebat quum, tempore inductae praxis, *unica* paroecia dioecesim efformabat (ita enim obtinuit usque ad a. 1663), nunc, aucto longius paroeciarum numero, minus manifesta videtur. Immo, sive agatur de confirmatis qui degunt in eadem paroecia in qua sunt baptizati (qui casus frequentior erit), sive diversa sit paroecia baptismatis et domicilii, necessarius interventus Canonici Sacristae superfluus inter parochos, multo magis quoad eumdem parochum, apparet. Quibus plane consideratis, consultais videtur, abrogata antiqua praxi, ius commune Codicis etiam pro dioecesi Melphictensi in re de qua agitur urgere.

RESOLUTIO. - In plenario conventu diei 8 februarii 1919 Emi ac Rmi Patres S. C. Concilii proposito dubio respondendum censuere:

Recursum esse reiiciendum et, attenta deliberatione emissa a Capitulo die 14 iulii 19IS, applicetur ius commune.

F actaque de praemissis SSmo Dno N. Benedicto Div. Prov. PP. XV relatione' per infrascriptum S. C. Secretarium, Sanctitas Sua, in Audientia diei 9 subsequentis, datam resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. *MORÍ, Secretarius,*

SACKA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

EXTENDITUR IURISDICTIO DELEGATI APOSTOLICI AUSTRAL ASIAE

Oceaniae Insularis remotas ac difficiles Missiones Apostolica Delegatio Australiensis hucusque non attingebat: nullam proinde hoc tempore supradictae Missiones ex eiusdem Apostolicae Delegationis institutione utilitatem perceperunt. Quo vero satius multiplicibus iisque gravibus earumdem Missionum necessitatibus atque difficultatibus per Apostolici Delegati Australasiae auxilium et consilium in posterum provideretur, attentisque sive ipsius actu Apostolici Delegati sive nonnullarum ex dictarum Missionum Oceaniae Insularis praesulum precibus hunc in finem S. huic Congregationi Christiano Nomini Propagando nuperrime oblatis, Summum Pontificem rogare visum est, ut iurisdictio Delegati Apostolici Australasiae, quae hucusque Australiam proprie dictam et Missiones Novae Zellandiae restrictive attingebat, deinceps ad omnes quoque Missiones totius Oceaniae Insularis nec non ad illas, quae in insulis Malesiae erectae sunt aut in futurum erigentur, extendatur. Quam quidem petitionem SSmo D.N. Benedicto divina Providentia, PP. XV in audientia diei 15 labentis mensis maii ab infrascripto S. huius Congregationis Praefecto humiliter oblatam j Sanctitas Sua benigne excipere dignata est, propositum consilium probavit ac ratum habuit, mandavitque ut Apostolica Delegatio Australasiae ad supradictas Missiones Oceaniae Insularis nec non Malesiae deinceps extendatur; atque praesens in re Decretum confici iussit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 20 maii, anno Domini 1919.

G. M. CARD. VAN ROSSUM, *Praefectus.*

C. Laurenti, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

BERGOMEN.

DECRETUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI PAULAE ELISABETH IN SAECULO CONSTANTIAE CERIOLI VIDUAE BUZECCHI-TASSIS, FUNDATRICIS AC PRIMAE MODERATRICIS GENERALIS INSTITUTI SORORUM A S. FAMILIA.

Inter nova Instituta, quae domesticam et civilem societatem religionis spiritu variisque caritatis operibus fovent et complectuntur, merito accensetur illud, quod, in dioecesi Bergomensi, circiter annum 1855 erectum, ab Apostolica Sede die 18 decembris 1901 adprobatum atque pueris utriusque sexus bonis moribus et arte agraria informandis destinatum, *Sororum a Sacra Familia* appellatur. Haec religiosa Sodalitas Sororem Paulam Elisabeth, in saeculo Constantiam Cerioli viduam Buzecchi-Tassis, suam fundatricem iucunda gratulatione agnoscit atque primam Moderatricem Generalem, singulari pietatis affectu, prosequitur. Haec Dei Famula, suam Familiam religiosam erigendam suscipiens, sibi suisque Sororibus perfectum exemplar validumque praesidium proposuit Sacram Familiam a Nazareth. Quod, postremis hisce temporibus, valde opportunum ac salutare cuilibet humanae Familiae coetui et societati inculcare ac procurare voluit Summus Pontifex Leo XIII fel. rec. per Apostolicas Litteras *Neminem fugit* et *Quum nuper Nobis,* dierum 14 et 20 iunii 1892, quibus Ipse, suprema sua auctoritate, Piam Consociationem universalem a Sacra Familia de Nazareth nuncupatam constituit, specialibus legibus munivit atque privilegiis et indulgentiis pro universis Sodalibus ditavit. Sed, ut de vita Servae Dei, prout de more, aliquid innotescat, ex Processu Informativo Bergomensi plane constat quod Ipsa in oppido *Soncino,* Cremonensis dioecesis, e parentibus nobilitate et pietate conspicuis Francisco Cerioli et Francisca Corniani, die 28 ianuarii anni 1816, in lucem edita est, eique in sacro fonte impositum nomen Constantia. A teneris annis se ostendit optimae indolis et ad virtutem, potissimum obedientiae, caritatis et religionis, valde propensam. Ad sacram Synaxim primitus admissa, quoties ad eam accedebat, peculiari mortificationis et solitudinis studio se disponebat. Decennis monialibus

Salesianis a Visitatione concredita fuit, ut convenienti institutione educantur; qua feliciter expleta, aetatem agens octodecim circiter annorum, paternam in domum rediit, studiis bonisque artibus instructa et a matribus suisque alumnis vehementer exoptata, secum retulit germina »eiigiosae vocationis. Ex mystica arca, veluti altera columba prodiens, ita in mundo et inter domesticos parietes se gessit, ut nihil inquinati tangeret, simulque sensuum custodia, orationis fervore et sacramentorum frequentia vitae integritatem servaret. Proposito a parentibus matrimonio, ineundo cum nobili viro domino Buzecchi, haerede Comitum Tàssis de Gomonte, pia adolescentula, ad meliora carismata aspirans, primum adversatur. Enixis tamen iteratisque parentum consiliis humiliter ac generose cedit, et, divinam voluntatem ex eis agnoscens, novi status sacrificiis, potius quam deliciis, suscipiendis, paratam se exhibet. In coniugio, quod die 20 februarii anni 1835 rite celebratum est, Constantia, iuxta praecepta et monita Pauli Apostoli, viro suo subdita et obediens, in rebus etiam sibi minus congruis et iucundis, constanter eum diligebat et metuebat. Insuper, infirma valetudine laborantem, mansueta, patiens et sedula curare satagebat, vitam cum eo ducens in perfecta concordia viginti circiter annos. Optima materfamilias domi vigilans, suavis et prudens, famulos suos hortabatur, ut essent, sicuti monet Apostolus, « servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate « servientes, sicut Domino et hominibus, scientes quod unusquisque « quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino ». E tribus autem filiis, quos illi Deus concessit, Carolum, die 16 ianuarii anno 1838 natum et unicum superstitem, christianae matris amore dilexit, eumque puerum in disciplina et correptione Domini educavit, grandiusculum vero et superioribus studiis idoneum moderatoribus Collegii Bergomensis S. Alexandri instituendum tradidit. Gyrnnasio laudabiliter expleto, in aetate sexdecim annorum, Carolus maternum gaudium in amarum luctum convertit. Nam, lethali morbo correptus, sacramentis Ecclesiae pie receptis, inter suae genitricis brachia spiritum Deo reddit, die 16 ianuarii anni 1854. Hoc etiam orbala filio, eius morientis extrema verba Constantia saepe recolebat: « Consolare, mater, quia alios habebis in filios opibus meis « sustentandos ». Paucos post menses etiam vir, ob gravem diuturnumque morbum ad extrema deductus et sacramentis roboratus, inter dilectissimae uxoris curas animam exalavit, eodem anno, in Nativitate Domini. Ita Constantia, matris et sponsae officiis vinculisque soluta, dum assiduas ad Deum preces pro suis caris defunctis effundebat, castam et beneficam viduitatem agebat, se suaque bona impendens ad miseros egenosque orphanos sublevandos. Quum aetate, divitiis vitaeque com^

modis floreret, ad alias nuptias alliciebatur, etiam oblatas a nobili et egregio viro, sed eas prudenter renuit, ut se totam divino servitio manciparet. Re quidem vera, annuentibus Iosepho Agnéses, parocho oppidi de Comonte, et Episcopo Bergomensi Speranza, Dei Famula nonnullas orphanas pauperes et ruricolas in suum palatium cogere, vestire, pascere et instruere coepit; et, crescente earum numero, assumptis in adiutrices adolescentulis probatae virtutis, hoc opus pro orphanis internis et alterum cum Oratorio festivo pro puellis externis auxit et firmavit.. Sic exortum est *Institutum a Sacra Familia* cum regulis a Fundatrice dictatis et ab Episcopo Speranza approbatis, die I[a] novembris, in festivitate Omnium Sanctorum, anni 1856. Anno autem subsequente, die 8 decembris, in festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, Sorores omnes induerant habitum religiosum ab ipso Episcopo benedictum; et Constantia, quae appellari voluit Soror Paula Elisabetha, simul cum aliis, perpetuae castitatis, paupertatis et obedientiae vota emisit, adiecto altero omnia faciendi ad maiorem Dei gloriam. Dei Famula in fundatione Instituti hunc sibi suisque Sororibus religiosis et orphanis, quas *S. Ioseph filias* vocant, et puellis externis praestituit finem: amorem et imitationem Sacrae Familiae Nazarenae. Sub hac tutela, fama Instituti crebrescente ipsoque amplificato, novae domus apertae fuerunt in oppidis *Sommo, Leffe* aliisque in locis. Insuper, spiritu et fine suae vocationis acta et caritate Chris|L urgente, post varias difficultates, consilio et opere Superiorum suaque constantia et oratione superatas, die 4 novembris anni 1863 primam domum aperuit, prope vicum *Villa Campagna,* dependentem a *Soncino,* pro pueris orphanis ac derelictis instituendis in timore Dei et in operibus agriculturae. Quam domum dirigendam commisit Ioanni Capponi, iuveni honestis religiosisque moribus et ex communi aestimatione ad rem idoneo, qui expectationi et fiduciae Superiorum optime respondit, adhibita etiam in Missionibus pro agricolis opera sacerdotum et coadiutorum a Sacra Familia nuncupatorum, qui eamdem habent fundatricem. Institutum ita efformatum magisque in dies progrediens, auctoritatis ecclesiasticae et civilis favorem, laudem et approbationem iugiter obtinuisse perhibetur. Interim Famula Dei, virtutum exercitio et caritatis operibus se perficiens, vitam ducit in Christo absconditam cum humili simplicitate; et regulas, exhortationes ac monita Sororibus, orphanis et puellis scribit et tradit, veluti extremum ac perenne sui amoris suaeque sollicitudinis pignus et memoriam. Morbus enim cardiacus, quo ipsa laborabat, invalescens, sub vespere diei 24 decembris anni 1865, sacramentali confessione peracta et ad sanctam Communionem, una cum Sororibus, die sequenti recipiendam, bene disposita, inopinato

acriori morbo correpta e vita migravit, eodem anno, in ipso pervigilio Nativitatis Domini. Per triduum exuviae omnibus expositae manserunt, ut satisfieret fidelium turmatim aftluentium votis et, solemnibus exequiis rite persolutis, conditae fuerunt in sacello gentis Piccinelli, penes *Seríate.* Ipsae autem, die 28 novembris anni 1885 rite recognitae et in pagum *Qomonte* translatae, ibidem in domo Instituti depositae quiescunt. Sanctitatis fama, qua Serva Dei vivens pollebat, post obitum magis clara et constans, ecclesiasticam Curiam Bergomensem ad Processum Informativum super ea conficiendum induxit. Quo inchoato et absoluto, ad sacram rituum Congregationem transmisso, Acta necessaria et opportuna ad quaestionem de Causa introducenda parata sunt. Quumque omnia in promptu sint, instante Rmo Dno Ioanne Biasiotti, clerico praelato Rev. Camerae Apostolicae et huius Causae postulatore, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Archiepiscoporum et Episcoporum, necnon Capitulorum, Ordinum et Congregationum religiosarum atque illustrium virorum ac mulierum. Emus et Rmus Dnus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Albanensis et eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio introductionis Causae, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei promotore generali, omnibusque accurate perpensis, rescribere censuerunt: *Signandam esse Commissionem introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 13 maii anni 1919.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Paulae Elisabeth, in saeculo Constantiae Cerioli, viduae Buzecchi-Tassis, Fundatricis ac primae Moderatricis Generalis Instituti Sororum a Sacra Familia, die 14, eisdem mense et anno.

)$l A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,

S. E. G. Praefectus.

L. >R S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACEA ROMANA ROTA

NEAPOLITANA

NULLITATIS MATRIMONII (DE ANGELIS-COSTA)

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die 15 novembris 1913, BR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Aloisius Sincero et Fridericus Cattani Amadori, Auditores de turno, in causa* Neapolitana - Nullitatis matrimonii *inter* Raphaëlam De Angelis, *repraesentatam per legitimum procuratorem Thomam Ambrosetti, advocatum, et* Thomam Costa, *interveniente et disceptante in causa Rev. Substituto Defensoris Vinculi ex officio, sequentem tulerunt in gradu appellationis definitivam sententiam.*

Ambrosius De Angelis, Casali Principis in dioecesi Aversana degens, intima consuetudine et amicitia iungebatur medico Thomae Costa, qui eum in nosocomio neapolitano gravi vulnere laborantem curaverat: eidemque filiam suam unicam Raphaelam, patrimonii paterni satis magni solam haeredem, in matrimonium petenti, inconsulta puella, eam tradere promisit. Raphaela vero, sive quia alterius iuvenis amore iam praeventa erat, sive quia a qualitate medici, morbis immundis addicti, sive denique quia personam ipsius viri, religione expertis, odio habuit, votis paternis acquiescere noluit. Preces tamen puellae et lacrymas et protestationes pater austerus nihil faciebat, nec ab alapis vel minis pepercit ad filiae voluntatem flectendam, quam tandem tristem ad altare perduxit, ubi in domo paterna die 7 augusti anni 1909 coram parocho matrimonium celebratum est. In ipsa peregrinatione nuptiali Raphaela aversionem suam a viro sibi nuper unito diversimode manifestavit et debitum coniugale implere renuit. Unde, abrupto itinere tertio die, sponsi ad domum coniugalem, Neapoli paratam, se contulerunt. Nonnisi vi adhibita matrimonium ibi consummatum est, et vix tribus mensibus ab inito matrimonio elapsis, in quibus dissidia inter coniuges frequenter eruperunt, Raphaela virum definitive deseruit et, comitante ancilla, in

domum paternam se recepit. Cum nulla spes affulgeret pacem inter sponsos conciliandi, mulier, domicilium in Helvetia nacta, a tribunali Genevensi divortii civilis sententiam petiit obtinuitque, quae a laico iudice Neapolitano, quoad effectus civiles, sancita est. Deinde, a Curia Neapolitana, die 28 aprilis 1916, petiit ut matrimonium suum ex capite vis et metus nullum declararetur, et sententiam sibi favorabilem, die 21 ianuarii anni 1918, retulit. Appellante autem Vinculi Defensore ad H. S. Auditorium, causa nobis dirimenda proponitur sub dubio consueto: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

In iure. - Summatim dumtaxat hic repetere iuvat iuris principia de impedimento vis et metus, quae in tot Decisionibus H. S. T. latius exposita sunt. Gravis metus, extrinsece et iniuste incussus ad consensum matrimonialem extorquendum, huiusmodi consensum irritum reddit ac nullum. Et metus reverentialis gravis dicendus est quoties minis adiunctus est, vel verberibus, vel precibus instantissimis et importunis.

In facto. - Omnia extrema metus gravis in casu nostro reperiuntur, iuxta concordes depositiones omnium testium, nemine contradicente, sive ab actrice producti, sive qui ex officio in iudicium vocati sunt. Raphaela De Angelis, nimirum, voluntatem matrimonium adversam ab initio usque ad finem retinuit. Solo patris imperio, viri indolis severae et pertinacis, qui minis et verberibus filiae resistentiam vincere sategit, adacta est puella ad consensum nuptiis propositis praestandum.

Ita narrat mater actricis : « Mia figlia, educata cristianamente, vedeva
« che il Costa non voleva sapere di religione, anzi, nei vari discorsi,
« fatti in casa, egli si millantava di non credere a niente e diceva di
« essere ateo e materialista. Di più, mia figlia diceva che essa non
«voleva sposare un medico, perchè aveva schifo di essi e, anche prima
« della proposta di tale matrimonio, ricordo che nei discorsi domestici,
« diceva sempre che essa non avrebbe mai sposato un medico, perchè
« li schifava. Infine, so che mia figlia aveva avuto richiesta di matri-
« monio da un altro giovane, anche di Casal di Principe, che anche a
« me sarebbe piaciuto, ma che il padre non volle per niente accettare,
« avendo costui 14 anni di più di mia figlia, e vi si oppose recisamente,
« e non fu mai possibile rimuoverlo dalla sua decisione. ... i precedenti
« di questo matrimonio furono una continua ribellione di mia figlia verso
«il padre e di imposizioni da parte di costui. >

« Mia figlia ne piangeva continuamente con me, mi diceva che
« assolutamente noti avrebbe sposato il Costa e, se il padre l'avesse

«obbligata, non avrebbe mai fatto vita coniugale col Costa. Il padre « la minacciava, e ben tre volte alla presenza mia e di altre persone « l'ha battuta, perchè mia figlia diceva chiaramente di non voler spo- « sare il Costa.

« Mia figlia arrivò al punto di andarsi a nascondere quando veniva « in casa il Costa nei pochi mesi di fidanzamento, ma il padre, coi suoi « modi autocratici ed austeri, l'obbligava ad uscire, imponendole di non « far comprendere a chicchessia la volontà di lei contraria a questo « matrimonio. Ed io, per quanto avessi interposto i miei buoni offici « verso mio marito, non ho potuto mai rimuoverlo dalla decisione presa « di dare nostra figlia al Costa. Più volte io ne ho pianto : ma le mie « lagrime a nulla valevano ».

De modis inurbanis et rudibus erga futurum sponsum a muliere adhibitis, quibus aversionem suam a nuptiis propositis haud obscure manifestavit, deponunt, praeter actricis matrem et alios testes, ipse Thomas Costa et ancilla familiae De Angelis, Iosepha Dello Iacono.

De minis privationis bonorum familiarium nec non de verberibus etc. loquuntur plures testes. Ita Iosepha Dello Jacono: « Ricordo a preferenza « che vi erano continui disturbi fra il padre e la figlia; questa a dire « che non voleva il Costa, e quegli a minacciarla, dicendo che llavrebbe « privata di tutti i suoi beni, che ne avrebbe fatta donazione a qualche « ospedale. Ed essa gli rispondeva con insistenza che si contentava di «vivere poveramente, purché non fosse obbligata a sposare il Costa. « Tra le altre cose ricordo che quando il Costa veniva in casa, la signo- « rina D. Raffaela si andava a nascondere, ed il padre la obbligava ad « uscire, giungendo talvolta a percuoterla, dandole delle ceffate ». Mater actricis ait: « Mio marito impose (a Raffaela) tale matrimonio con « minaccie di diseredarla, di chiuderla in monastero, di privarla anche « di me, sua madre ». Quae minae confirmantur ab aliis testibus, Vincentio Borrato, Amalia Ucciero, Ioanne Messore, Michaele Del Vecchio et Catharina Franzese.

Seriam omnino fuisse intentionem patris filiae reluctantiam vincendi per minas et verbera et modos austeros elucet ex ipsius indole imperiosa et tenaci, quam omnes testes declarant, dum e contra mite et submissum fuisse filiae ingenium testantur : non tamen adeo submissum ut a protestatione contra nuptias sibi impositas abstinere! Ita mater actricis: « L'indole e il carattere di mia figlia è bonario e reli- « gioso, ma non manca d'energia, senza che però venga meno all'obbe- « dienza ai suoi genitori; ma in questo caso essa si mostrò più ener- «gica di quello che io poteva credere, giacché non desistette mai dal

«dire: " Io non sposerò mai il Costa,,, fino a subire le percosse del « padre, come già ho accennato. Mio marito poi era di carattere fermo « ed autocrate, e quando diceva una cosa, voleva ad ogni costo essere « obbedito, nè permetteva che si fosse fatta la minima osservazione a « quanto egli imponeva ». Similiter deponunt Antonius Tortora, Gerardus Fischetti, Franciscus Blanco, Vincentius Borrato, Iosepha et Nicolaini Dello Jacono, necnon plures alii.

Nonobstante tamen coactione paterna, resistentia filiae perseveravit usque ad diem nuptiarum, cum illo ipso die, paullo ante matrimonii celebrationem, matri declaraverit se nolle acceptare sponsum sibi invisum. Sic narrat mater ipsius: « La mattina della celebrazione del m atri*' « monio, mentre tutto era preparato per la benedizione nuziale, mia « figlia resistette innanzi a me ed alla mia cameriera Giuseppina Dello « Jacono, sorella della nostra sarta, fino al punto di piangere, e disse: « " Io farò uno scandalo innanzi al Parroco, perchè non voglio sposare « il Costa „. La prendemmo con le buone per farla vestire degli abiti « nuziali, ma essa pigliava tempo e non voleva vestirsi, finché, essendo « intervenuti gli amici, lo sposo, il parroco ed il sindaco, mio marito « entrò nella camera da letto ed impose alla figlia di sbrigarsi, e non « si mosse finché essa non fu vestita di tutto punto; le disse, di asciti-: « garsi gli occhi, di non far capire a nessuno quello che essa aveva « nel suo interno, e minacciandola la prese per il braccio e la condusse « nella stanza preparata per la celebrazione del matrimonio ». Ancilla Dello Jacono huiusmodi declarationem matris actricis in omnibus confirmat.

Denique, fere omnes testes, qui celebrationi matrimonii aderant, de tristitia abnormali sponsae referunt, ita ut ad funus vel ad patibulum potiusquam ad nuptias accedere videretur. « L'impressione che ne ebbi - « ait A. Tortora - fu di una donna condotta al macello ». Et G. Fiscetti: « La cerimonia..., anziché una festa di nozze, era apparsa un funerale, « dato il comportamento della sposa ». Francus Paschale et Expositus Paschale « riportarono l'impressione che la sposa, anziché a nozze, « avesse l'aspetto di andare al patibolo ».

Porro circumstantiae matrimonium consequentes animum mulieris matrimonio semper invisum ostendunt: iter nuptiale, nimirum, ob dissidia sponsorum inopinate abruptum; debitum coniugale a sponsa recusatur^ prout coniuges affirmant et mater actricis tempore non suspecto ab eisdem didicit; iurgia frequentia inter coniuges, et tandem, post tres menses communis vitae, sponsae fuga, quin ad domum coniugalem unquam redire voluerit.

Quibus omnibus, tum in iure, tum in facto perpensis, Nqs infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus ac definitive sententiamus, proposito dubio respondentes: *Affirmative, seu constare de nullitate matrimonii in casu:* statuentes, praeterea, actricem, Raphaelam De Angelis, ad expensas iudiciales solvendas teneri.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim cap. 3, sess. XXV", *De ref.*, Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 15 novembris 1918.

Ioannes Prior, *Ponens.*
Aloisius Sincero.
Fridericus Cattani Amadori.

L. % S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae

Sac. T. Tani, *Notarius.*

SUPREMUM
SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

PADERBORNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (DE LAFFERT-BARTELS)

In plenaria Supremi Tribunalis Sessione apud Vaticanum habita die 10 mensis maii 1919 Emorum Patrum examini subiectus est recursus dominae Olgae De Laffert, *adversus sententiam a Sacra Romana Rota latam in causa de qua supra die 27 iulii 1917, ad obtinendam nullitatem dictae sententiae. Relatore autem Emo ac Rmo Card. Donato Sbarretti, propositis dubiis, scilicet:*

1) *Sitne hulla Rotalis sententia in casu et sitne locus eius cifcumscriptioni ?*

Et quatenus negative:

2) *Sitne locus restitutioni in integrum in casu?*

EE. PP. responderunt :

Remittatur quaestio pro novoÂxamine ad S. Romanam Rotam; et extendatur decisio.

De expensis denique iudicialibus Supremum idem Tribunal decrevit eas ab Actrice esse sustinendas.

Decisio itaque est prouti sequitur :

Die 14 aprilis anni 1899, in Castello Lhesen, apud Wittemburg, coram ministro acatholico matrimonium inierunt Carolus Bartels et haronissa Olga von Laffert, sectae luteranae-evangelicae addicti. Dissidia et iurgia post matrimonium inter coniuges non semel fuerunt; et quamvis bina nata fuisset proles, non dubitavit mulier, anno 1907, maritalem deserere domum. Frustra vir eam adnixus est invitare, imo et legis ministerio adigere, ut ad eum reverteretur: non cessit mulier.

Ea propter vir adactus fuit divortii sententiam flagitare a laico tribunali civitatis Bielefeld, quae re vera lata est contra mulierem *: La convenuta viene dichiarata come parte colpevole,* sub die il martii anni 1909. Qua sequuta, Olga civiliter copulata est viro catholico baroni Adulpho von Spiegel.

Exinde tamen necessarium visum fuit novis coniugibus legitimum inter se iniri matrimonium. Ast praecedens oportebat abrumpere vinculum. Et mulier, nulla interposita mora, ad hoc, tribunalis Ordinarii Curiae Paderbornen. iudicium provocavit, ex capite *vis et metus.* Sed vix ab exordiis haec ab Olga deducta actio, forte temeraria visa fuit, ita ut et instantia et informationes praeviae in archivio Curiae sepultae remanserint, cum ex causae actis nihil resultet.

Quadriennio post, anno 1913, baronissa von Laffert rescivit sui primi coniugii nullitatem peti posse ex alio titulo, scilicet *ex defectu, consensus,* cum ipsa asserat quando Carolo nupsit consensum dedisse cum conditione *contra bonum Sacramenti,* i. e. foedandi per divortium matrimonium. Quod et fecit. At spe frustrata est; nam, discussa causa apud Curiam episcopalem Paderbornen., die 5 augusti 1914 sententia lata est favore vinculi, sub his verbis : *Vien dichiarato come giusto che il matrimonio concluso il 14 aprile 1899 tra Carlo Bartels ed Olga di Laffert non può essere considerato come invalido.*

Ab hac sententia appellavit mulier ad S. Romanae Rotae Tribunal, in quo disceptata causa fuit, etiam cum suppletiva actorum inquisitione. Sed tandem, die *¥1* iulii 1907, etiam S. Rotae Auditorium sententiam dedit vinculo amicam, dixitque *Non constare de matrimonii nullitate.*

Die vero 26 novembris 1917 pro parte actricis recursus datus est penes Supremum hoc Signaturae Apostolicae Tribunal, ut Rotalis sententia *nulla vel circumscripta* declararetur, aut, sin minus, beneficium impertiretur *restitutionis in integrum,* ex eo quod *violata lex* fuerit *factumque perversum.*

Itaque, constituto Vinculi defensore, eiusque habitis animadversionibus, die 10 maii 1919, causa, referente Emo P. D. Donato Card. Sbarretti, in plenaria Sessione Emorum Patrum H. S. T. pertractata est, et decisio prodiit: *Quaestio remittatur ad S. B. Botam pro novo examine; et extendatur decisio.*

Quamvis in iudicando de re agatur acta et deducta ante novi Codicis promulgationem, seu eo nondum vigente, iura tamen tunc praesentem quaestionem regulantes cum novi Codicis dispositionibus concordant.

Eminentissimi Patres itaque imprimis animadverterunt quod sententia rotalis impugnata non laboret vitio nullitatis *insanabili,* de quo in can. 1892 novi Codicis, neque vitio *sanabili,* de quo in can. 1894, quae iudicis iurisdictionem vel processus formam aut sententiae requisita respiciunt. Non defuit enim citatio, neque mandatum, neque iurisdictio;

adfuit vinculi defensor (can. 1586,1967*sq.) atque sententia cum motivis seu rationibus decidendi lata est, riteque subscripta, cum praescriptis indicationibus, prout in can. 1873 sqq. Recursus de his non loquitur. Quod autem asseritur violatam legem fuisse, hoc quidem nullam sententiam reddidisset, nam regulariter quidquid fit contra ius, nullius roboris est (c. 8, *De sent. et re ind., Reg. 64 Iur.,* in 6°).

Porro lex quae violata fuisset, iuxta recursum H. S. T. oblatum, haec est, dispositio nempe iuris, qua edicitur quod, in causis matrimonialibus, « consanguinei et affines habentur testes habiles in causis * « suorum propinquorum » (instr. *Cum Glossa,* S. Congr. Conc., sub die 22 augusti 1840; can. 1974 novi Codicis). Sed, in hoc, Emi Patres iudicarunt sententiam rotalem legem servasse, quia non solum consanguineos et affines actricis testes habiles censuit S. R. Rota, quos in Curia Paderbornen. Iudex excusserat, sed etiam eorum iussit suppletivam haberi auditionem. Ideoque obiecta legis violatio, in casu, minime fuit, seu sententia lata non est contra *ius constitutionis.*

Ad alteram nullitatis rationem quod attinet, seu circa *factorum perversionem;* si hoc fecissent iudices rotales, utique circumscribenda lata sententia foret, quia quoties iudicium profertur super errore substantiali, ex *facto perverso,* idem est ac si latum fuisset super documentis corruptis, vel super falsis testimoniis (cap. 1 *et 9 de sent. et re iud.;* Lega, *De Iudic,* par. I: n. 700; Santi-Leitner, *Proel. Iur. Can.,* lib. II, tit. XXVII, n. 15; Pirhing, h. t., n. XLIII). «Iam vero nomine perver« sionis [factorum] huiusmodi profecto venire non potest quilibet error « in quem sive in percipiendis sive in aestimandis factis inciderint infe« riores iudices, sed significatur tantum - attenta quoque ipsius vocis « genuina vi - talis factorum corruptio quae iudicum mentem in edenda « sententia a veritate agnoscenda- prorsus abduxerit » (H. S. T. *In una Salutiarum, Iurium* sive *nullitatis sententiae rotalis,* 13 maii 1916). Super quo explicite declarata fuerat H. S. T. competentia, videndi scilicet recursus datos adversus rotales sententias, quae factorum veritatem pervertisse accusarentur *(Chirographo* Benedicti XV, diem 28 iunii 1915).

Recursus dicit iudices rotales in hoc arguendos esse *de facti perversione* et legis violatione, quod depositiones testium, favore actricis factas, suspectas dixerunt, ex sola qualitate propinquitatis, aut amicitiae, aut religionis, non ex iuridica et rationabili exceptione : *La sentenza rotale, dopo aver escluso come non idonei i testi che seppero dell'intenzione di far divorzio dopo il matrimonio, di tutti quelli che lo seppero prima, e quindi in tempo non sospetto, si sbarazza disinvoltamente così:* « Hi testes consanguinei sunt, domestici et amicitiae vinculo

«coniuncti, et, quod gravius e£t, omnes protestantium sectis addicti, «iuxta quas matrimonii institutum certis in adiunctis solubile creditur: « suspicio proinde adest eos voluisse morem gerere Olgae, ut legitimo «vinculo cum viro nobili ac di vite possit ligari ».

Legitur item in rotali sententia: «Olga de Laftert in suo libello «introductivo dicit se, cum non potuisset, obsistentibus parentibus, « abrumpere sponsalia inita cum D. Bartels, matri declarasse: *Io Io « sposo perchè comprendo che non posso fare altrimenti: io lo devo fare,* » *« ma solo con la condizione che voialtri non farete nulla contro il mio « divorzio e nuovamente mi riprenderete in casa : temo che questo giorno « verrà presto.* Et prosequitur: *Mia madre me lo assicurò, ed io che sen- « tivo che quest'uomo (Bartels) non si sarebbe più cambiato, fui oVinten- « zione di separarmi da lui alla prima occasione, che io credevo che egli «mi avrebbe presto procurato, e precisamente per reciproca antipatia. Mi «sono espressa con diversi in questo senso.* At quod actrix asserit, con- « cludenter non probavit, nam si tabulae processuales attenduntur, « prudens exstat dubium de opposito, quod sufficit iuxta instructionem « S. Officii 1883, § 39, ut iudicium contra matrimonium, quod factum « publicum et solemne est, non pronuntietur ».

Ex quo apparet quod iudices rotales tabulas processuales sedulo considerarunt; et ex his, uti in sententia impugnata legitur, contradictiones actricis et exaggerationem illius matris, circa Olgae intentionem foedandi coniugium per divortium, atque circumstantiam ignorantiae huiusmodi intentionis, pro parte testium, qui catholicam profitentur Reli gionem. Unde eisdem iudicibus « credendum fuit quod naturae negotii « convenit et quod inimicitiae aut gratiae suspicione caret, confirmando « motum animi sui ex argumentis et testimoniis, quae rei aptiora esse « compererunt » (cap. 3, Con. IV, Quaest. II et III). Itaque quia « Pro- « bationes aestimare iudex debet ex sua conscientia », et, in casu, iudices rotales moralem non habuerunt certitudinem, quae requiritur ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae (can., 1869), prorsus legi conformis dicenda est impugnata sententia, *qua, non constare* edicitur *de matrimonii nullitate.* In Instr. S. G. *de Prop. Fide,* data anno 1883, § 40, praecise hoc iudicibus matrimonialium causarum praeceptum est: « Cete- « rum in hac re iudex sciat matrimonium esse per se factum solemne « et publicum, quod de per se validum censeri debet, nisi *evidentes « rationes* eiusdem *nullitatem demonstraverint.* Ideo curandum quidem « omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudi- « cium contra matrimonium numquam erit pronunciandum nisi eorum « complexio *omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat».*

Quapropter Emi Patres censuerunt quod sententia rotalis impugnata, cum nec factum perverterit, nec legem violaverit, neque nullitate laborat, neque gladio circumscriptionis iugulanda est. Etenim « odio- « sissima profecto res a lege traducitur circumscriptio, et acerbissimum «putat illud omne delere quod coram Iudice factum est... si qua nimi- « rum esse potuerit vel remotissima dubitatio, concedenda ne sit an « deneganda circumscriptio, lex quidem imperat ut acta valere respon- « deamus » *(Sign, lust.,* Decis. 25 ianuarii 1838, *Fabrianen.* seu *Lauretana, Circumscriptionis,* coram Lippi, n. 11).

Quoad alteram recursus partem, animadverterunt Emi Patres iura semper privilegiatas habuisse causas matrimoniales, ita ut numquam in rem transeant iudicatam, semperque retractari possint, servatis servandis (cap. VII, *de sent. et re iud.;* Const. *Dei miseratione,* § XI; novi Codicis, can. 1903 et 1989); ideoque cum *Restitutio in integrum* remedium sit extraordinarium, praesertim adversus sententias, quae in rem iudicatam transierint (can. 1905), in hac re locum habere non posse dixerunt. Attamen perpendentes iidem Emi Patres quod in hac causa forsan depositiones minus aestimatae fuerint quam meruissent; quodque actrix, per suum procuratorem, dicat *(Restr. Resp. ad animadversiones Vinculi Defens. H. S. T., circa fin.)* sibi praesto esse alios testes ad probandam suam intentionem foedandi matrimonium, quos inter Parochum catholicum *Müschen;* et considerando ideo conditionem adesse a iure requisitam (cit. Const. *Dei miseratione* et novus Codex, can. 1903 et 1989), scilicet causas matrimoniales semper retractari posse, quoties nova eademque gravia argumenta vel documenta proferantur, censuerunt remittendam esse quaestionem ad S. R. Rotam pro novo examine.

In expensis autem iudicialibus Supremum idem Tribunal decrevit eas ab actrice esse sustinendas.

Atque ita editum est, pronunciatum, decretum, declaratum ac definitive iudicatum, mandatumque ut haec definitiva sententia publici iuris fieret, et ab omnibus ad quos spectat exsequutioni mandaretur; non solum, etc.; sed et omni, etc.

Datum ex aedibus Supremi Tribunalis, die 31 maii 1919.

Iosephus Fameli, *Signaturae Votans.*

VISA

Evaristus Lucidi, *S. A. S. T. a Secretis.*

L. % S.

Iosephus adv. Fornari, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì **3** giugno 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è tenuta la Congregazione *Particolare* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali ed i Rmi Prelati officiali componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto sopra le seguenti materie :

1) intorno alla validità di tutti i Processi Apostolici ed Ordinarli costruiti nella Curia di Bayonne per la Causa di beatificazione e canonizzazione del Ven. Lodovico Edoardo Gestae, fondatore della Congregazione delle Serve di Maria;

2) intorno alla validità ed al rilievo del Processo Apostolico costruito nella Curia di Napoli, sopra la fama di santità della vita, delle virtù e dei miracoli in genere del Ven. Lodovico da Casoria, sacerdote professo dei Frati Minori, fondatore della Congregazione dei Frati della Carità, Terziari Francescani, detti *Frati Bigi;* e delle Suore di Santa Elisabetta, parimenti Terziarie Francescane, dette *Suore Bigie;*

3) intorno alla validità ed al rilievo del Processo Apostolico costruito nella Curia di Moulins, sopra la fama di santità della Serva di Dio Lodovica Teresa Montaignac De Chauvance, fondatrice della Pia Unione delle Oblate del Sacro Cuore di Gesù ;

*** 4)** intorno alla validità ed al rilievo del Processo Apostolico costruito nella Curia di Roma sopra la fama di santità della vita, delle virtù e dei miracoli in genere della Ven. Lucia Filippini, fondatrice dell'Istituto delle Maestre Pie da lei denominate *Filippini;*

5) intorno al culto, in ossequio ai Decreti di Urbano VIII, non mai prestato al Servo di Dio Guglielmo Giuseppe Chaminade, sacerdote, fondatore della Società di Maria, detta dei *Marianisti;*

6) e parimenti intorno al culto, in ossequio ai Decreti di Urbano VIII, non mai prestato al Servo di Dio Giovanni Battista Stoeger, laico professo della Congregazione del Ssmo Redentor e. «

Martedì 17 giugno 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati ed i Consultori teologi componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto

dapprima sul dubbio detto del *Tuto* per la solenne Ganonizzazione della Beata Giovanna d'Arco, detta la Pulzella di Orléans; e dipoi sul dubbio del *Tuto* per la solenne Beatificazione della Venerabile Lodovica De Marillac, vedova Le Gras, confondatrice dell' Istituto delle Figlie della Carità ; quindi sul dubbio intorno al martirio, alla causa del martirio ed ai segni o miracoli delle Serve di Dio Maria Maddalena Fontaine e di tre Compagne di lei dell'Istituto delle Figlie della Carità, insieme alle Serve di Dio Maria Clotilde Angela di S. Francesco Borgia e di dieci Compagne di lei dell'Ordine delle Orsoline del Monastero di Valenciennes, tutte uccise, come si asserisce, in odio alla Fede.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare :

31** maggio **1919. L'Emo signor Cardinale Guglielmo Van Rossum, *Protettore dell'Istituto Venerini.*

» » » L'Emo signor Cardinale Aidano Gasquet, *Protettore dell'Istituto delle Suore dell'Immacolata Concezione, in Barcellona.*

» Mons. Achille Ratti, Visitatore Apostolico della Polonia, *Nunzio Apostolico presso la detta Repubblica.*

» *TU* Emo signor Cardinale Vittorio Amedeo Ranuzzi de' Bianchi, *Protettore del Sacro Militare Ordine Costantiniano di S. Giorgio.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

12** giugno **1919. Mons. Paolo Maria Reynaud, vicario apostolico del Ce-Kiam Orientale.

Protonotari apostolici ad instar participantium :

27** maggio **1919 Mons. Marcello Henry, delift diocesi di Verdun.

» » » Mons. Carlo Nicola Gattinois, delk, medesima diocesi;

Prelati Domestici di S. 8.: *

11 gennaio 1919. Mons. Alfredo E. Manning, della diocesi di Toledo in America.
18 febbraio » Mons. Patrizio I. Mac Donnei, dell'archidioeesi di Chicago.
4 aprile » Mons. Giacomo Giuseppe Bennet, della diocesi di Rockford.
» » » Mons. Clemente Kalvelage, della medesima diocesi.
24 maggio » Mons. Ferdinando Semerano, della diocesi di Ostuni.
12 giugno » Mons. Ludovico Arce Ruesta, dell'archidioeesi di Lima.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

29 maggio 1919. Al sig. dott. Marco Fidel Suarez, presidente della Repubblica di Colombia.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile :

29 maggio 1919. Al sig. Giuseppe Emanuele Goenaga, già Ministro di Colombia presso la S. Sede.
5 giugno » Al sig. Emanuele Giorgio Forbes de Bessa, già Ministro del Portogallo presso la S. Sede.

La Gran Croce dell'Ordine di 8. Gregorio Magno, classe militare:

3 maggio 1919. Al sig. generale barone Yoshinao Hatano, Ministro della Casa Imperiale del Giappone.

La Commenda con placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

5 giugno 1919. Al sig. Felice de Barros Cavalcanti de Lacerda, dell'archidioeesi di Rio Janeiro.

La Commenda con placca dell'Ordine di 8. Gregorio Magno, classe militare:

3 maggio 1919. Al sig. luogotenente generale Kenzo Ishiwara, vice-ministro della Casa Imperiale del Giappone.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

6 giugno 1919. Al sig. avv. prof. Ataúlfo Ñapóles de Paiva, dell'archidioeesi di Rio Janeiro.
13 » » Al sig. Salvatore Cardenal, residente in Granada (Nicaragua).

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

3 maggio 1919. Al sig. colonnello Naomichi Watanabe, maestro di cerimonie nella Corte del Giappone.

» » » Al sig. colonnello Kenkichi Yoshizawa, capo della sezione del protocollo e personale al Ministero degli Affari Esteri in Giappone.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

20 maggio 1919. Al sig. Marziale Boudet, dell'archidiocesi di Parigi.

» » » Al sig. Teotisto Lefevré, della diocesi di Evreux.

24 » » Al sig. Leone Claudio Jouas, dell'archidiocesi di Parigi.

29 » » Al sig. Giuseppe Emanuele Goenaga, già addetto alla Legazione di Colombia presso la S. Sede.

18 giugno » Al sig. Ivo Vauquelin, della diocesi di Moulins.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

3 maggio 1919. Al sig. comandante Yeishun Kimura, segretario dell'ufficio delle forniture della Casa Imperiale del Giappone.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

3 maggio 1919. Al sig. generale conte Ujitaka Toda, gran maestro di cerimonie nella Corte del Giappone.

La Commenda dell' Ordine di S. Silvestro Papa :

3 maggio 1919. Al sig. luogotenente colonnello Hachiro Saionji, maestro di cerimonie nella Corte del Giappone.

» » » Al sig. luogotenente colonnello Yoskitoshi, maestro di cerimonie nella Corte del Giappone.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

3 maggio 1919. Al sig. Saneatsu Tokudaiji, luogotenente in prima nella cavalleria giapponese.

» » » Al sig. Yuji Takahashi, *attaché* diplomatico giapponese.

13 giugno » Al sig. Umberto Bellotto, del Patriarcato di Venezia.

» » » Al sig. Luigi Masetti, dell'archidiocesi di Bologna.

MAGGIORDÖMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Riña Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

21 *maggio* ***1919.*** Mons. Alberto Bartolomasi, dell'archidioeesi di Torino.
30 » » Mons. Vincenzo Tuzii, della diocesi di Aquino, Sora, Pontecorvo.
5 *giugno* » Mons. Giovanni Battista Maiolo, della diocesi di Alba.
7 » » Mons. Giuseppe Giondini, dell'archidioeesi di Firenze.
» » » Mons. Pietro Bianchi, della medesima archidiocesi.
11 » » Mons. Guglielmo van Stee, della diocesi di Harlem.
12 » » Mons. Antonio Lizza, dell'archidioeesi di Genova.
» » » Mons. Alessandro Paglia, della diocesi di Foligno.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

2 *giugno* ***1919.*** Mons. Luigi Lauletta, dell'archidioeesi di Santa Severina.
12 » » Mons. Alfio D'Agata, di Roma.

Cameriere d'onore extra Urbem *di S. S.:*

il *giugno* ***1919.*** Mons. Pietro Maria Castañeda, dell'archidioeesi di San Giacomo del Cile.

Cameriere d'onore di Spada e Cappa di numero *di S. S.:*

25 *giugno* ***1919.*** Comm. Paolo Croci, di Roma.

' NECROLOGIO

22 *giugno* ***1919.*** Mons. Giovanni Emanuele Sanz **y** Saraiva, Vescovo di Jaen.

Annus XI - Vol. XI 1 Augusti 1919 Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

AD GERMANIAE EPISCOPOS I PACE TANDEM SANCITA, OPPORTUNA MONITA PROFERT QUIBUS, CATHOLICAE ECCLESIAE OPERA, QUAMPRIMUM BELLI DAMNA RESARCIANTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Diuturni luctuosissimique belli tandem nationi vestrae finis illuxit* pace sancita, obsidio illa maritima tandem sublata est, quae tam multos, belli nullo modo participes, istic praesertim interemit. Quapropter, venerabiles fratres, Nos, qui, utriusque partis belligérantes paterno animo complexi, nihil reliqui fecimus quod vel ad tantum incendium extinguendum vel ad eius miserias minuendas pertineret, singulares Deo omnipotenti grates vobiscum universaque cum gente vestra persolvimus.

Iam hoc agitur apud vos, ut immensa belli damna quamprimum resarciantur: quam quidem ad rem, quoniam nihil tam valet quam Ecclesiae Catholicae opera, cui divina gratia accesserit, ideo has dare ad vos litteras constituimus.

Primum, ne in Germania perturbationes publici ordinis erumpant, quae possunt eidem atque adeo ipsi Europae exitium afferre quod aliis nationibus dolemus imminere, omni ope nitendum est, ut quae ad victum necessaria sunt populo suppetant. Ob hanc causam vos, venerabiles fratres, parochis adhibitis ceterisque de clero, quibus maior est cum populo consuetudo, fidelibus, qui agros incolunt, instabitis ut, quantum

parcendo possunt, tantumdem cibariorum urbanis fame laborantibus praebere ne recusent. Id omnino in hac summa necessitate temporis lex iubet caritatis; quae si.omnes, vel inimicos, complectitur, eos vult peculiari modo a nobis diligi, quibuscum communis patriae vinculo coniungimur. Insuper confidimus fore ut quotquot sunt homines cultarum nationum, maximeque catholici, isti populo, quem ad extrema redactum scimus, opitulari maturent, non modo periculorum metu, verum etiam eiusdem humanae familiae communione et christianae caritatis necessitudine adducti. Illud enim semper meminisse omnes debemus quod sanctus Ioannes Apostolus clamat: « Qui habuerit substantiam « huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit «viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, « non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate » *(Epist. 1,* III, 17-18).

Deinde, venerabiles fratres, omnem sacri muneris auctoritatem unusquisque vestrum convertat oportet ad sananda ea, quae bellum nationi vestrae peperit aut exasperavit, vulnera animorum. Tn quo potissimum labes abolenda erit odii cum adversus externos quibuscum dimicatio fuit, tum inter cives quos partium studia dissocient; atque eius loco excitanda, quae a Iesu Christo est, fraterna caritas, cui nulli sunt fines populorum, nulla inter civium ordines certamina. Quod nuper in sacro Consistorio significavimus, illud ipsum hic iteramus votum, « ut « homines populique inter se vinculis denuo consocientur christianae « caritatis, quae si desit, omnis de pace conventio frustra erit ».

Vos profecto, venerabiles fratres, ut pastores boni iidemque pacis caritatisque administri, omnem vestram diligentiam industriamque in hac causa adhibebitis, non cessantes communibus cum clero populoque vestro precibus propitium implorare Deum. Quod ad Nos attinet, vobis in hoc patriae vestrae summo discrimine non sane defuturi sumus; sponte enim paternus animus illuc fertur studiosior, ubi filiorum est necessitas maior, exemplo nimirum amantissimi hominum Redemptoris, qui, multitudine graviter laborante commotus, memorabilem illam edidit vocem: *Misereor super turbant.* Auspicem interea divinorum munerum ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, vobis, venerabiles fratres, et omnibus, qui curae vestrae sunt concrediti, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xv mensis iulii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

EPISTOLAE

I

AD R. P. MAURUM PARODI, CONGREGATIONIS OLIVETANAE ABBATEM GENERALEM, DG ANNO EXACTO AB EA RELIGIOSA FAMILIA CONDITA.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Gratum Nobis accidit quod non ita pridem obsequentissimis litteris nuntiabas, vos proxime sacris sollemnibus esse celebraturos plenum annum sexcentesimum ex quo ista, quam moderaris, Congregatio Olivetensis condita est. Etenim per hanc laetabilis facti commemorationem natura continget ut vel solito attentius ipsi sancta legiferi Patris recolatis exempla, qui, cum, praesentissima divinae Matris ope, instituti sui fundamenta iecisset, idque virtutum omnium laudibus nobilitasset, tandem una cum octoginta disciplinae suae alumnis caritatis victima mortem oppetiit. Habetis igitur hanc maxime, quam aemulemini, duplicem gloriam a maioribus traditam: insignem erga Beatissimam Virginem pietatem et singulare studium alienae salutis. Etenim haec omnium domina et regina virtutum, caritas, latissime patet, hodie praesertim cum, diuturno hoc bello, tam multa tamque magna usquequaque detrimenta odium attulit. Quot enim sunt vel dolores consolandi, vel egestates sublevandae, vel tuendae ac sustentandae orbitates ! Ad haec, diffusis pravitatis erroribus pervulgatisque corruptelarum illecebris, quanta vulgo maximarum rerum ignoratio, quanta sempiternae salutis oblivio ! Tam vero hic tamquam acervus omnis generis miseriarum ab ipsa christiana caritate aut medicinam aut saltem levationem aliquam exspectat; quod certo maxima ex parte eveniet si, bonis adnitentibus, multitudo ad christianae vitae professionem actionemque revocetur. In hoc autem omnes quidem debent, quantum possunt, conferre, nam Deus *mandavit unicuique de proximo suo: ai* multo magis ii debent qui ex instituto, ut vos, et domesticarum laudum memoria excitati, bene de proximo mereri consueverunt. Quare sumite animos, et, patrona Virgine Dei Matre, pro communi bono vel alacrius contendite. Suppleat Sodalium exiguitatem caritatis ardor: quae virtus cum mirifice valeat ad alliciendos animos, in spem ingredimur fore ut alios etiam vestrae adiungat Sodalitati. Ita haec saecularia sollemnia non modo vobis singulis, sed cunctae isti Congregationi proficient; id quod vehementer et optamus et a Deo precamur., Hanc ob causam itemque ad augendam rei sollemnitatem, libentes vobis damus ut, intra finem vertentis anni, cum apud vestra coenobia saeculare

festum celebrabitis, quicumque coenobii aedem inviserint, plenariam indulgentiam, consuetis Ecclesiae conditionibus, semel tuerentur. Ac caelestium auspicem munerum praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et universae cui praesides religiosae familiae apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die x vir mensis iunii MCMIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. P. ANDREAM FERNANDEZ, E SOC. IESU, PRAESIDEM PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI URBIS, DE DOMO, QUAE EIUSDEM INSTITUTI ACCESSIO SIT, HIEROSOLYMIS APERIENDA.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Pontificium, cui tu praesides, huius almae Urbis Institutum studiis Scripturae sacrae provehendis cordi Nobis esse probe nosti vel ex ea gratulantis animi significatione qua doctos labores vestros nuper ornavimus. Quamobrem existimare potes, quam libenter didicerimus ex tuis litteris, quod decessor Noster sanctae memoriae Pius X vobis mandatum dedisset, id vos, bello usque adhuc prohibitos, proxime effecturos esse aperienda Hierosolymis domo divinorum Librorum cultoribus, quae quidem domus non sit veri nominis schola in qua omnes de re biblica tradantur disciplinae, sed tamquam accessio quaedam sit et quasi complementum istius Instituti Romani, ibique peculiaria tantum habeantur magisteria, ut geographiae, archaeologiae, epigraphiae semiticae. Profecto qui ad Bibliorum studia se totos contulerunt, cum hebraeam linguam graecamque perceperint, atque in exegetica, in historia biblica, in similibus rebus satis versati fuerint - id quod optime fit Romae, te praeside - iidem debent aliquamdiu in Palaestina commorari, ut ipso admonitu locorum, ubi tanta etiam nunc halat sacrae antiquitatis aura, perfectius quiddam in hoc genere attingant. Nos igitur magnopere vestrum laudamus consilium, eique ut successus prosperos Deus det, enixe precamur. Divinorum autem munerum auspicem Nostraeque benevolentiae paternae testem, tibi, dilecte fili, et omnibus Instituti istius doctoribus alumnisque apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxix iunii, in festo Principum Apostolorum, MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACKA CONGREGATIO S. OFFICII

• • . i

DECRETUM

DE PARTICIPATIONE CATHOLICORUM SOCIETATI « AD PROCURANDAM CHRISTIANITATIS UNITATEM».

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, habito feria IV", 2 iulii 1919, proposito dubio: « Utrum instructiones huius « eiusdem Supremae Sacrae Congregationis, latae die 16 septembris 1864, « circa participationem catholicorum cuidam societati Londini erectae « ad *procurandam, ut* aiebant, *christianitatis unitatem,* applicandae sint, « et a fidelibus servandae etiam quoad eorundem participationem con- « ventibus quibuscumque, comitiisque publicis vel privatis ab acatho- « licis indictis, qui finem sibi praestituunt unionem procurandi omnium « coetuum christianorum nomen sibi vindicantium »; Emi ac Rmi Dñi Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales respondendum mandarunt: *« Affirmative,* et iterum evulgandas esse in ephemeride « officiali Sanctae Sedis supra memoratas litteras, una cum aliis ad « quosdam Puseistas anglicos datis, die 8 novembris 1865 ».

SSmus D. N. D. Benedictus Div. Prov. Papa XY sequenti feria V, die 3 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus ^S. Officii, die 4 iulii 1919.

Aloisius Castellano, *Supremae S. G. S. Off. Notarius.*

I

SUPREMAE S. ROMANAE ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS

EPISTOLA AD OMNES ANGLIAE EPISCOPOS

Apostolicae Sedi nuntiatum est, catholicos nonnullos et ecclesiasticos quoque viros Societati *ad procurandam,* uti aiunt, *Christianitatis unitatem,* Londini anno 1857 erectae, nomen dedisse, et iam plures evulgatos esse ephemeridum articulos, qui catholicorum huic Societati plaudentium nomine inscribuntur, vel ab ecclesiasticis viris eamdem Societatem commendantibus exarati perhibentur. Et sane quaenam sit huius Societatis indoles vel quo ea spectet, nedum ex articulis ephemeridis cui titulus *The union r evieni,* sed ex ipso folio quo socii invitantur et adscribuntur, facile intelligitur. A protestantibus quippe efformata et directa eo excitata est spiritu, quem expresse profitetur, tres videlicet christianas communiones romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare. Aditus igitur in illam patet omnibus ubique locorum degentibus tum catholicis, tum graeco-schismaticis, tum anglicanis, ea tamen lege ut nemini liceat de variis doctrinae capitibus in quibus dissentiunt quaestionem movere, et singulis fas sit propriae religiosae confessionis placita tranquillo animo sectari. Sociis vero omnibus preces ipsa recitandas, et sacerdotibus Sacrificia celebranda indici! iuxta suam intentionem: ut nempe tres memoratae christianae communiones, utpote quae, prout supponitur, Ecclesiam catholicam omnes simul iam constituunt, ad unum corpus efformandum tandem aliquando coeant.

Suprema S. O. Congregatio, ad cuius examen hoc negotium de more delatum est, re mature perpensa, necessarium iudicavit sedulam ponendam esse operam, ut edoceantur fideles ne haereticorum ductu hanc cum iisdem haereticis et schismaticis societatem ineant. Non dubitant profecto Emi Patres Cardinales una mecum praepositi Sacrae Inquisitioni, quin istius regionis Episcopi pro ea, qua eminent, caritate et doctrina omnem iam adhibeant diligentiam ad vitia demonstranda, quibus ista Societas scatet, et ad propulsanda quae secum affert pericula: nihilominus muneri suo deesse viderentur, si pastoralem eorumdem Episcoporum zelum in re adeo gravi vehementius non inflammarent: eo enim periculosior est haec novitas, quo ad speciem pia et de christianae Societatis unitate admodum sollicita videtur.

Fundamentum cui ipsa innititur huiusmodi est quod divinam Ecclesiae constitutionem susque deque vertit. Tota enim in eo est, ut supponat veram Iesu Christi Ecclesiam constare partim ex romana Ecclesia per universum orbem diffusa et propagata, partim vero ex schismate photiano et ex anglicana haeresi, quibus aeque ac Ecclesiae romanae unus sit Dominus, *Una fides* et unum baptisma. Ad removendas vero dissensiones, quibus hae tres chri-

stianae communiones cum gravi scandalo et cum veritatis et caritatis dispendio divexantur, preces et sacrificia indicit, ut a Deo gratia unitatis impetretur. Nihil certe viro catholico potius esse debet, quam ut inter Christianos Schismata et dissensiones a radice evellantur, et Christiani omnes sint *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (Ephes.,* IV, 3), Quapropter Ecclesia Catholica preces Deo O. M. fundit et Christifideles ad orandum excitat, ut ad veram fidem convertantur et in gratiam cum Sancta Romana Ecclesia, extra quam non est salus, eiuratis erroribus, restituantur quicumque omnes ab eadem Ecclesia recesserunt: imo ut omnes homines ad agnitionem veritatis, Deo bene iuvante, perveniant. At quod Christifideles et ecclesiastici viri, haereticorum ductu et, quod peius est, iuxta intentionem haeresi quam maxime pollutam et infectam, pro christiana unitate orent, tolerari nullo modo potest. Vera Iesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et dignoscitur; et quaelibet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret ut ab iis nequeat seiungi; hinc fit, ut quae vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et Apostolicae successionis praerogativa debeat effulgere. Ecclesia igitur catholica una est unitate conspicua perfectaque orbis terrae et omnium gentium, ea profecto unitate, cuius principium, radix et origo indefectibilis est beati Petri Apostolorum Principis eiusque in Cathedra romana Successorum suprema auctoritas et potior principalitas. Nec alia est Ecclesia catholica nisi quae, super unum Petrum aedificata, in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit: quod beatus Cyprianus, in *Epist. 45*, sincere professus est, dum Cornelium Papam in hunc modum alloquebatur: *ut Te collegae nostri et communionem tuam idest Catholicae Ecclesiae unitatem pariter et caritatem probarent firmiter ac tenerent.* Et idipsum quoque Hormisdas Pontifex ab Episcopis acacianum schisma eiurantibus assertum voluit in formula totius christianae antiquitatis suffragio comprobata, ubi *sequestrati a communione Ecclesiae catholicae* ii dicuntur, qui sunt *non consentientes in omnibus Sedi Apostolicae.* Et tantum abest quin communiones a Romana Sede separatae iure suo catholicae nominari et haberi possint, ut potius ex hac ipsa separatione et discordia dignoscatur quaenam societates et quinam christiani nec veram fidem teneant nec veram Christi doctrinam: quemadmodum iam inde a secundo Ecclesiae saeculo luculentissime demonstrabat S. Irenaeus, lib. III, *Contra haeres.*, c. III. Caveant igitur summo studio Christifideles ne hisce societatibus coniungantur, quibus salva fidei integritate nequeunt adhaerere; et audiant sanctum Augustinum docentem, nec veritatem nec pietatem esse posse ubi christiana unitas et Sancti Spiritus caritas deest.

Praeterea inde quoque a londinensi Societate fideles abhorrere summopere debent, quod conspirantes in eam et *indifferentismo* favent et scandalum ingerunt. Societas illa, vel saltem eiusdem conditores et rectores, profitentur photianismum et anglicanismum duas esse eiusdem verae christianae religionis formas, in quibus aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum sit: et

dissensionibus utique christianas huiusmodi communiones invicem urgeri, sed citra fidei violationem, propterea quia una eademque manet earumdem fides. Haec tamen est summa pestilentissimae indifferentiae in negotio religionis, quae hac potissimum aetate in maximam serpit animarum perniciem. Quare non est cur demonstretur catholicos huic Societati adhaerentes spiritualis ruinae catholicis iuxta atque acatholicis occasionem praebere, praesertim quum ex vana expectatione ut tres memoratae communiones integrae et in sua quaeque persuasione persistentes simul in unum coeant, Societas illa acatholicorum conversiones ad fidem aversetur et per ephemerides a se evulgatas impedire conetur.

Maxima igitur sollicitudine curandum est, ne catholici, vel specie pietatis vel mala sententia decepti, Societati, de qua hic habitus est sermo, aliisque similibus adscribantur vel quoquomodo foveant, et ne, fallaci novae christianae unitatis desiderio abrepti, ab ea desciscant unitate perfecta, quae mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consistit.

Romae, hac die 16 septembris 1864

G. CARD. PATRIZI.

II

AD QUOSDAM PUSEISTAS ANGLICOS

Honorabiles et dilectissimi Domini,

Quod vos, litteris ad me datis, ***corde sincero et voce non ficta,*** hoc tantum optare profiteamini, ut secundum Domini Nostri Iesu Christi verba unum ovile fiat et unus pastor, id spem affert huic Sacrae Congregationi iucundissimam, vos tandem, divina eiusdem Iesu Christi gratia, ad veram unitatem esse perventuros. Cavendum tamen vobis est, ne ipsam quaerentes deflectatis a via. Id porro Sacra Congregatio vobis contigisse vehementer dolet existimantibus, ad veram Iesu Christi Ecclesiam pertinere, tamquam partes, christianos illos coetus, qui ***sacerdotii et catholici nominis haereditatem*** habere se iactant, licet sint ab Apostolica Petri sede divisi ac separati. Qua opinione nihil est, quod magis a genuina catholicae Ecclesiae notione abhorreat. Catholica enim Ecclesia, ut in meis ad Episcopos Angliae litteris monetur, ea est quae, super unum Petrum aedificata, in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit.[1] Equidem hanc fidei et caritatis seu communionis unitatem, ex irreformabili Christi institutione, non modo praecipuam esse ac fundamentalem verae Ecclesiae proprietatem, sed certissimam quoque semperque visibilem notam, qua ipsa Ecclesia ab omnibus sectis tuto ac facile distinguatur, evidentissime vobis, si rem sedulo inspicere pacatoque

[1] **S.** AMBROS., ***De offic, ministr.,*** **lib. III, c. III, n. 19.**

animo considerare volueritis, demonstrarunt tum Sacrarum Scripturarum diserta testimonia insignesque metaphorae, parabolae et imagines, quibus delineatur ac veluti repraesentatur Ecclesia, tum praeclarissima sanctorum Patrum antiquissimarumque synodorum documenta, tum constans agendi ratio, quam Ecclesia, a suis usque primordiis sequi consuevit-adversus cuiusque generis haereticos et schismaticus, tametsi ex iis complures sacerdotii et catholici nominis haereditatem sibi arrogarent Quemadmodum igitur Ecclesia Christi propter summam, quam per omnes gentes et in omne tempus diffusa firmissime retinet, fidei communionisque unitatem catholica est et dicitur, ita propter unitatem eamdem sancta et apostolica praedicatur; et quemadmodum absque tali unitate desineret, et iure et facto, esse catholica, ita sanctitatis etiam et apostolicae successionis insignibus continuo privaretur.

At Ghristi Ecclesia suam unitatem nunquam amisit, nunquam ne brevissimo quidem temporis intervallo amittet; quippe quae perenniter, iuxta divina oracula, duratura sit. Quomodo vero Ecclesia perenniter duratura credatur, si in essentialem eius statum aetas aetati succedens, non secus atque fit in mundanarum rerum mutabilitate, novam induceret speciem et formam, et ipsa adeo Ecclesia ab illa fidei et communionis unitate desciscere aliquando posset, qua et a Iesu Christo fundata est et ab Apostolis deinde propagata *T* Ideo enim, ait S. Ambrosius, regnum Ecclesiae manebit in aeternum, quia individua fides, corpus est unum.[1] Quod si Ecclesia Christi indefectibilis prorsus est, sponte sequitur, eam infallibilem quoque dici et credi debere in evangelica doctrina tradenda; quam infallibilitatis praerogativam Christum Dominum Ecclesiae suae, cuius ipse est caput, sponsus et lapis angularis, mirabili munere contulisse, inconcussum est catholicae fidei dogma. Et profecto quis sanus sibi persuadeat, errorem subesse posse publico ac solemni Ecclesiae magisterio, quod Christus eo consilio instituit, ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris;[2] quod sui praesentia nunquam deserendum, atque a Spiritu Sancto de omni veritate edocendum pollicitus est; a quo voluit universas gentes ad obedientiam fidei vocari, et rerum credendarum agendarumque doctrinam ita accipere, ut qui Apostolis legitimisque eorum successoribus praedicantibus non credidisset, condemnaretur; cui munus auctoritatemque attribuit sanorum verborum formae praescribendae, in qua omnes docibiles Dei convenirent? Hinc Paulus Ecclesiam appellat columnam et firmamentum veritatis.[3] Sed quo pacto Ecclesia esset firmamentum veritatis, nisi tuto ab ea veritas peteretur? Sanctissimi quoque Patres una voce loquuntur ac praedicant, in unitate Ecclesiae unitatem fidei ac doctrinae Christi sic defixam esse ut una disiungi ab alia non valeat; quo spectat aurea illa s. Cypriani

' [1] ***In Luc*, lib. VII, n. 91.**

[2] ***Ephes.*, IV, 14.**

[3] **I *Timotk.*, III, 15.**

sententia, Ecclesiam esse unitatis ac veritatis domicilium.[1] Neque catholica Ecclesia dubitavit unquam de hac praerogativa sibi. promissa et per iugem Christi praesentiam Sanctique Spiritus afflatum communicata, quoties subortas fidei controversias dirimere, sacrarum Scripturarum sensum interpretari, erroresque commisso revelationis deposito adversos profligare aggressa est; suas enim dogmaticas definitiones edidit semper ac proposuit tamquam certam et immutabilem fidei regulam ; quibus, ut fidei regulae, intimum quisque assensum sine ulla dubitatione, suspicione, haesitatione praestare deberet ; qui vero iisdem definitionibus contumaciter obsisterent, hoc ipso circa fidem saluti consequendae necessariam naufragavisse nec amplius ad Christi ovile pertinere censerentur. Atque haec magis magisque absurditatem produnt illius commenti de catholica Ecclesia ex tribus communionibus coalescente, cuius commenti fautores infallibilitatem Ecclesiae necessario inficiari coguntur.

Iam non minus certum atque exploratum est, Christum Iesum, ut fidei communionisque unitas in Ecclesia gigneretur ac perpetuo servaretur, utque capite constituto schismatis tolleretur occasio,[2] beatissimum Petrum prae ceteris Apostolis, tamquam illorum principem et eiusdem unitatis centrum et vinculum conspicuum, singulari providentia elegisse; super quem Ecclesiam suam aedificavit, et cui totius gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque contulit in successores omni aevo prorogandam. Catholicum dogma hoc est, quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores Summorum Pontificum Conciliorumque decretis confirmavit. Quare catholica Ecclesia illa solum semper credita est, quae fide et communione cum Sede romanorum Pontificum Petri successorum cohaeret, quam propterea Sedem s. Cyprianus nuncupat catholicae Ecclesiae radicem et matricem ;[3] quam unam Patres et Concilia per antonomasticam appellationem Apostolicae Sedis nomine designant; e qua sacerdotalis unitas exorta est[4] et in omnes venerandae communionis iura dimanant;[5] in qua Petrus iugiter vivit et praesidet et praestat quaerentibus fidei veritatem.[6] Certe s. Augustinus, ut schismatis convictos Donatistas ad radicem et vitem, unde discesserant, revocaret, argumento utitur ab antiquioribus Patribus frequentato : « Venite, fratres, si vultis ut inse- « ramini in vite. Dolor est, cum vos videmus praecisos ita iacere. Numerate « sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo patrum, quis cui successit,

[1] *Epist. VIII, ad Com.*, ap. Constant, n. 1.

[2] S. HIERONYM., *Lib. I adv. Iovin.*, n. 26.

[3] *Epist. IV ad Cornelium*, ap. Constant, n. 3.

[4] S. CYPR., *Epist. XII ad Com*, ap. Constant, n. 14.

[5] *Epistola Concilii aquileiensis ad Gratianum imperatorem*, anni 381, inter *Epistolas* S. AMBROSII.

[6] S. PETRUS CRYSOL., *Epist, ad Eutich., Act. III concilii ephes.*, ap. Harduin, 1, 1478.

« videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae ».[1] Quo uno satis ostendit, in catholica Ecclesia eum non esse qui non inhaereat illi Petrae, in qua fundamentum positum est unitatis catholicae. Neque aliter sensit s. Hieronymus, cui profanus erat quisquis non Cathedrae Petri et Pontifici in eá sedenti communione consociantur: « Nullum primum - sic ille ad Damasum - « nisi Christum sequens, beatitudini tuae, idest cathedrae Petri communione « consocior; super illam petram aedificatam esse Ecclesiam scio. Quicumque « extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non « fuerit, peribit regnante diluvio. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc « est, qui Christi non est, antichristi est ».[2] Neque aliter s. Optatus Melevitanus, qui singularem illam cathedram celebrat, omnibus notam, Romae constitutam, in qua unitas ab omnibus ita servari debet, ut schismaticus et haereticus sit, qui contra illam singularem cathedram aliam collocet.[3] Et merito quidem; in Romanorum enim Pontificum ordinatione et successione, uti denunciat aperte omnibus s. Irenaeus, ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos; et est pienissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse quae In Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.[4]

Itaque si proprium est ac perpetuum verae Christi Ecclesiae insigne, ut summa fidei caritatisque socialis unitate contineatur, efflorescat ac veluti civitas supra montem posita omnibus hominibus omni tempore patefiat; et si, alia ex parte, eiusdem unitatis originem, centrum ac vinculum Christus esse voluit Apostolicam Petri Sedem, consequens fit, coetus prorsus omnes ab externa visibilique communione et oboedientia Romani Pontificis separatos, esse non posse Ecclesiam Christi, neque ad Ecclesiam Christi quomodolibet pertinere, ad illam scilicet Ecclesiam, quae in symbolo post Trinitatis commendationem credenda proponitur Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica;[5] quae catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis,[6] sicque ipsum catholicae nomen sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere;[7] per quam Christus veluti per corpus sibi penitissime coniunctum beneficia redemptionis impertit, et a qua quisque fuerit separatus, quantumIibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum;[8] eiusmodi

[1] *Psalm, in part. Donati.*
[2] *Epist. 14.,* al 57, *ad Damas., n. %*
[3] *De schism. Donatisi.,* lib. II, n. 2.
[4] *Lib. III, contra haeres.,* cap. III, n. 3, ex vet. interpr.
[5] S. AUG., *De Symb. ad catech.,* cap, VI.
[6] Id., *De vera Relig.,* cap. Vii.
[7] Id., *Contr. epist, fundam.,* cap. IV, n. 5.
[8] Id., *Ep. 141,* al. 152, n. 5.

proinde coetibus catholicum nomen tum iure minime competere, tum facto attribuì nullatenus posse citra manifestam haeresim. Inde autem perspicietis, honorabiles ac dilectissimi Domini, quare sacra haec Congregatio tanta sollicitudine caverit, ne Christifideles societati a vobis recens institutae ad promovendam, ut dicitis, christianitatis unitatem cooptari paterentur aut quoquomodo faverent. Perspicietis etiam in irritum necessario cadere quamcumque conciliandae concordiae molitionem, nisi ad ea principia exigatur, quibus Ecclesia et ab initio est a Christo stabilita et deinceps omni consequenti aetate per Apostolos eorumque successores una eademque in universum orbem propagata; quaeque in celeberrima Hormisdae formula, quam certum est a tota catholica Ecclesia comprobatam esse, dilucide exponuntur. Perspicietis denique, oecumenicam illam, quam memoratis, ***intercommunionem*** ante schisma Photianum, ideo viguisse quia orientales ecclesiae nondum a debito Apostolicae Cathedrae obsequio desciverant; neque ad optatissimam hanc intercommunionem restaurandam satis esse, simultates et odia in Romanam Ecclesiam deponere, sed omnino, ex praecepto et instituto Christi, oportere Romanae Ecclesiae fidem et communionem amplecti; quandoquidem, ut ait venerabilis Beda, splendidissimum vestrae gentis ornamentum : « Quicumque ab unitate « fidei vel societate illius (beati Petri) quolibet modo semetipsos segregant, tales « nec vinculis peccatorum absolvi nec ianuam possint regni caelestis ingredi ».[1]

Atque utinam, honorabiles et dilectissimi Domini, quoniam ***Ecclesia catholica una esse nec scindi nec dividi posse monstrata est,***[2] non amplius dubitetis, vos eiusdem Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit.[3] Utinam quod in vobis per inditam benevolentiam erga hanc Ecclesiam Spiritus Sanctus coepit, ipse complere et perficere sine mora dignetur. Id vobis una cum hac sacra Congregatione toto ominatur animo et a Deo misericordiarum et luminum Patre enixe adprecatur sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, ut vos tandem omnes, ab exhaeredata praecisione rugientes, in haereditatem Christi, in veram catholicam Ecclesiam, ad quam certe spectarunt maiores vestri ante lugendam saeculi sextidecimi separationem, accipere feliciter mereamini radicem caritatis in vinculo pacis et in societate unitatis.[4] Valete.

Romae, hac die 8 novembris 1865.

C. CARD. PATRIZI.

[1] ***Horn, in natale ss. Petri et Pauli.***

[2] S. GVPR., *Ep. VIII ad Com.,* **apud Constant., n.** 2.

[3] **S. AUG.,** ***De util, credendi,*** **c. XVII, n. 35. .**

[4] **Id.,** *Ep. 61,* **al.** 223, **n.** 2; *Ep. 69,* **al.** 238, **n.** 1.

II

DUBIUM

DE THEOSOPHISMO

Feria IV die 16 iulii 1919

In plenario conventu habito ab Emis ac Rmis Dominis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito dubio: «An doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi possint cum «doctrina catholica; ideoque an liceat nomen dare societatibus theo« sophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere »

Iidem Emi ac Rmi Domini, praehabito DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt: *Negative in omnibus.*

Et feria V die 17 eiusdem mensis, Ssmus D. N. D. Benedictus Div. Prov. PP. XV, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit et publicari mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 18 iulii 1919.

A. Castellano, *Supremae S. G. S. Off. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

NOMINATIO

4 iulii 1919. — Attentis valetudinis conditionibus Rmi Episcopi Mimatensis, Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV, decreto S. Congregationis Consistorialis, deputavit R. P. D. Petrum Verdier, episcopum titularem Titopolitanum et auxiliarem Episcopi Ruthenensis, in *Administratorem Apostolicum dioecesis Mimatensis.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

ROMANA ET ALIARUM

DE CONCURSU IN PAROCHORUM TRANSLATIONE

21 iunii 1919

FACTI SPECIES. - In noviter dato Codice Iuris Canonici, lib. III, tit. XXIX, can. 2162 ss., praescribitur modus procedendi in parochorum translatione, unaque fit distinctio inter parochos inamovibiles, quos invitos Ordinarius transferre nequit, et amovibiles, qui etiam inviti; servatis normis iure praescriptis, transferri possunt. Nulla tamen occurrit ibi mentio concursus seu examinis peragendi aut omittendi in adipiscendo regimine novae paroeciae, quam provisionis formam idem Codex in genere agnoscit et, ubi in usu est, praesentat vi can. 459, §4. Hinc quamdam ambiguitatem et incertitudinem in exsequendis normis can. 2162 ss. Ordinarii, praesertim Italiae, experti sunt, prout ostendunt petitiones a nonnullis ex eis, etiam post diem sacrae Pentecostes anni 1918, ad H. S. C. datae, ut facultas illis fieret dispensandi cum parochis, vi can. ^162 transferendis, super lege concursus. Quibus petitionibus antequam fieret satis, visum est Emis Patribus subiicere generale dubium : *An requiratur concursus vel saltem examen in parochorum translatione de qua in can, 2162 et seq, Codicis Iuris Canonici.*

ANIMADVERSIONES ad rem hae adhibebantur. Praemittitur nullum fieri locum dubio, quoad regiones in quibus concursus paroeciales sunt *generales,* i. e. fiunt ut generatim constet de idoneitate concurrentium ad regimen paroeciale absolute consideratum, de qua forma cfr. praesertim recentem causam Mediolanen., *Concursuum paroecialium,* 17 dec. 1904. In comperto enim est in hisce concursibus approbatos, idoneos renuncian ad *quamcumque* paroeciam, et ideo nihil obstare quominus absque novo concursu ab una ad aliam transferantur. Difficultas e contrario apparet in paroeciis provisis per concursus speciales, ubi idoneitas oppositorum iudicatur iuxta Conc. Trid., sess. XXIV, c. 18, *de ref.,* non quoad ministerium paroeciale generatim, sed definite quoad « vacantem paroeciam » ibi : « renuncientur quotquot idonei iudicati fuerint aetate, « moribus, doctrina, prudentia *et aliis rebus ad vacantem ecclesiam guber-*

« *nandam opportunis* ». Quorum verborum sensus late exponitur in disceptatione causae Brixien, et aliar., 27 ian. 1912 *[Acta Ap. Sedis,* IV, p. 296 ss.]. Nam in hoc casu, et praecise ob praefatam rationem, quod nempe idoneitas decernitur tantummodo respectu vacantis paroeciae cui per concursum providetur, concludunt communiter scriptores, vetitum esse iam parochos sine concursu ad aliam paroeciam-optandam, absque licentia S. Sedis, admittere (cfr. Garcia, *De benef.,* p. IX, c. 2, n. 208 ss., Barbosa, *De off. et pot. parochi,* p. III, all. 60, n. 91; Fagnan., in tit. *Ne sede vacante,* cap. *Bla,* n. 18 ss., et alia in cit. Mediolanen., 17 decembris 1904).

Quum itaque hoc vetitum indubitanter constet esse elementum quoddam seu certum disciplinae concursus specialis iuxta ius ante Codicem vigens, quumque in Codice haec disciplina explicitis verbis can. 459, § 4, reservetur integra, « donec Sedes Apostolica aliud decreverit » idem vetitum videtur quoque perseverare post datum Codicem; seu, saltem, non esse certum a Codice sublatum illud esse, in qua etiam hypothesi, ex can. 6, § 4, « a veteri iure non est recedendum ».

Sed ex adverso, si enunciata rationum momenta absque ullo discrimine admittantur, liquet hanc esse conclusionem ferendam, videlicet can. 2162 et seq. nullum locum habere in his regionibus ubi paroeciarum provisio fit per concursum specialem. Nam, posita hac necessitate concursus subeundi, vel parochus transferendus concursu victor excedit, et tunc *vi ipsius concursus* regimen paroeciae *ad quam* adipiscitur, quin ulla opus sit facultate data per can. 2162; vel e contrario in concursu ab aliis candidatis superatur, et tunc, sine manifesta iniustitia adversus alios oppositores, nulli usui esse poterit eadem facultas : aliis verbis, ut habet Reiffenstuel (lib. I, tit. II, § XIX, n. 518) posita hac necessitate « dispositio legis de facili redderetur delusoria », ideoque concludendum omnino esset a facultate can. 2162 excipi prorsus Ordinarios regionum ubi paroeciarum provincia fit per concursum specialem.

Et quamvis huius extremae conclusionis apparens aliqua ratio excogitan possit in hoc, quod Codex providet iuxta normam generalem, in qua, ad tramitem can. 459, § 1-3, nullus concursus in paroeciarum provisione praescribitur, non vero tenetur providere quoque iuxta normam specialem, exceptivam, §4 eiusdem can. 459 contentam; attamen nemo non videt quam grave sit et odiosum adeo latam exceptionem, *tacitam* prorsus, verbis legis manifestae supponere. Immo contrarium, ex eo quod can. 459, §4, lex expresse reservaverit formam concursus ubi viget, dum can. 21.62 ss. de hac forma omnino silet, arguendum foret iuxta effatum : « lex ubi « voluit expressit, *ubi non expressit non voluit* ». - Idque fortius firmatur

considerando, iuxta ipsa obiecta verba can. 459, § 4, formam concursus iam non haberi in Codice nisi ut exceptionem ad nutum S. Sedis servandam; ibi : « haec forma retineatur, *donec Sedes Apostolica aliud decre- «verit»,* quae verba, ut adnotatum est in Lisbonen. et aliarum, *Pro vis. paroeciar.* 13 aprilis 1918, perspicue edicunt « permitti interim bonum, *in « expectatione melioris,* ad quod contenditur » *(Acta Ap. Sedis,* XI, 237) ; videtur igitur incongruum eidem formae exceptivae, tale tantumque momentum tribuere, ut impediat in plurimis locis ingressum novae legis quae explicite perhibetur data, ut consulatur bono animarum: cfr. verba can. 2162, ibi: « Si bonum animarum postulet», etc.

Concludendum itaque potius videtur, hac facultate can. 2162 inchoari, in casu peculiari translationis parochorum, correctionem antiqui Iuris, seu rectius, correctionem Iuris post-tridentini, per reditum ad ius commune antiquum, consignatum in caus. VII, quaest. I, cap. 37.et 39; quae correctio non solum facile supponitur, sed etiam « censetur favo- « rabilis ac proinde extendenda » ut pluribus ostendit Reiffenst., 1. c, n. 508 ss., ibi: «Non est mirum, quod lex posterior [in casu: Codex] « quae corrigit aliud Ius correctivum [in casu: ius post-tridentinum de « concursu speciali] et nos reducit ad terminos antiquae legis [in casu: « ad ius Decreti Gratiani], censeatur favorabilis, *et idcirco extendenda ».* Ceterum praestat adnotare hanc correctionem iam inchoatam explicite fuisse per decretum *Maxima Cura, S. C.* Consist., diei 20 aug. 1910, can. 26, § 1, in casu translationis parochi *amoti* ad aliam paroeciam, quod praescriptum etiam Codex recipit can. 2154, § 1: « Amoto rparocho « Ordinarius .... consulat, sive *translatione ad aliam paroeciam, vel* assi- « gnatione alius officii», etc.

Nec ceteroquin, in casu can. 2162, cessare videntur eae utilitates propter quas prudentissime cautum est ut idoneitas candidati probetur potissimum et definite quoad paroeciam illi committendam: quin immo in casu explicite supponitur parochum transferendum qui iam « utiliter «paroeciam *[a qua]* regit», hoc ipso sese probasse *magis* idoneum ad paroeciam *ad quam* regendam, ita ut « bonum animarum postulet » ut ad hanc destinetur *magis* quam in illa relinquatur: quae *maior* utilitas adeo evidens supponitur, ut parochus, suis commodis postpositis, quibus etiam invitus esse possit, in hac adipiscenda *magis* probet « suum Dei atque animarum amorem». Nec satis: in sequenti can. 2163 supponitur explicite paroeciam esse nonnumquam ordinis *inferioris,* ita ut etiam invitus omnino parochus amovibilis transferri possit, « si pa- « roecia ad quam non sit ordinis *nimio* inferioris». Iamvero (etiam omisso quod, in casu translationis parochi *inviti,* inepte prorsus sta-

tueretur necessitas concursus vel etiam examinis subeundi, tamquam conditio eiusdem paroeciae adipiscendae, quum nihil facilius sit quam reprobationem ferre in concursu aut examine) luculenter ostendunt hae legis datae conditiones, idoneitatem transferendi quoad determinatam paroeciam *ad quam,* in casu in comperto adeo esse ut nihil supra hanc certitudinem per concursum aut etiam per examen addi possit.

Examinis autem ratio non est profecto maior quam ratio concursus, ut aperto eruitur ex can. 459, § 3, n. 3: nam examen transferendi nonnisi ad huius *idoneitatem* Episcopo manifestandam requireretur, de qua idoneitate in casu Episcopus certissimus supponitur: iamvero « eum « qui certus est certiorari ulterius non oportere » omnia iura clamant.

RESOLUTIO. - Proposito in plenario S. G. Concilii conventu diei 21 iunii 1919 suprascripto dubio, nimirum: *An requiratur concursus vel saltem examen in parochorum translatione de qua in can. 2162 et seq. Codicis Iuris Canonici:*

Emi Patres respondendum censuere : *Negative ad utrumque.*

In audientia autem insequenti die infrascripto Secretario concessa, SSmus D. N. Benedictus Divina Providentia PP. XV, datam resolutionem approbare et confirmare dignatus est.

I. MORI, *Secretarius.* *

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

. I

CIRCA DECRETUM «INTER RELIQUAS », DE RELIGIOSIS SERVITIO MILITARI ADSTRICTIS.

Gum in Codice Iuris Canonici nihil habeatur circa ea quae continentur in Decreto de Religiosis servitio militari adstrictis, a S. Congregatione de Religiosis, sub die I[a] ianuarii 1911 dato, dubium nonnullis exortum est utrum adhuc praedictum Decretum vigeat post Codicis promulgationem.

Haec autem S. Congregatio, attenta negotii gravitate, animadvertendum censet in Codice Iuris Canonici nullam haberi potuisse ratio-

nem praefati Decreti *Inter reliquas,* nec eiusdem praescripta Canonibus inserta fuisse, cum idem Decretum, natura sua, ad circumstantias temporum et locorum habeat relationem, nec generalis legis ecclesiasticae rationem induere possit. Etenim iuxta can. 614: «Religiosi, etiam laici « ac novitii, fruuntur privilegiis clericorum de quibus in can. 119-123»; quae inter canon 121 absolute edicit: « Clerici omnes a servitio militari ... immunes sunt »,

Cum autem causae ob quas datum fuerit Decretum *Inter reliquas,* difficultate temporum perseverent, et viri religiosi, etiam professi, ad servitium militare, pluribus in regionibus, cogantur, nullo habito respectu ad eorum statum, quo Dei servitio iam fuerint mancipati, consequens est praescripta eiusdem Decreti in suo robore esse servanda.

Propositis igitur dubiis:

1) utrum Decretum *Inter reliquas* S. Congregationis Religiosarum, diei 1ae ianuarii 1911, de Religiosis servitio militari adstrictis adhuc vigeat;

et quatenus affirmative:

2) utrum Novitii servitio militari adstricti, absoluto Novitiatu, vota religiosa temporanea emittere debeant ad triennium iuxta modum in can. 574 expressum;

haec Sacra Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit prout respondet:

ad primum *affirmative;*

ad secundum *negative; et vota temporanea emittantur valitura usque ad servitium militare.*

Quapropter statuit S. Congregatio, ut:

1) vota praedicta cessent eo die quo Religiosus militiae effective adscriptus et disciplinae militari subiectus evadit, vel inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur;

2) perdurante militari servitio, alumnus, quamvis votis religiosis non sit ligatus, tamen membrum religionis esse perseverat, sub auctoritate suorum Superiorum, qui de eo curam habere debent forma praescripta in Decreto *Inter reliquas,* nn. IV et V. Attamen, ad normam can. 637, alumnus potest libere religionem deserere, praemonitis Superioribus per declarationem in scriptis vel coram testibus, quae declaratio caute in Archivo Ordinis vel Instituti servetur; Religio pariter potest eum, ob iustas et rationabiles causas, dimissum declarare;

3) ad praecavendam autem dubitationem omnem circa professiones, quae forte post promulgationem Codicis bona fide emissae sunt contra praescriptum Decreti *Inter reliquas,* S. Congregatio facultates tribuit

Superioribus eas sanandi, dummodo accedat consensus Religiosi, in scriptis declarandus ac in Archivis servandus.

Facta autem de his relatione SSmo D. N. Benedicto Pp. XV in audientia diei 15 iulii 1919 ab infrascripto Card. Praefecto, Sanctitas Sua praedicta omnia approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, die et anno praedictis.

R. CARD. SGAPINELLI, *Praefectus.*

L. $ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius.*

II

DUBIUM

CIRCA RITUS IN PROFESSIONE MONIALIUM SERVANDOS

« An resolutiones S. G. EE. et RR., sub die 18 iulii 1902 ad I, et « 15 ianuarii 1903 ad I et II, circa modum servandum in emittenda sim« plici et sollemni Monialium professione post editum Decretum *Perpensis* « diei 2 maii 1902, vigeat post inductam a Codice Iuris Canonici profes« sionem votorum temporaneorum, quae votis sollemnibus praemitti « debeat? ».

S. Congregatio, omnibus mature perpensis, respondendum censuit: *Negative,* et ad mentem. « Mens est ut professioni sollemni reserventur « ritus illi omnes et caeremoniae quae ad perpetuitatem status referun« tur; ad professionem vero temporaneam sufficit ut, ad normam cano« nis 577, § I, n. 6, a legitimo Superiore secundum Constitutiones per se « vel per alium recipiatur».

Datum ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis* die 10 iulii 1919.

L. % S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B,, *Secretarius.*

SACEA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DESIGNATIO ORDINARII PRO APPELLATIONE IUXTA CAN. 1594, § 2

Iuxta can. 1594, § 2 Codicis Iuris Canonici pro appellatione:

Rmus Archiepiscopus Madraspoliianus designavit Ordinarium Vizagapatamensem.

Quam designationem Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV, die 14 iulii 1919, adprobare dignatus est.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

.•. ; i ^

AURELIANEN.

DECRETUM CANONIZATIONIS BEATAE IOANNAE DE ARC VIRGINIS, PUELLAE AURELIANENSIS NUNCUPATAE.

SUPER DUBIO

An, stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem ?

Caelesti rerum dispensatione equidem evenisse apparet, ut asperrimis.hisce temporibus, quibus catholica Ecclesia acerrimo undique bello divexatur et haec sancta Petri Sedes tot variis oppugnatur modis, causa Canonizationis Beatae Ioannae de Arc supremum suum, mira successus prosperitate, assequeretur fastigium.

Nam cuncta, quae in eadem electissima causa gesta huc usque fuisse ob oculos ponit et ex ordine singillatim describit authentica actorum omnium recensio, qui animo reputaverit complexusque cogitatione fuerit, huic sane, necessaria quadam factorum connexione, fel. rec. Callistus Papa III sponte se sistit, eique cunctisque, qui corruptae prae-

iudicataeque opinionis plane sint expertes, invictum veritatis iustitiaeque assertorem idem magnifice se probat Romanus Pontifex eximiumque vindicem.

Pro cupidine namque, qua constanter eo feruntur perpetui catholici nominis hostes, ut, quamlibet, vel minimam, sibi excidere occasionem non patiantur, quin suspicionem et invidiam Ecclesiae Christi parent, Aurelianensis Puellae etiam abuti connisi sunt historia, inde sat firmum ducere se posse argumentum autumantes, quod scilicet homines nequam, qui in teterrima innocentissimae Verginis patranda nece praecipuam habuerant partem, ecclesiasticae addicti erant militiae.

Sed contra, quod sperabatur cessurum fore in manifestum Apostolicae Sedis dedecus, ad eiusdem ostendendam magis magisque ponendam in aperto divinam institutionem mirifice inserviit. Scitum quippe est, in eo tam iniquo tamque nefario insonti Adolescentiae illato supplicio, quidquid minor peccaverit Ecclesiae pastor aliique peccaverint sacro mancipati ministerio, id omne plene cumulateque correctum emendatum que fuisse a supremo universalis Ecclesiae Pastore; utque exspectandum et opus profecto erat, tanta prudentia tantaque sapientia adeo grave susceptum, gestum expeditumque fuisse negotium, ut ostenderunt postea apertumque fecerunt mirabiles, qui consecuti sunt, eventus.

Nedum enim apostolica Summi Pontificis Callisti III auctoritate omnino est rescissa penitusque abstersa, quae, per summum scelus, nobilissimae Darciensi Virgini inusta fuerat infamia, verum et, quodque longe maius praeclariusque, ut res ipsa docet, extat atque eminet, eiusdem Aurelianensis Puellae, aetate hac nostra, agitari coepit Beatificationis causa, eaque, temporis spatio vicennio minori, fauste feliciterque ad exitum perducta, inita quoque est causa Canonizationis, quae prospere non minus quam expedite sic pariter processit, ut, vix expleto decennio, optatam contigerit metam.

Ad integram siquidem perficiendam actorum seriem, prouti eamdem deposcit flagitatque constitutus iudicialis ordo, illud tantum supererai inquirendum : *An, stante duorum miraculorum approbatione, post indultam Beatae Ioannae de Arc ab Apostolica Sede venerationem, tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem ?* Quocirca per Reverendissimum Cardinalem Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte causae Relatorem, praefato proposito Dubio in generalibus sacri huius Ordinis comitiis, quae, die decima septima mensis iunii huius vertentis anni, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV celebrata, sunt,- omnes qui convenerant, tum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores, *tuto procedi posse* uno ore respondendum censuerunt, Ye-

rumtamen, tam grave iudicium suprema claudere sententia Sua distulit Sanctissimus Dominus noster, ut interim, eftusis precibus, in tanta re definienda maiora sibi a Patre luminum auxilia compararet. Quumque mentem suam postmodum aperire statuisset, hodiernam designavit diem Dominicam IV post Pentecosten; idcirco salutari Hostia ferventissime perlitata, ad Vaticanas Aedes acciri iussit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Albanensem causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter edixit: ***Tuto procedi posse ad solemnem Beatae Ioannae de Arc Canonizationem.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in acta sacrorum rituum Congregationis referri, nec non litteras apostolicas sub Plumbo de Canonizationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis expediri mandavit, pridie nonas iulias anno MCMXIX.

J$j A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. © S.

Alexander Verde, ***Secretarius.***

II

PARISIEN.

DECRETUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN» SERVAE DEI LUDOVICAE DE MARILLAC VIDUAE LE GRAS, CONPUNDATRÍCIS SOCIETATIS PUELLARUM CARITATIS.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem praefatae venerabilis Servae Dei Beatificationem?

Venerabilis Dei Famula Ludovica de Marillac, vidua Le Gras, ex quo virum nacta fuit sanctitate celeberrimum, cui nomen Vincentius a Paulo, eumque sibi detegit in conscientiae moderatorem atque iudicem, unum inter et aliam tanta brevi exorta est seque indesinenter explicuit

animorum coniunctio, ut ei, quem magistrum atque ducem, non sine provido sapientique Dei consilio, constituerat sibi, perpetuo adhaeserit eiusque nutu duci regique voluerit venerabilis Ludovica per triginta et octo continenter annos, quod nempe eiusdem reliquum vitae fuit. Septuagenaria namque minor illa decessit, anno videlicet supra millesimum sexcentésimo sexagesimo, medio mense martio, inter vivos adhuc, modico licet temporis intervallo, agente et operante sancto Vincentio. Hic sane, octogenario maior, suaque orbatus operum consorte et socia laborum, alacriter tamen uberrimam pergebat metiri caritatis segetem, donec dierum et meritorum plenus, ipse pariter hanc mortalem posuit vitam eamque cum caelesti patria commutavit, eodem recurrente anno, mense septembri, die vero mensis septima ac vigesima.

Interim, quod minime est praetereundum, peculiari immo sedulaque est notatione dignum, per illos sex circiter menses, quibus sanctus Vincentius praeclarae suae discipulae superstes exstiterat vitaeque spiritualis filiae, de eadem, ut pronum profecto erat maximeque proclive est intelligere, passim loquebatur, cum novae Societatis, cuius ambo fuerant institutores, praesertim Alumnis, quarum spirituali prospiciet bono, ipsis sub aspectum ponere satagebat defunctae Matris, prouti Sanctorum est, exercitas virtutes. Nihilominus, ut acri erat instructus sanctus vir probatissimoque iudicio, apposite eas cauteque admonendas sibi religioni duxit, quanta de Famulae Dei Ludovicae sanctitate foret hominum opinio, nullam tamen erga ipsam publici et ecclesiastici cultus exhiberi posse significationem. Uti par erat, Patris monitis Ecclesiaeque legibus plane obsequentes usque sese praebuerunt *a Garitatae Puellae;* cumque benemeritissimam suam Parentem publice venerari se posse, uti Beatos decet, sibi in animum induxerunt, eum in finem, hanc supplices adiverunt Apostolicam Sedem, a qua, cunctis servatis, quae e vetustissimo ipsius Sedis Apostolicae more institutoque Romanorum Pontificum rite servanda erant, iam, quod proposuerant sibi, se esse assecutas iure meritoque laetantur.

Verumtamen quum pro indole probationum, quibus haec fulciebatur causa, duplicari necesse fuerit miraculorum numerum, *ut quod humano deerat, divino compensaretur iudicio;* quumque de tribus tantum miraculis constare non ita pridem fuerit pronuntiatum, hoc unum, quod supererai, obstaculum e medio auferre est dignatus Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV. Exempla quippe Decessorum suorum sequutus, qui eadem usi sunt indulgentia in causis religiosorum Ordinum seu Familiarum conditorum, dispensationem a quarto miraculo fuit elargitus.

Nec novus parvi faciendus insignis honoris titulus, de quo in apostolico, quod hac eadem faustissima die promulgatur, Decreto conspicua non minus quam diserta mentio occurrit; quandoquidem quatuor *a Caritate Puellae,* e legiferae Matris disciplina profectae eiusque spiritu eruditae, tamquam verae Christi martyres- agnoscuntur et celebrantur. Quod sane intrinseco accedens praeclaro causae merito, causae ipsius dignitatem atque praestantiam illustrat et commendat; reique illud etiam argumento est, quod in generalibus sacrae huius Congregationis comitiis, quae, die decima septima nuper elapsi mensis iunii, coram Sanctissimo Domino nostro habita sunt, proposito per Reverendissimum Cardinalem Vincentium Vannutelli, causae Relatorem, Dubio: *An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem venerabilis Servae Dei Ludovicae de Marillac Beatificationem?* cuncti, qui aderant, quum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores, latis suffragiis, tuto procedi posse aftirmaverint. Attamen de unanimi hac suffragatione apostolicum denunciare iudicium distulit Beatissimus Pater, enixius interea postulaturus a Domino, ut sibi in gravissimo decernendo negotio propitius adesset. Tandem hodiernam elegit diem Dominicam IV post Pentecosten; eaque idcirco adveniente, quum prius rei sacrae devotissime fuisset operatus, ad Vaticanas Aedes advocari voluit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Vincentium Vannutelli, Episcopum Ostiensem et Praenestinum, Sacri Collegii Decanum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisdemque adstantibus, rite decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Ancillae Dei Ludovicae de Marillac Beatificationem.*

Eiusmodi autem Decretum in vulgus edi, in acta sacrae rituum Congregationis referri litterasque apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis expediri iussit, pridie nonas iulias anno MCMXIX.

£g A. CABD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. $ S.

Alexander Verde, *Secretarius,*

III

CAMA RAGEN.

DECRETUM BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VEN. SERVARUM DEI MARIAE MAGDALENAE FONTAINE ET TRIUM SOCIARUM EIUS, EX INSTITUTO PUELLARUM CARITATIS S. VINCENTII A PAULO, NECNON MARIAE CLOTILDIS ANGELAE A S. FRANCISCO BORGIA ET DECEM SOCIARUM EIUS, EX ORDINE MONIALIUM URSULINARUM DE VALENCIENNES.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio et causa martyrii, signis seu miraculis in casu, et ad effectum, de quo agitur?

In hac vita, quae est hominis militia super terram, iis praecipue, qui ordines et signa sua deserere non erubescunt, quique, postquam a vero Fidei obsequio desciscere haec praesertim coepit aetas omnique circumferri vento doctrinae, tanto excreverunt numero, magno spectaculo sunt quindecim Deo sacrae Virgines.

Quarum priores quatuor ad Societatem pertinent Puellarum a Caritate; sorores nimirum Maria Magdalena Fontaine, Maria Francisca Lanel, Teresia Fantou et Ioanna Gérard; undecim vero reliquae ex Ordine sunt monialium Ursulinarum, eaeque nomen habent: Maria Clotildes a S. Francisco Borgia, Maria Scholastica a S. Iacobo, Anna Iosephina, Maria Ursula a S. Bernardino, Maria Aloisia a S. Francisco Assisiensi, Maria Laurentina a S. Stanislao, Maria Augustina a S. Corde Iesu, Maria Natalia a S. Aloisio, Anna Maria, Maria Francisca et Maria Cordula a S. Dominico. Iniquo namque iudicio damnatae, extremo cunctae immanique sublatae fuerunt supplicio, gallica furente perturbatione, anno videlicet millesimo septuagesimo nonagésimo quarto.

Equidem, ob multiplex ac varium ingenium, quod ista tam celebris prae se tulit tamque tristi celebritate insignis publicarum rerum conversio, quae, octavodecimo exeunte saeculo, per Galliam facta est finitimasque regiones, arduum sane videri poterit negotium, tot inter hominum millia, quae, horrífica ea tempestate, securi ferienda camitici tradita fuisse constat, veros agnoscere Christi martyres atque revereri. Eapropter, ad quindecim quod attinet praefatas venerabiles Dei Fámulas, ne dubitationibus et ambiguitatibus facilis pateret aditus, interfuit plurimi, quid revera sit, in quod cadere queat christiani martyrii causa, statuere in primis certoque firmare, magistro atque duce Angelico Doctore.

Hic sane, quum hoc expendendum proposuisset sibi; scilicet: *Utrum sola Fides sit causa Martyrii?* laudabili ac sueta adhibita sua disceptandi methodo, quid de re sentiendum esset, hisce significavit verbis: «Respondeo dicendum, quod..... martyres dicuntur quasi testes; quia « scilicet corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium «perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati, quae secundum pie- « tatem est, quae per Christum nobis innotuit; unde et *martyres Christi* « dicuntur quasi testes ipsius. Huiusmodi autem est veritas fidei. Et ideo « cuiuslibet martyrii causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non « solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio. « Quae quidem fit non solum per verba, quibus aliquis confitetur fidem, « sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum « illud Iacob., II, 18: *Ego ostendant tibi ex operibus fidem meam.* Unde « et de quibusdam dicitur, *ad Tit.,* I, 16: *Confitentur se nosse Deum, « factis autem negant.* Et ideo omnium virtutum opera, secundum quod « referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei, per quam « nobis innotescit quod Deus huiusmodi opera a nobis requirit, et nos « pro eis remunerai. *Et secundum hoc possunt esse causa martyrii* » (2ª 2ªᵉ, quaest. CXXIV, art. 5).

Quibus praeiactis firmiterque constitutis, idem sic est prosecutus Doctor Angelicus: « Ad primum ergo dicendum quod Christianus dicitur « qui Christi est. Dicitur autem aliquis esse Christi non solum ex eo « quod habet fidem Christi, sed etiam ex eo quod Spiritu Christi ad «opera virtuosa procedit, secundum illud *ad Rom.,* VIII, 9: *Si quis « Spiritum Christi non habet, hic non est eius;* et etiam ex hoc quod, ad « imitationem Christi, peccatis moritur, secundum illud *ad Galat,,YM: « Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* « Et ideo *ut christianus patitur non solum qui patitur pro fidei confes- « sione, quae fit per verba, sed etiam quicumque patitur pro quocumque «bono opere faciendo, vel pro quocumque peccato vitando, propter Chri- « stum; quia bonum hoc pertinet ad fidei protestationem* » (loc. cit.).

Hanc ab Angelico Doctore adeo claram et perspicuam, ut eius est mos, traditam doctrinam ad utramque, de qua agitur, Causam transferre postmodum et aptare non difficile profecto fuit. Idque ut fieret, neque oportuit iis nominatim inniti tamquam martyrii causis, quibus prudentem cautumque virum tuto omnino secureque confidere haud posse apparebat; quandoquidem, eisdem etiam posthabitis, e cunctis aliis, quae, eodem spectantia, prostant in actis, una cum peculiaribus rerum,locorum ac personarum circumstantiis inspectis pensitatisque, prouti utrumque se reapse habuit factum, sat elementorum colligere et sumere licuit,

quorum ope facta est potestas necessariam adipiscenda requisitae sive ex parte tyranni, seu persecutorum, sive ex parte venerabilium Ancillarum Dei, causae martyrii demonstrationem ; eiusmodi nempe causae, quae, iuxta sancti Thomae Aquinatis doctrinam, apta atque idonea aestimari queat in casu et ad effectum, de quo agitur.

Ita, quae, abhinc quinquennium, instituta fuerat, quadruplicem post habitam disceptationem, progredi absolvique potuit quaestio. Antepraeparatoriae siquidem Congregationi una et altera praeparatoria successit Congregatio; die vero decimaseptima proxime superioris mensis iunii, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV coacta fuit Congregatio generalis, in qua a Reverendissimo Cardinali Vincentio Vannutelli, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum est Dubium: *An constet de martyrio et causa martyrii, signis seu miraculis in casu et ad effectum, de guo agitur?* Reverendissimi Cardinales êt Patres Consultores sua quisque ex ordine suffragia tulerunt, quibus tamen omnibus laeto studiosoque animo exceptis, Sanctissimus Dominus noster a supremo Suo ferendo iudicio supersedendum de more duxit, graviterque perpendens, quanti res ponderis esset, spatium sibi sumpsit divinae opis implorandae. Quumque demum suam edicere sententiam decrevisset, hodiernam statuit diem Dominicam IV post Pentecosten; ideoque, sacris Mysteris devotissime celebratis, ad Vaticanas Aedes arcessiri voluit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Vincentium Vannutelli, Episcopum Ostiensem et Praenestinum, Sacri Collegii Decanum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: *Ita constare de martyrio et causa martyrii venerabilium Famularum Dei Mariae Magdalenae Fontaine et trium Sociarum eius, nec non Mariae Clotildis Angelae a S. Francisco Borgia et decem Sociarum eius, ut procedi possit ad ulteriora, in casu et ad effectum, de quo agitur.*

Hoc Decretum evulgari et in acta sacrae rituum Congregationis inseri mandavit pridie nonas iulias anno MCMXIX.

jjB A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. % S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIUM CIRCA POTESTATEM ADNECTENDI INDULGENTIAS ROSARIIS, CORONIS PRECATORIIS, ETC.

R. P. D. Eduardus Ioseph Hanna, Sancti Francisci in California Archiepiscopus, nuper proposuit resolvendum sequens dubium, quod ita sonat: « An liceat Episcopis communicare presbyteris suae ditionis habitualiter potestatem benedicendi rosaría, etc., de qua in canone 349, « § 1, n. 1, cum applicatione indulgentiarum, observatis ritibus ab Eccle- « sia praescriptis ».

Sacra Poenitentiaria Apostolica, re mature considerata, respondendum censuit: *Negative.*

Quam sententiam per infrascriptum Cardinalem Poenitentiarium Maiorem SSmo D. N. Benedicto Pp. XV in Audientia huius diei relatam, Sanctitas Sua adprobare dignata est eamque publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, die 18 iulii 1919.

O. CARD. GIORGI, *Poenit. Maior.*

L. © S.

F. Borgongini Duca, *Secretarius.*

MARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA-.DI STATO

NOMINE

Con biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare :

5 luglio 1919. L'Emo signor Cardinale Gennaro Granito Pignatelli di Beimonte, ***Protettore dell'Ordine dei Minimi.***
» » » L'Emo signor Cardinale Oreste Giorgi, ***Protettore dell'Istituto delle Figlie della Santa Vergine.***
6 ***»*** » Il Rev. D. Federico Callori, ***suo cameriere segreto partecipante..***
7 » » Il Rev. D. Adriano Fortescue, della diocesi di Westminster, ***Consultore della S. Congregazione « pro Ecclesia Orientali ».***
19 » » L'Emo signor Cardinale Gennaro Granito Pignatelli di Beimonte, ***Protettore*** *dell'****Istituto delle Suore Terziarie Cappuccine « de la Divina Pastora ».***

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

25 giugno 1919. Mons. Giovanni Gallacher, vescovo di Goulburn.

Protonotari apostolici ad instar participantium:

27 agosto 1918. Mons. Ladislao Leone Koglarski, della diocesi di Lublino.
21 marzo 1919. Mons. Eusebio Brzeziewicz, dell'archidiocesi di Varsavia.
2' luglio » Mons. Michele De Andrea, dell'archid. di Buenos Aires.
6 ». » Mons. Emanuele Alvarado, dell'archidiocesi di Guadalajara.

Prelati Domestici di S. S.:

6 agosto 1918. Mons. Carlo A. Parent, della diocesi di London.
21 marzo 1919. Mons. Wladislao Kepinski, (tcH'archidiocesi di Varsavia.

5	***aprile***	***1919.***	Mons. Guglielmo Ketcham, della diocesi di Oklahoma.
»	»	»	Mons. Giacomo N. Connolly,,deH'archidiocesi di New York.
22	»	»	Mons. Pietro J. Mac Keon, della diocesi di London.
»	»	»	Mons. Tommaso West, della medesima diocesi.
23	»	»	Mons. Carlo E. Mac Gee, della medesima diocesi.
3	***maggio***	»	Mons. Daniele Guglielmo Lynch, della diocesi di Duluth.
21	***giugno***	»	Mons. Alessandro Bernabai, di Roma.
30	»	»	Mons. Alfredo Lemée, della diocesi di Séez.
»	»	»	Mons. Arturo Stapylton Barnes, della dioc. di Northampton.
»	»	»	Mons. Andrea Killiam, della diocesi di Wilcannia-Forbes.
6	***luglio***	»	Mons. Michele Cano, dell'archidioeesi di Guadalajara.
14	»	»	Mons. Francesco Fazzari, della diocesi di Gerace.
»	»	»	Mons. Gaetano Audino, della medesima diocesi.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze :

L'Ordine della Milizia Aurata, detto dello Speron d'oro :

21 luglio 1919. Al sig. Luigi M. de Sousa Rebello Vahia, visconte di S. Giovanni da Pesqueira.

La Commenda dell'Ordine Piano:

21 luglio 1919. Al sig. conte Stanislao Colacicchi, esente delle Guardie Nobili.

» » » Al sig. marchese Alfonso Varano, esente delle Guardie Nobili.

» » .» Al sig. comm. Paolo Croci, cameriere di Spada e Cappa di numero.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 giugno 1919. Al sig. dott. Ottone von Muhlberg, già Ministro di Prussia presso la S. Sede.

La Commenda con placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

U aprile 1919. Al sig. cav. Edoardo L. Hearn, commissario supremo in Europa dei Cavalieri di Colombo durante la guerra.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

5 luglio 1919. Al sig. Giulio Billiet, dell'archidiocesi di Cambrai.
14 » » Al sig. dott. Guido Jockner, dell'archidiocesi di Monaco e Frisinga.
» » » Al sig. barone Leone de Crouzas-Crétet, dell'archidiocesi di Parigi.
» » » Al sig. Giuseppe Delom de Mezerac, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Fénelon Gibon, della medesima archidiocesi.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

21 giugno 1919. Al sig. dott. Pietro Antonio Giovanni M. Spaapen, della diocesi di Harlem.
3 luglio » Al sig. dott. Giuseppe Fouchet, della diocesi di Arras.
8 » » Al sig. avv. Pietro Vasquez Cisneros, dell'archidiocesi di Guadalajara.
» » » Al sig. avv. Michele Palomar y Vizcarra, della medesima archidiocesi.
9 » » Al sig. avv. Giacomo A. Flaherty, Cavaliere supremo di Colombo.
» » » Al sig. avv. Giuseppe C. Pelletier, capo della sezione legale dei Cavalieri di Colombo.
» » » Al sig. dott. Guglielmo P. Larkin, membro del Supremo Consiglio dei Cavalieri di Colombo.
12 » » Al sig. Gustavo Savignoni, di Roma.
21 » » Al sig. conte Florimondo de Liedekerke de Pailhe, della diocesi di Liegi.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

25 luglio 1919. Al sig. Salvatore Ciprotti, tenente dei gendarmi pontifici.
» » » Al sig. Vincenzo Crisanti, tenente dei gendarmi pontifici.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

1 luglio 1919. Al sig. Carlo Lem gruber Kropf, già consigliere dellAmbasciata del Brasile presso la S. Sede.

' MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è-degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

25 giugno 1919. Mons. Lorenzo Giuseppe Dijkmans, della diocesi di Bois-le-Duc.
26 » » Mons. Luigi Martinelli, dell'archidioeesi di Lucca.
3 luglio » Mons. Federico Salvati, della diocesi di Capaccio Vallo.
» » » Mons. Giuseppe M[a] Reigadas y Antigua, della diocesi di Pinar del Rio.
» » » Mons. Guglielmo Gonzalez y Aròcha, della medesima diocesi.
» » » Mons. Gerardo Ortega y Gonzalez, della medesima diocesi.
10 » » Mons. Mariano Blaha, della diocesi di Scepusio.
18 » » Mons. Giuseppe Botta, della diocesi di Biella.
» » » Antonio Okolo-Kulak, della diocesi di Riga.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S.S.:

3 luglio 1919. **11** sig. Riccardo Sella, dell'archidioeesi di Torino.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

26 gmgno 1919. Mons. Silvio Pierantozzi, della diocesi di Corneto e Civitavecchia.
21 luglio » Mons. Giuseppe Carinci, delia diocesi di Veroli.
» » » Mons. Stefano Sciolli, della di@cesi di Fossano.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa soprannumerari di S. S. :

3 luglio 1919. Il sig. Lorenzo Dufour, dell'archidioeesi di Genova.
18 » » Il sig. Camillo Antonini, di Róma.
21 » » Il sig. Marchese Agostino Fernandez de Peñaranda y de Angulo, della diocesi di Madrid.
» » » Il sig. Alfredo Stagni (Alessandria d'Egitto).

NECROLOGIO

3 luglio 1919. Mons. Dionisio Avila, vescovo di La Paz (Bolivia).

Annus XI - Vol. XI 1 Septembris 1919 Xum. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

CONSTITUTIO APOSTOLICA

S. SEBASTIANI FLUMINIS IANUARII

DE ERECTIONE INSIGNIS COLLEGIATAE ECCLESIAE ,

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Legitimis litteris, ab Ordinario S. Sebastiani Fluminis Ianuarii recognitis et approbatis, pius vir Emmanuel Vieira dos Santos, anno millesimo septingentésimo sexagesimo quarto, venerabili Confraternitati in eadem urbe erectae, a sancto Petro Apostolo nuncupatae et in ecclesia eiusdem nominis constitutae, capitalem summam quadraginta duorum millium cruciatorum donavit, ea lege ut, detractis duobus millibus cruciatorum, in peculiares fines erogandis, reliquum tuto ac utili modo collocaretur, ad creandum et rependendum ex parte chorale quoddam servitium quinque Capellanorum, qui diurnum et nocturnum officium cum missa cantata, more Canonicorum, in praedicta ecclesia sancti Petri obirent; ex parte vero ad ipsam capitalem sortem fructuum cumulatione augendam, quo paullatim posset Capellanorum numerus et chorale servitium incrementum obtinere.

Voluit insuper pius vir ut legatae sortis administratio et patronatus activus super Capellanos eorumque chorum propria essent Confraternitati, passivum vero patronatum obtinerent consanguinei sui, iuxta leges in praefatis litteris contentas.

Res porro tam utiliter a Sodalitio gestae fuerunt, ut sors capitalis et numerus choralium in praesenti aucti mirabiliter sint.

Quapropter praefatae venerabilis Confraternitatis Moderatores, suffragante dilecto filio Nostro Ioachim, tituli sanctorum Bonifacii et Alexii, S. R. E. Presbytero Cardinali Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, hodierno Archiepiscopo Fluminis ianuarii, cum favorabili voto Capituli Metropolitam, quibus quoque accessit Apostolici Nuntii penes Rempublicam Brasilianam commendatio, a Nobis petierunt ut Capellanorum chorus in Canonicorum Capitulum immutaretur et ad Collegiatae Insignis honorem eveheretur.

Nos autem, referente dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali S. Congregationis Consistorialis Secretario, prae oculis habentes quae exposita hucusque sunt, et considerantes S. Petri Apostoli Ecclesiae dignitatem, eiusque amplitudinem, instructum, ornatum ac dotem, quae omnia ad Collegiatae decus habendum conferunt, oblatas preces benigne excipiendas censuimus et decrevimus.

Quocirca per praesentes Litteras, de Apostolicae potestatis plenitudine, suppleto etiam, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sua interesse praesumant consensu, chorum Capellanorum praedictae Ecclesiae S. Petri Apostoli in Canonicorum Collegium et Capitulum erigimus et constituimus, ipsamque ecclesiam ad Insignis Collegiatae honorem evehimus, cum omnibus iuribus, privilegiis, honoribus et officiis, quae ceteris Collegiatis et Capitulis, ad tramitem iuris et Codicis ecclesiastici, sunt propria, et hisce speciatim servatis legibus, scilicet: ut sexdecim sint Capitulares, quorum quattuor sint Dignitates, ex quibus prima erit Praesidis, altera Archipresbyteri, tertia Praepositi, quarta Capellani Magni, et duo Officia, Poenitentiarii et Theologi, qui ex Ordine ceteros simplices Canonicos praecedent. Simplices autem Canonici erunt sex ordinis sacerdotalis, duo ordinis diaconalis, duo ordinis subdiaconalis; atque octo choralia beneficia seu mansionariatu pariter constituimus ac erigimus, ita nempe ut octo habeantur sacerdotes mansionarii in Canonicorum auxilium, sicut in ceteris Capitulis moris est.

Indulgemus insuper ut, facta erectione dictae Ecclesiae Collegiatae, dilectus filius Noster Ioachim, tituli sanctorum Bonifacii et Alexii, S. R. E. Presbyter Cardinalis Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, hac vice tantum, sine ulla aliarum Litterarum Apostolicarum expeditione et absque concursu pro Poenitentiarii et Theologi Officiis, canonice conferat tum Dignitates, tum Officia, tum Canonicatus et Mansionariatus. Futuris vero vacationibus memoratae Dignitates de collatione erunt Apostolicae Sedis, reliqua vero beneficia iuxta novi Codicis praescripta

conferantur, reservato tamen iure patronatus passivo pro consanguineis Fundatoris, iuxta eiusdem Fundatoris voluntatem.

Attentis denique omnibus, de speciali ^gratia, in exemplum non trahenda, benigne indulgemus ut, post laudabile triginta annorum chorale servitium, praefatae Dignitates, Canonici atque Mansionarii impetrare a S. Congregatione Concilii possint iubilationis indultum.

Quae autem hisce Litteris Apostolica auctoritate a Nobis decreta sunt, nemini, ullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare, vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec autem omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Angelum Hyacinthum Scapardini, Archiepiscopum Titularem Damascenum, in Brasiliana republica Apostolicum Nuntium, eique tribuimus necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemcumque alium, in ecclesiastica dignitate constitutum, et definitive pronuntiandi super quavis oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncto eidem onere intra sex menses a data praesentium Litterarum computandos, ad Sacram Congregationem Consistorialem transmittendi exemplar, authentica forma exaratum, peractae exsecutionis.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras, contrariis quibuslibet, etiam peculiari et expressa mentione vel derogatione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo decimo nono, die decima sexta mensis maii, Pontificatus Nostri anno quinto.

O. CARD. CAGIANO
S. B. E. Cancellarius.

C. CARD. DE LAI, *Ep. Sabinensis.*
Secret. S. Congreg. Consistorialis.

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*
Lodovicus Schüller, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi

Beg. in Canc. Ap., vol. X VIII, n. 29.

EPISTOLAE

I

AD ANTONIUM S. R. E. PRESB. CARD. MENDES BELLO, PATRIARCHAM OLYSSIPONENSEM CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS LUSITANIAE." DE INEUNDA RATIONE AD RES ILLIUS ECCLESIAE RELEVANDAS.

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae semper Nobis fuit spes, fore ut in melius aliquando, Deo favente, res ecclesiae Lusitanae verterent, eam quidem communes litterae, quas proxime ad Nos misistis, confirmaverunt. In his enim non modo insignem illam erga Christi Vicarium vestram pietatem agnovimus, sed etiam inita a vobis in annuo coetu consilia susceptoque studia libentissime didicimus. Profecto dubitari non potest quin ista pastoralis sollertia et animorum consensio valde Lusitaniae eventura sit frugifera; in quo ipso egregiam Nuntio Nostro, quem vos laetabundi accepistis, navabitis operam. Iam vero duo sunt, quae praecipue commendata vobis volumus. Primum est de institutione Cleri adolescentis; qui cum maxime spem contineat relevandae istius rei catholicae, summopere vos scilicet curabitis, ut non solum vocatione sua sancta dignus evadat, sed par etiam aptusque populi necessitatibus. Qua in re sane non necesse habemus vos hortari, ut delectos de vestris clericis in Lusitano huius almae Urbis Collegio educari ad sacerdotium velitis. Nam, cum nusquam alibi praesto sint sacrae iuventuti uberiora, quam Romae, ad pietatem doctrinamque colendam praesidia, tum inest in hoc ipso Collegio tamquam peculiare vinculum vestrae coniunctionis cum hac Apostolica Sede, cui quidem scimus vos in exemplum esse devotos. Praeterea, quoniam plurimum possunt in utramque partem ea quae cotidie vel in certos dies scripta vulgantur, vos vigilabitis, ut his quoque armis catholici homines ad principia institutaque christiana tuenda recte utantur ac sapienter: est enim periculum, ne per imprudentiam potius obsint, quam prosint religioni. De Codice autem in usum deducendo, spectatae prudentiae studioque vestro plane confidimus; quod si aliqua in re nimium adesse difficultatis vobis videatur, non equidem maternam Ecclesiae indulgentiam patiemur a vobis desiderari. Cum Ecclesiae autem legibus leges non modo non pugnare, sed congruere debere civitatis, palam est, quum morum disciplina, unde publici ordinis tranquil-

litas exsistit, religione, tamquam suo fundamento, nitatur. Etenim « nisi «Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant « eam ». In quo certe vos, Ecclesiae sanctae agentes causam, simul vestrum communis patriae amorem probabitis. Nosque, auspicem divinorum munerum praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, cunctoque vestro clero ac populo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, in festo Apostolorum Principum, MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. P. D. PAULINUM LADEUZE, RECTOREM, ITEMQUE AD DOCTORES DECURIALES UNIVERSITATIS LOVANIENSIS: DE HAC IPSA QUAMPRIMUM IN PRISTINUM RESTITUENDA.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Quamquam, quoad luctuosissimum bellum tenuit, in cuius quidem initio Pontificatum suscepimus, non licuit vobis, propter exitium patriae vestrique cladem Athenaei, communibus Nos adire litteris, numquam dubium Nobis fuit, quin ita erga Nos animati essetis, quemadmodum filios deceret amantissimus. Nunc, legentes vestram epistolam, mirifice delectati sumus illa pietatis et obsequii in Nos et hanc Apostolicam Sedem significatione pulcherrima; quae scilicet eo Nobis accidit iucundior, quo acrius contendiste scimus improbos homines, ut vos a Nobis abalienarent. Etenim, cum, doloribus omnium tamquam Nostris affecti, quantum erat in Nobis daremus operam ut tantorum maiorum finis approperaret, intereaque miserias omne genus levare niteremur, illud Nostram augebat aegritudinem, non paucos esse qui quaevis vel consilia vel conata vel coepta Nostra maculis odiosarum suspicionum aspergèrent, aut etiam indigne criminarentur.

Itaque peropportune affirmatis: in acerrima contentione belli, quae tantam usquequaque animorum offensionem coniunctam haberet, Nos ex Nostra ipsa parentis communis conscientia, cum plurimi utrobique essent Ecclesiae filii, eam debuisse agendi rationem sequi ut neutri parti studere videremur, eaque re, nullis iure suspecti, omnibus prodesse possemus; cum autem hanc rationis aequalitatem adhiberemus ad

omnes, singulari tamen curae Nobis fuisse Belgium, atque illud ante omnia in pristinum esse restituendum semper edixisse. Haec vero aperte profitentibus vobis, sperandum est simplices ac rudes bene multos quos malevolentissimae illae obtrectationes deceperint, tandem errorem depositaros. Vos autem cum de vestris rebus omnibus tum maxime de relevanda ista Universitate Nobis curae esse pro certo habeatis volumus: cuius quidem descripta a vobis species sane miserabilis vehementer Nos movet, contemplantes quam magnis acceptis vulneribus e bello emergat. Equidem intelligimus ad ornamentum et utilitatem Belgici nominis multum interesse ut istud doctrinarum nobilissimum domicilium celerrime reviresca: quam ad rem et iam contulimus aliquid, ut ipsi gratis animis commemoratis, neque posthac desiderari patiemur, quicquid Nobis fuerit facultatis. Ceterum Belgii laborantis causam, quae eadem Nostra est, Deo vehementer commendamus, precamurque ut omnem lacrimam ab oculis vestris sua benignitate abstergat. Divinorum auspicem munerum praecipuáeque Nostrae benevolentiae testem, apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, vestrisque alumnis universis amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die VII iulii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD R. P. AUGUSTINUM GARAGNANI S. I. DE ERIGENDO « ISTITUTO DI COLTURA FILOSOFICA E RELIGIOSA » APUD GREGORIANAM UNIVERSITATEM.

Diletto figlio, salute ed apostolica benedizione. — Nel decorso anno vedemmo con vivo compiacimento iniziarsi in cotesta insigne Università il corso superiore di religione per il laicato, col fine di promuovere la difesa scientifica ed una penetrazione più profonda del pensiero cristiano fra le persone colte della società. Questo seme gettato da esperte mani e fecondato da alacre zelo in un terreno che Noi conoscevamo bramoso di raccorglielo, Ci infondeva nel cuore la speranza **di** una mèsse ubertosa e consolante. Ed ora siamo ben lieti di poter constatare che i risultati di questo primo anno scolastico bene hanno corrisposto alle Nostre previsioni. Anzi come voi, diletto figlio, Ci avete testé riferito, tale è stato il felice successo dell'opera da consigliare **ad**

ampiaría e trasformarla in una organizzazione più perfetta, col titolo *di* « Istituto di coltura filosofica e religiosa», annesso all'Università Gregoriana, retto dal Consiglio della stessa Università e sostenuto dai professori del medesimo Ateneo. Il nuovo Istituto non avrà altra mira, come voi Ci avete dichiarato, che d'irradiare sulle intelligenze colte dei contemporanei la luce serena che emana dalla Cattedra di San Pietro e di suscitare un fascio di sane e vigorose energie per la causa della religione e della Chiesa. Non è a dubitare che intendimenti siffatti ottengano il loro pieno conseguimento, data la valentia e l'alacrità del Corpo dirigente e docente, io sperimentato buon volere degli uditori, nonché la serietà e l'opportunità del programma. Ond'è che sentiamo farsi anche maggiori quelle speranze che furono da Noi concepite all'inizio di quest'opera e comprendiamo di potere a buon diritto attendere dalla saggia iniziativa il più largo contributo alla restaurazione cristiana della parte intellettuale della società. E quanto sia necessario questo contributo si comprenderà di leggieri ove si consideri che, mentre Noi nell'adempimento della Nostra divina missione non cessiamo, coli'aiuto soprattutto dei vescovi e del clero, di diffondere in ogni luogo della terra e d'inculcare nelle menti e nei cuori la verità della dottrina cristiana, fedeli al divino mandato: *Praedicate Evangelium omni creaturae,* i nemici della Chiesa si sforzano con incessante pervicacia di coprir di zizzania e cioè di ogni sorta di pregiudizi e di errori, il terreno da Noi seminato colla buona semenza del Vangelo e per meglio giungere alla vasta massa delle ignare e semplici moltitudini, prendono a primo obiettivo le classi studiose, e con ingannevoli teorie le battono in breccia nelle Università, nelle stampe, nei discorsi. Per ciò Noi riteniamo provvidenziale e più che mai adatta all'età nostra la fondazione di una palestra di coltura superiore filosofica e religiosa per il laicato, particolarmente in questa alma città, che, essendo il centro del cristianesimo e la residenza del supremo Gerarca della Chiesa cattolica, anche nei riguardi del ceto laicale, deve essere come faro di luce al mondo intero nella profonda conoscenza e nella intrepida difesa della nostra santa religione. In ordine al suddetto magistero filosofico e religioso per il laicato Noi, diletto figlio, vi abbiamo espresso sentimenti di paterna compiacenza e di lusinghiera fiducia; e dopo ciò non vogliamo omettere di tributare il ben meritato encomio a voi ed ai vostri benemeriti colleghi, nonché a tutti quei volenterosi uditori che nel decorso anno col frequentare assiduamente e studiosamente la scuòla corrisposero con fedeltà ed amore ai desideri Nostri, alle vostre commendevoli sollecitudini ed ai sublimi scopi della benemerita istituzione e mostrarono di sapere degnamente

apprezzare il valore di quella scienza che vale ad assicurarci l'eterno vero e l'eterno bene, e dalla quale il misero mondo devia nell'inganno, nell'incoscienza, nell'infelicità. In attestato di paterna benevolenza ed in auspicio dei celesti aiuti, che invochiamo abbondanti sull'erigendo Istituto, impartiamo di cuore a voi, diletto figlio, alla direzione, al corpo insegnante ed ai singoli alunni l'apostolica-benedizione.

Dal Vaticano, li 20 luglio 1919.

BENEDICTUS PP. XV

IV

AD R. P. D. MARTINUM HIERONYMUM IZARD, ARCHIEPISCOPUM BITÜRICENSEM, QUINQUAGESIMO REDEUNTE ANNO CUM IMAGINI DOMINAE NOSTRAE A S. CORDE IESU IN BASILICA EXOLDUNENSI AUREA CORONA IMPOSITA EST.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Inter mariales aedes, quibus Gallia feliciter nobilitatur, merito sane praeclarum locum obtinet Exoldunensis Basilica a b. m. pientissimi viro Iulio Chevalier, Societatis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu conditore, excitata. Cum enim ibidem sacra effigies Dominae Nostrae a Sacro Corde Iesu publicae venerationi proposita esset et Sodalitas constituta, "tam impense huiusmodi cultus, eorum religiosorum studio, in primisque generalium Moderatorum - quos inter memorare libet dilectum filium Eugenium Meyer, qui nunc eidem Societati praeest - provectus est, ut non solum per Europam sed in longinquas etiam regiones mirifice propagaretur. Nunc autem auspicato contingit ut annus propediem expleatur quinquagesimus ex quo rite a perillustri Archiepiscopo Bituricensi Carolo A. de la Tour d'Auvergne, nomine quidem decessoris Nostri f. r. Pii IX, aurea corona Imagini illi augustae imposita est. Equidem gaudemus istic, uti nuntiatur, sollemnia apparari celeberrima, teque in hanc rem pastorales litteras ad tuum gregem dedisse; optamusque ut cum peregrinantium bonorum agmina, Episcopis praeeuntibus, undique ad simulacrum Virginis confluent, laborantem his miseris temporibus Dei Ecclesiam omnes Ipsi commendent. Ac certe tanta est beneficiorum copia quae ex benignitate divinae Matris in populum christianum, postremo maxime bello, tamquam e perenni fonte profluxit, ut dubium non sit quin ingentem agat optimus quisque gratiam, quae in coronam

gloriae capiti eius pulcherrimam praefulgeat. Interea, ad augendum laetabilis rei fructum, perlibenter haec damus:

I) ut quicumque die VIII proximi mensis septembris ecclesiam quamlibet vel sacellum inviserint, ubi sodalitas constituta sit cum Archisodalitate Dominae Nostrae a S. Corde Iesu consociata, ii omnes plenariam indulgentiam, consuetis Ecclesiae conditionibus, semel lucrentur;

II) ut plenariam admissorum veniam ii omnes *toties quoties* impetrent qui Exoidunensem Basilicam inviserint;

III) ut altaris privilegio sacerdotes omnes fruantur qui eo die in eadem Basilica sacrum facient;

IV) ut S. R. E. Cardinalis aut Archiepiscopus, qui sacris sollemnibus praeerit, papalem benedictionem impertiat.

Atque auspicem divinorum munerum et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, tuo clero populoque, ac praesertim dilecto filio Eugenio Meyer eiusdemque familiae universae, apostolicam benedictionem amantissime largimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XV mensis augusti, in festo B. Mariae Virginis sideribus receptae, MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACKA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECLARATIO

CIRCA NATURAM QUASI-PAROECIARUM VEL MISSIONUM DIOECESUM QUARUNDAM POST CODICIS IURIS CANONICI PROMULGATIONEM.

Ex dioecesibus, quae, ante Constitutionem *Sapienti consilio,* iurisdictioni S. C.^de Propaganda Fide subiiciebaniur, postea vero in ius commune traductae sunt, nonnulla dubia fuerunt proposita circa naturam paroeciarum seu missionum, in quas eaedem dioeceses partiuntur et circa iura atque officia rectorum earundem.

Sacra autem haec Congregatio, auditis plerisque praedictarum dioecesum Ordinariis ac re mature perpensa, haec in re censuit declaranda:

I. Ex Can. 216 Cod. I. C. indubium est, partes dioecesum ut supra, quibus peculiaris rector pro animarum cura sit adsignatus, uti *paroecias* in posterum haberi atque eo nomine appellari debere; reservata appellatione *quasi-paroeciarum* vel *missionum* partibus in quas, pro cura animarum, dividuntur Vicariatus apostolici et apostolicae Praefecturae.

II. Ad constituendas paroecias requiritur quidem Ordinarii decretum, per quod territorii fines, sedes paroecialis et dos tam pro cultu quam pro sacerdotis sustentatione determinentur; necesse tamen non est inamovibilitatem rectori assignari; quin imo, si iustae adsunt causae, *amombilitas* in ipso creationis decreto declarari potest, iuxta canones 1411, § 4, 454, § 3, et 1438.

III. Quod si exiguus aut fluctuans fidelium numerus, vel absoluta congruae dotis carentia erectionem quarundam ecclesiarum in paroecias minime suadeant; huiusmodi ecclesiae uti *subsidiariae* vel *capellaniae* habeantur intra fines alicuius paroeciae, cuius in ditione ac dependentia manebunt, donec paroecialitatem propriam assequi poterunt.

IV. In constituenda erigendarum paroeciarum dote prae oculis habeantur quae in Codice statuuntur, cann. 1409, 1410 et 1415,. § 3.

V. Erectione porro, uti supra, canonice peracta, rector paroeciae, sive parochus, sive vicarius oeconomus obligatione tenentur applicandae

Missae pro populo; a qua eximuntur rectores ecclesiae subsidiariae vel capellaniae. Quod quidem onus si nimis grave reperiatur, ad Sanctam Sedem recurrendum erit pro opportuna reductione.

Romae, ex aedibus S. G. Consistorialis, die 1 augusti 1919.

£ß C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. % S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, SSmus D. N. Benedictus XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

31 iulii 1919. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Mocissensi praefecit R. P. D. Adulphum Fritzen, hactenus episcopum Argentoratensem.

— Titulari archiepiscopali ecclesiae Attaliensi, R. P. D. Willibrordum Benzler, hactenus episcopum Metensem.

1 augusti. — Cathedrali ecclesiae Argentoratensi, R. P. D. Carolum Iosephum Eugenium Ruch, hactenus episcopum Nanceyensem et Tullensem.

— Cathedrali ecclesiae Melensi, R. D. Ioannem Baptistam Pelt, praelatum domesticum Sanctitatis Suae, eiusdem dioeceseos vicarium generalem.

— Titulari episcopali ecclesiae Madaurensi, R. P. D. Ignatium Le Ruzic, hactenus episcopum Caiesensem.

9 augusti.— Metropolitanae ecclesiae Fogarasiensi et Albae-Iuliensi graeci ritus S. R. E. uniti, R. D. Basilium Suciu, hactenus vicarium capitularem eiusdem archidioecesis.

13 augusti. — Titulari episcopali ecclesiae Orthosiensi, R. P. Hippolytum Uiivelli, Ordinis Fratrum Minorum, quem constituit vicarium apostolicum regionis *Gran Chaco.*

— Titulari episcopali ecclesiae Catennensi, R. P. Raimundum Calvo, Ordinis Fratrum Minorum, quem constituit vicarium apostolicum regionis *El-Beni* in Bolivia.

18 augusti. — Abbatiae *nullius dioeceseos* SSmae Trinitatis Cavensis, R. P. Placidum M. Nicolini, O.S. B. Congregationis Cassinensis primitivae observantiae, hactenus abbatem monasterii vulgo *Fraglia.*

III

NOMINATIO

26 augusti 1919. — SSmus D. N. Benedictus PP. XV deputavit R. P. D. Augustum Curi, episcopum Galiiensem et Pergulánum, in *Administratorem Apostolicum dioecesis Maceratensis.*

iv

DESIGNATIO ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE IUXTA CAN. 1594, § 2

Iuxta can. 1594, §2 *Codicis Iuris Canonici* pro appellatione:

Rmus Archiep. Coloniensis designavit Ordinarium Monasteriensem.
» » Bisuntinus, Ordinarium Nanceyensem et Tullensem.
» » Lisbonensis, Ordinarium Eborensem.
» » Salisburgensis, Ordinarium Viennensem.
» » Olmucensis, Ordinarium Reginae-Gradecensem.
» » Sancti Francisci in California, Ordinarium Montereyensem Angelorum.
» » Quebecensis, Ordinarium Trifluvianensem in Canada.
» » Barensis, Ordinarium Tranensem et Barolensem.
» » Brundusinus, Ordinarium Barensem.
» » Lancianensis, Ordinarium Pinnensem et Atriensem.
» » Tarentinus, Ordinarium Barensem.

Quas designationes SSmus D. N. Benedictus Pp. XV approbare dignatus est.

DESIGNATIO ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE EPISCOPORUM SANCTAE SEDI IMMEDIATE SUBIECTORUM.

Vigore can. 1594 *Codicis Iuris Canonici %t* art. V decreti *Conciliorum provincialium* a S. C. Consistoriali editi sub die 15 februarii 1919 pro electione tribunalis secundae instantiae:

Rmus D. Herculanus Marini, Archiepiscopus Amalphitanus, designavit Ordinarium Salernitanum.

Rmus D. Ioannes Scotti, Archiepiscopus Rossanensis, Ordinarium Sanctae Severinae.

Rmus D. Franciscus Moretti, episcopus Interamnensis et Narniensis, Ordinarium Spoletanum.

Rmus D. Andreas Gassulo, episcopus Fabrianensis et Mathelicensis, Ordinarium Gamerinensem.

Quas designationes SSmus D. N. Benedictus Pp. XV benigne approbare dignatus est.

Romae, ex aedibus S. C. Gonsistoriaiis, die 18 augusti 1919.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

CUNEEN, ET UTÏNEN. . •

PRAECEDENTIAE

17 maii 1919

SPECIES FACTI. - 1. Quum ecclesiae cathedralis Guneensis Capitulum sua statuta obtulisset Episcopo, ut hic eadem ad normam Codicis noviter dati reformaret, et Episcopus, alacriter operi incumbens, opportunas immutationes inducendas proposuisset, has omnes ultro libenterque Canonici acceptarunt, praeter unam illam quae Vicario Generali, ad normam can. 370, § 1, tribuit « praecedentiae ius super omnibus.,, dignitatibus et Canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus « capitularibus, nisi clericus caractère episcopali fulgeat, et Vicarius « Generalis eodem careat ». Prior enim Parochus, prima Capituli in dicta cathedrali dignitas, de sui Episcopi venia, adversus hanc propositam statutorum modificationem recursum ad S. H. Congregationem **intera** posuit, plura pro sui iuris possessione afferens, quibus innixus sequentis dubii resolutionem reverenter petiit, nimirum: *An Vicario Generali Cuneen, ius praecedendi competat super Priore Parocho ecclesiae cathedrali in casu.*

% Dum praecedentis dubii disceptatio iam concludebatur, quaestio fere eadem excitata est in Capitulo Utincnsi: siquidem, accedente ad

chorum vestibus canonicalibus induto Vicario Generali, noviter inter Canonicos cooptato, quidam e capitularibus existimarunt eidem competere praecedentiae ius super omnibus capitularibus, non exclusis dignitatibus, ad normam can. 370; ceteri ex adverso censuerunt hoc praecedentiae ius deberi Vicario Generali, dumtaxat si hic accedat habitu vicariali indutus, non vero si accedat indutus habitu canonicali. - Controversia ad Archiepiscopum delata, hic in scriptis respondit: « che dopo « il Codice non era più il caso di ricorrere all'antica disiinzione dei « Canonisti, e che quindi il Vicario Generale, anche presentandosi in « coro come semplice canonico, deve avere la precedenza, rimanendo « inalterati gii altri diritti della prima dignità » ; sed capitularibus huic resolutioni non acquiescentibus, idem Archiepiscopus huic S. Congregregationi solvendum remisit dubium : *An ius praecedentiae super omnibus dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis spectet Vicario Generali in choro veste canonicali induto.*

ANIMADVERSIONES. - Contendit Prior Parochus Cuneensis per illatam m statuta modificationem laesa fuisse iura canonico Priori possessione supra centenaria quaesita, contra praescriptum can. 4. Etenim ex bulla erectionis Capituli Collegiali, d. 4 sept, 1703, « Prior *caput* ipsius Eccle- « siae collegiatae exsistat, et curam ipsius Ecclesiae Collegiatae, choro, « capitulo, processionibus, et aliis actibus et functionibus... *iurisdictionem « et praeeminentiam habeat* »: idipsum constat ex bulla erectionis dioecesis, a. 1817, qua collegiata erecta quidem est in cathedralem, sed servatis omnino antiquis dignitatibus cum eadem praeeminentia canonici Prioris: unde etiam in bulla provisionis hodierni canonici Prioris, a. 1889, dicitur Prior esse *prima dignitas post episcopalem.* Quae quum ita sint et quum can. 370 nullo modo revocet contraria privilegia, concludendum videtur, ad normam can. 4, nullam immutationem in casu, vel post Codicem, esse faciendam.

Attamen ab hac argumentatione non abest aequivocatio. Sane nemo contestatur Priori Parocho Cuneensi ius praesidendi coetibus capitularibus et retinendi in Capitulo primam dignitatem. Hoc quidem ius illi agnoscit allegata Bulla erectionis collegiatae (a. 1703) et conservat Bulla erectionis cathedralis (a. 1817); sed neque Codex huic iuri detrimentum aliquod affert, quum nihil definiat quoad ordinem et numerum **dignis** tatum **in** Capitulis, ut liquet ex can. 393, 408. Quapropter sicuti ante Codicem ita postea perseverare dicenda est illa varietas circa numerum et ordinem dignitatum, quam iam suo tempore testabatur B. Raymundus ib *Summa,* 1. III, tit. 27, § 5: « hac de re fere quot sunt ecclesiae, tot

« sunt consuetudinum varietates » : cfr. etiam Conc. Trid. sess. XXV, cap. 6, *de ref.* Ita e. g. quaedam Capitula unam habent dignitatem," quaedam duas, quaedam etiam septem; pariterque v. g. *decani* dignitas quae in Hispania est prima in Bavaria est secunda; *Archidiaconus* in Gallia prima dignitas in Austria quandoque tertia recensetur. Nihil igitur obstat ex parte Codicis quominus Prior Parochus in Gathed. Cuneensi prima dignitas habeatur.

Ab hac vero quaestione de *interna* constitutione cuiusque Capituli, omnino independens est quaestio de iure praecedentiae definiendo inter personas sive physicas sive morales. Norma seu lex ad rem plane est *mutabilis,* ideoque per eius mutationem non tolluntur vera iura quaesita, licet de facto fieri possit ut qui antea praecedentiam non habebat, postea habeat, et vicissim. Quamobrem frustra adversus effectus mutatae legis provocatur ad praescriptum can. 4 de iure quaesito non tollendo.

Haec ut plenius intelligantur duo consideranda sunt: illud primum quod iura quaesita spectantur in *personis* individuis, concretis, sive physicae sint sive morales : e contrario praecedentia statuitur inter *munera,* officia, qualitates, in abstracto (v. gr. antianitas, ordo sacerdotalis, etc.). Itaque si lex mutat ordinem praecedentiae inter diversa *munera,* non ideo tollit iura quaesita personis eadem munera obtinentibus.

Praeterea, can. 4 de non sublatis per Codicem iuribus quaesitis, in. eo habet fundamentum, quod lex, per se, non agit retrorsum, seu non habet vim retroactivam ut dici solet, quum «respiciat futura, non prae« terita » prouti habet can. 10. Id tamen non significat generatim legem non posse in futurum supprimere ius quod quis habet dum illa promulgatur, sed tantum non posse eam tollere in futurum ius quod quis, dum lex promulgatur, habet *dependenter a facto praeterito,* dum bene potest tale ius tollere in futurum, si sit *independens* ab aliquo facto praeterito. Ita v. g. *diaconus* qui ante Codicem accepit collationem paroeciae, habet ex facto praeterito collationis ius quaesitum in paroeciam: quamobrem lex can. 453 exigens ad officium parochi *sacerdotium* et auferens diaconis capacitatem ad tale officium, profecto nequit auferre tali diacono capacitatem : eo ipso quia nequit agere retrorsum, nequit ius quaesitum tollere, dum ageret retrorsum tolleretque ius quaesitum si auferre praetenderet capacitatem dependentem omnino a facto praeterito. E contrario vir constitutus in xv aetatis anno in vigilia Pentecostes anni 1918 habilis erat ad contrahendum matrimonium, quam habilitatem sustulit profecto insequenti die Codicis can. 1067 exigens xvi aetatis annum. Agebatur enim de supprimendo in futurum, ius *nullo modo dependens a facto praeterito,* ideoque lex illam habilitatem tollens, nequa-

quam egit retrorsum nec sustulit quaesitum ius. Ratio namque cur iuvenis xv annorum sit inhalilis ad matrimonium *est praesens eius aetas,* non factum praeteritum, quia nullo umquam tempore quispiam ius habuit quaesitum ad matrimonium ante aetatem *a lege ipsa* permissam. A pari, in nostro casu, qui, quum sit prima dignitas Capituli, habebat praecedentiae ius in choro super Vicario Generali, ita disponente lege quae tunc vigebat; hodie, mutato hoc iure et sancita praecedentia Vicarii Generalis etiam super dignitatibus, idem ille, quamquam sit et maneat prima dignitas, iam nequit praetendere praecedentiam quam habebat; quia nimirum hoc ius per legem fuit in futurum sublatum independenter a facto praeterito, immo^per solam legis mutationem; quum numquam prima dignitas habuerit praecedentiae ius super illis quos lex ei quoad praecedentiam anteponeret. Id manifestius quoque, si oporteret, redderetur considerando quod, si argumentum istud de iure quaesito non tollendo in casu valeret, valeret pro omnibus et singulis Capitulis, et ideo in nullo Capitulo locum haberet praescriptum can. 370. Enimvero in omnibus et singulis Capitulis, prima dignitas, in functionibus choralibus et capitularibus, super Vicario Generali qui ut simplex canonicus accederet, praecedentiam habebat ante Codicem.

Codicem autem immutasse de facto ius antea in hac parte vigens, res est manifesta: immo leges de praecedentia in Codice contentae sunt et apparent ex illis legibus quae « totam de integro ordinant legis prioris « materiam » (can. 22) et ideo ad normam can. 6, n. 1, quaslibet leges sive particulares sive contrarias omnino abrogant. Enimvero in Codice primum (can. 106) inveniuntur normae generales, perspicuae illae ac omnino rationabiles, hanc materiam ordinantes, quae singulis locis variis muneribus applicantur, utpote nominatim in can. 370 officio Vicarii Generalis. Frustra quid simile perquires in toto corpore iuris (cfr., v. g., can. 1 et 15, X, *de maior, et obed.,* I, 33; Extra v. Ioann., XXII eod; Conc. Trid., sess. XXV, can. 6 et 17 *de ref.):* ubi nonnisi lacinias invenies, praeter quas, ad moderandum ius praecedentiae, non supererat nisi congeries resolutionum S. R. C, atque usus et observantia. Signanter circa munus Vicarii Generalis ex densa et intricata sylva decisionum S. R. G. id demum erui poterat: Vicario Generali deberi primum locum ante Capitulum non exclusis dignitatibus, tam absente quam praesente Episcopo (quamvis hoc postremum magis erat controversum) si interveniebat ut Vicarius Generalis et in habitu vicariali, non autem si uti canonicus et in habitu canonicali. Id autem praeterquam satis incongruum esset, quum Vicarius Generalis cogeretur vel *distributiones chorales* (in prima hypothesi); vel *praecedentiam* (iri altera) amittere, non

ubique erat receptum r immo quum ea de causa controversiae et lites et rixae non cessarent, universale remedium inventum fuerat, standum esse hac in re consuetudini cuiusque ecclesiae (Ferraris, sub voc. *Vicarius Generalis).*

Merito itaque Codex totam *ex integro* hanc materiam ordinavit non modo praecedentiam definiens quoad singula munera, sed etiam principia generalia statuens unde illae singulae sanctiones aestimarentur. In nostra specie can. 370 prona est applicatio horum principiorum prout can. -106 ponuntur: ibi enim legitur: « 1) qui alius personam gerit ex eadem « obtinet praecedentiam ; 2) cui est auctoritas in personas sive physicas « sive morales-eidem est ius praecedentiae supra illas »: quae duo principia evidenter obtinent in munere Vicarii Generalis respectu cuiuslibet membri aut dignitatis Capituli et etiam integri Capituli (cfr. can. 368), quum ille teneat locum Episcopi et habeat iurisdictionem in omnes et singulos clericos dioecesis, non exclusis canonicis et dignitatibus ecclesiae cathedralis. Itaque ordinata noviter ex integro ad normam horum principiorum materia de praecedentia Vicarii Generalis, iam nullo modo attendendum est ad obsoletam distinctionem Vicarii assistentis in qualitate, seu melius, in habitu vicariali, et in qualitate, seu potius, in habitu canonicali: vicissim, quum ex hisce principiis, merito Codex negaverit Vicario Generali praecedentiam in clericum charactere episcopali fulgentem, quatenus ipse eodem careat, cessavit omnino quod satis communiter tradebant Auctores (cfr. r. g., Leurenium, *de Vic. Gener.*, q. 41): Vicarium nempe Generalem praecedere ceteris canonicis, tametsi aliqui ex illis consecrationem Episcopalem recepissent.

Ceterum, quod attinet distinctionem vestis vicarialis et vestis canonicalis, haud immerito quis coniiceret eam excogitatam esse ad tollendum altera manu quod altera concedebatur. Tenebant enim Doctores, Vicarium Generalem nisi vestibus canonicalibus indutus suae receptionis occuparet stallum, non lucrare distributiones (cfr. Ventriglia, *Prax.*, Lotter, *De benef.*, I, q. 16, n. 63; Barbosa, *De canon.*, c. 18, n. 32). Quo pacto Vicario Generali *in choro* de facto praecedentiam negabant; nam si Vicarius Gen. non est canonicus, nihil habet *in choro* faciendum: chori enim nomine non intelligitur locus materialis, sed consessus officium divinum in loco chori peragentium. Si itaque explicite Codex Vicario Generali praecedentiam servat *etiam in choro,* eidem illam servat etiam quando ut canonicus, *veste canonicali* indutus ad normam can. 409, ibi praesens est: non enim in choro praesens, sed tamquam absens a choro censeretur iuxta praefatum canonem, si in veste canonicali non accederet.

RESOLUTIO. - Emi Patres S. G. Concilii in plenariis comitiis diei 17 maii, supra enunciatis dubiis^" propositis, respondendum censuerunt *Ad utrumque: affirmative.* Quam resolutionem SSmus D. N. Benedictus div. Prov. PP. XV, referente infrascripto S. C. Secretario in Audientia insequentis diei 18, approbare et confirmare dignatus est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

NUCERINA PAGANORUM SEU SALERNITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI PHILUMENAE IOANNAE GENOVESE E TERTIO ORDINE S. FRANCISCI. '

In civitate Nuceriae Paganorum ortum duxit, sancte vixit pieque obiit, die 12 decembris anno 1864, in aetate viginti et novem annorum, Philumena Ioanna Genovese, e Tertio Ordine Sancti Francisci, cuius corpus in ecclesia Conventus Ordinis Fratrum Minorum, Sanctae Mariae Angelorum dicata, nunc quiescit. Haec Virgo, mente et corpore candida, floruit sicut filium, suae virtutis fragrantiam undequaque circumfundens, innocentia et poenitentia mirifice consociatis. E piis honestisque parentibus Paulo Genovese et Maria Petrorino in lucem edita, die 29 octobris anno 1835, sacramento baptismi subito regenerata est. Inde ab infantia futurae abstinentiae portendebat indicia et, a ludis puerilibus aliena, solitudinem quaerebat, ubi sola coram Deo orationem Dominicam, salutationem angelicam aliasque preces libentissime ingeminabat. Septennis, irruente imbre per urbem, aquis fere obruta, Deo adiuvante, incolumis evasit. Ad primam Synaxim admissa, etiam ad virtutum incrementa stimulos sensit alacriores. Genitoribus et magistris obediens et subiecta, ita pia et modesta aestimabatur, ut ceteris puellis indigitaretur in exemplum. Rei familiari ac domesticis muniis etiam humilioribus, veluti ancilla, sedulo incumbebat. Sibi suaeque famulae quae, iussu matris, fluentes eius crines ornatius concinnabat, in memoriam revocare solebat Christum, cui crines passi et direpti erant. Simili cogitatione et sensu

ducta, vultum et vestes etiam maculis deprimebat, ut, non mundo et hominibus, sed Deo et Domino nostro Iesu Christo unice placeret. Sanctorum vitas assidua lectione ac meditatione percurrens, maxime delectabatur in gestis sanctae Veronicae de Iulianis, sancti Iosephi a Cupertino et sanctae Rosae Limanae. Quadam die sagum induta, lumbos fune praecincta et Crucifixi simulacrum gestans, occurrit matri eique dicit se ad virtutem Rosae Limanae imitandam vehementer incitari atque in eius fidem et clientelam se conferre, ut tutum in periculis inveniret refugium. Patentibus hisce signis vitae exterioris facile excogitavit aliquam religiosam Familiam ingredi, probe sciens quod, ad perfectionem adipiscendam, ingens in secessu subsidium positum est. Deus tamen aliter disposuit. Tunc, annuente genitrice, castitatis, paupertatis et obedientiae votis se Philumena obstrinxit atque in perpetuum se Deo devovit. Quae quidem vota pritatim emissa, deinceps eius conscientiae moderator, Dominicus Ramaschiello, postea Episcopus S Agatae Gothorum, publice ac rite suscepit in templo S. Matthaei Apostoli. Per fidelem votorum observantiam alacri cursu ad vitae perfectionem et caritatem in Deum intendebat pia Virgo quindecim annos tantum agens; sed illico, tumore ossi in sinistra eius gena suborto et crescente, ita tota ipsius facies intumuit, ut operationem chirurgicam subire debuerit quam, forti animo, absque ullo questu, sustinuit, in Christi simulacrum e cruce pendentis oculis defixis. De accepto sanationis beneficio memor et grata, statim ecclesiam adivit et preces coram SSmo Sacramento in gratiarum actione fundere festinavit. Eius virtus etiam resplenduit, labore assiduo et quotidiano, adsistens fratri s¿io sacerdoti aegrotanti Vincentio, donec hic, sacramentis Ecclesiae refectus et sororis caritate recreatus, animam exhalavit. Mox ipsa Philumena, sontico morbo correpta, quum nec medici etiam peritissimi, nec remedia praescripta, nec balnea, marina Neapoli sumpta, aliquem salutarem effectum obtinerent, inter vehementes cruciatus levamen et solatium caeleste experiebatur a frequenti sacri Convivii communione. Biennio post, quum diutinus et fastidiosus morbus paulum remisisset, tum studio perfectionis, tum pietate, quam inde a teneris annis erga seraphicum Patrem Franciscum ferebatur, Dei Famula permota, Tertio Ordini franciscali nomen dedit, ut, ad humilem Christi eiusque servi fidelis Francisci sequelam, terrena despicere, caelestia acquirere et in amore et amplexu sanctae crucis, omnia, ad patriam peregrinanti adversa, superare contenderet. Seraphico ideo poenitentiae habitu induta, exempla sibi proposita usque ad mortem studuit referre et feliciter expressit per maiorem rerum fluxarum contemptum, animi corporisque candorem,

vitam paenitentem et varia caritatis opera. Interim parenti, lenta paralysi affecto et in lecto decumbenti, per triennium et ultra sine intermissione, veluti angelus, adstitit, atque intirma infirmum et patiens patientem omnigenis modis usque ad ipsius obitum consolari sategit. Tandem Philumena, gravibus et Ipsa ac diuturnis laboribus et morbis fracta et vexata, dum fervido orandi studio atque effusiore in Deum pietate, necnon peculiari in Deiparam Virginem aliosque sanctos Gaelites devotionis affectu plena, aftlictae carni levamen afferebat et spiritualem quandam dulcedinem degustabat, in aetate adhuc fiorente, ob vehementiorem inveterati morbi vim ad extremum deducta, Nuceriae Paganorum, die 12 decembris anno 1864, obdormivit in Domino. Licet vita Servae Dei, in suo brevi cursu, tota fuerit abscondita cum Christo in Deo, eiusque virtutes in templo et inter domesticos parietes potissimum duxerint, tum ex indole puellae, a mundo prorsus alienae, ne contaminaretur, tum ex gravibus et fere continuis infirmitatibus, quibus ipsa et consanguinei sui afflictabantur, nihilominus ad exteros et ad suos praecipue concives eius sanctitatis fama devenit. Post eius vero pretiosum obitum, per frequentiam fidelium ad sepulcrum, per vitae narrationem et lectionem, per imaginum requisitionem et distributionem, accedentibus quoque signis et prodigiis, quae a Deo patrata ferebantur ob interventum eius servae fidelis, haec ipsa sanctitatis fama magis in dies clara et diffusa invaluit, et usque in praesens florida viget in civitate et dioecesibus Nucerina Paganorum, Salernitana, Neapolitana, aliisque locis. Eapropter Processu Ordinario Informativo super eadem fama constructo et ad Sacram Rituum Congregationem transmisso, quum, servato iuris ordine, et peracta revisione scriptorum, ornnia in promptu essent, ut ad ulteriora procedi possit, instante admodum Rev. P. Francisco M. Paolini, Ordinis Fratrum Minorum et huius Causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis complurium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum, necnon canonicorum, parochorum, religiosorum ac piarum Congregationum utriusque sexus, praesertim dioecesium Nuceriae Paganorum, Salernitanae et Neapolitanae, aliorumque virorum et mulierum illustrium, rogante etiam Rmo P. Seraphino Cimino, ministro generali Ordinis Fratrum Minorum, suo et totius Ordinis nomine, Eftlus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Ostiensis et Praenestinus, decanus sacri Collegii et eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinario sacrorum rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanas aedes coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres

sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito, tum voce tum scripto, R. P. D. Angelo Mariani, Fidei promotore generali, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 22 iulii, anno 1919.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem. Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Philumenae Ioannae Genovese, e Tertio Ordine S. Francisci, die 23, eisdem mense et anno.

83 A. CARD. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. % S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

ARGENTINEN.

NULLITATIS MATRIMONII (LEICHTER-KERN)

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quinto, die 1.8 novembris 1918, BR. PP. DD. Guilelmus Sebastianelli, Decanus, Ponens, *Maximus Massimi et Iulius Grazioli, Auditores de turno, in causa* Argentinen. - Nullitatis matrimonii, *inter* Annam Kern, *actricem, repraesentatam per legitimum procuratorem ex officio deputatum Sac. Alphium D'Agata, advocatum, et* Maximilianum Leichter, *interveniente et disceptante in causa Brno Substituto Defensoris vinculi ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Anna Kern, catholica, illicitis indulgens amoribus, filium habuit a Maximiliano Leichter, lutherano. Cum deinde rursus uterum gestasset, a fratre fuit derelicta et ab aedibus alienata. Quare, ut sibi ac proli consuleret, coacta est cum amasio maritale vinculum inire per ritum civilem die 30 ianuarii anni 1902 in civitate Muelheusen, spem fovens contrahendi postea coram Ecclesia. Illic tamen iurgia et contentiones vitam communem agitarunt, quibus post decennium finis impositus fuit per divortium, a civili magistratu obtentum die I[a] decembris 1912. Mulier, suae libertati restituta, die 2 februarii 1914 nuptias pariter civiles contraxit cum Ioanne Bulker, viro catholico. Cupiens praeterea cum eodem matrimonium quoque ecclesiasticum celebrare, a Curia Argentinensi petiit declarationem nullitatis prioris sui coniugii initi cum M. Leichter. Processu ad normam iuris instructo, die 30 iunii 1915 sententia prodiit actrici favorabilis, a qua, appellatione interposita a vinculi vindice apud iudices Metenses, qui, vi indulti apostolici diei 10 iunii 1910, Tribunal secundae instantiae constituebant, isti matrimonium validum declararunt. Primae et secundae instantiae dissentientibus iudicibus, actrix ad H. S. Auditorium provocavit, et hodie tertio causa proponitur disceptanda sub assueta formula dubii : *An constet de nullitate matrimonii in casu%*

Ius quod spectat. - Concilium Tridentinum, in cap. I, sess. XIV, *De reform, matrim.,* decrevit irrita et invalida esse matrimonia, quae non contraherentur coram parocho et duobus aut tribus testibus : decernens insuper ut conciliaris dispositio « in unaquaque paroecia suum robur « post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem «paroecia factae numerandos ». In locis itaque in quibus non est promulgatum Tridentinum valet matrimonium quacumque forma celebretur, dummodo adfuerit consensus; matrimonium enim facit partium consensus, qui nulla humana auctoritate, neque ecclesiastica, neque civili, suppleri valet (Codex Iuris Canonici, can. 1081, § 1). Quaestio autem institui potest an in iisdem locis contrahentes matrimonium, quod vocant, civile, valide contrahant. Ratio dubitandi ex eo petenda est quod Ecclesia huiusmodi matrimonia constanter reprobaverit. Emus Gasparri quaestioni respondet distinguendo: « Si partes - ait - habiles «sunt iuxta Ecclesiae leges et actum civilem ponentes ante matrimo- « nium coram Ecclesia, intenderint verum matrimonium, actus civilis « est verum matrimonium, non quia lex civilis servata est, sed quia « nihil deest iuxta Ecclesiae legislationem necessarium ad matrimonii « validitatem » *(De matrimonio,* n. 1526, edit. 3ª). Eadem habet Wernz : « Contrahentes sponsi, sive catholici, sive acatholici baptizati, qui lege « tridentina non sunt adstricti in mere civili matrimonii celebratione, « etsi illicitum, tamen validum ineunt matrimonium, dummodo inten- « tionem habeant verum contrahendi matrimonium, neque aliud obstet « canonicum impedimentum : at si civilem tantum velint performare « caeremoniam, quam ex ipsorum intentione sequatur in Ecclesia coram « ministro cultus verus contractus matrimonialis, religiose celebrandus, «omni valore caret matrimonium civile» *(Ius Decret.,* IV, n. 207). Canonistis consonant Moralistae, quorum princeps, in sua *Summ, theol, mor.,* p. III, n. 443, not. I, haec scribit: « Quamobrem si. ubi matrimonium « valide contrahitur, et alter ex eis intendant civilem dumtaxat ritum « peragere (quod est praesumendum, quia matrimonium graviter illicite tum foret) hoc ne intelligi quidem potest ». Hanc doctrinam sequutum fuit nostrum Tribunal in *Colonien.,* 27 augusti 1910, coram Persiani; in *Argentinen.,* 23 februarii 1912, coram Heiner; in *Colonien.,* 10 iunii 1912, coram Mori, etc.

Ad rite vero cognoscendum quodnam fuerit praecise obiectum voluntatis contraentium in ritu civili peragendo, an nempe mera caeremonia vel verum matrimonium, perpendere necesse est personarum, loci ac temporis circumstantias. Ita si agatur de catholicis, qui sua munera religiosa implent, praesumendum est volitum fuisse tantum

ritum civilem prouti talem, non vero matrimonium; tales enim catholicos catholice operari censendum est. A fortiori valet haec praesumptio si consuetudo adest ut coram magistratu mera tantum caeremonia peragatur, et postea in ecclesia matrimonium celebretur; quilibet enim praesumitur sese conformari consuetudini loci, ubi agit. Cohaerenter ad haec S. C. Concilii, die 12 augusti 1882, nullum declaravit matrimonium initum Londini a quadam Maria catholica cum quodam Paulo graeco-schismatico. Quam decisionem referens Card. Gasparri, in opere cit., n. 906, haec adnotat: « Petitio nullitatis pluribus innitebatur capi- « tibus, sed putamus rationem decidendi hanc fuisse. Maria scilicet « coram magistrati civili vulgo *Registras* non intendit verum matrimo- « nium, sed sponsalia. Id suadebatur ex eo quod in Gallia, ex consueta « catholica educatione receptisque moribus, omnes retinent civilem actum «non esse verum matrimonium, uti iudex Parisiensis testabitur, et «praeterea id satis probabatur ex depositione tum Mariae, tum etiam « Pauli, quam alii quoque testes confiraiabant ».

Modo ad faôtum.- Cl. Wernz (loc. cit., n. 163 in fine) animadvertit in aliquibus regionibus, quam ipse enumerat, iampridem a fide catholica alienis, postea sive per expressam publicationem, sive per longevam observantiam caput *Tametsi* in aliqua parochia publicatum fuisse, ut accidit Argentorati inde a tempore Ludovici XIV, Baltimorae, Berolini et *.in cimiate Muelheusen,* quibus tamen in locis « soli Catholici lege « irritante Concilii Tridentini ligabantur; immunes vero erant omnes «acatholici baptizati, etiamsi cum parte catholica contraherent mixtum « matrimonium ». Notandum ulterius est in Germania catholicorum opinionem esse communem, matrimonium mere civile non esse verum et proprie dictum matrimonium in sensu christiano. Hoc asseritur et fuse probatur in *Argentinen.,* 23 februarii 1912. Quod intelligendum est non solum de matrimoniis, quae a catholicis contrahuntur, sed de matrimoniis quoque mixtis: quidquid enim sit de parte acatholica, pars catholica in iisdem adiunctis invenitur ac catholici omnes; quae proinde, si suis officiis satisfaciat, nulla ratio est ob quam, quoad eius consensum, iudex non debeat uti normis communibus pro matrimoniis catholicorum. Hoc tenuerunt iudices primae instantiae, in qua legitur « esse « populo christiano persuasum... contractum civilem non esse matri- « monium validum » : et testatur parochus Holb a iudicibus eiusdem instantiae excussus: « A mon avis - ait - cette idée de la nécessité d'un « mariage catholique est l'opinion générale parmi nos gens. Dans ma « paroisse j'ai beaucoup de mariages mixtes clandestins, et les catho-

« liques sont tous très étonnés quand je leur dis que leurs mariages « mixtes clandestins peuvent être valides ».

Neque contrarium evincunt verba, quae leguntur in epistola S. U. I. Archiepiscopo Colonien, diei 2 iulii 1892: « Praesumptio stat non pro « nullitate, imo vero pro validitate utrorumque matrimoniorum (i. e. « mixtorum, sive civiliter, sive coram ministro acatholico clandestine « contractorum), quae ibidem a iure tridentino eximuntur». Etenim 1) dicendum S. Congregationem memorata declaratione nulli respondisse quaestioni, quae fuerit sibi ab Archiepiscopo Coloniensi proposita, eamque declarationem in ea parte epistolae reperiri, in qua praefatum Archiepiscopum monet deterrendos esse fideles ne matrimonia mixta celebrent; proinde non agitur de vera ac proprie dicta decisione iuri" dica. Nec 2) S. U. Inquisitio absolute omnino statuit in dubio semper standum esse pro validitate matrimoniorum mixtorum, quae fuerint civiliter contracta. Etenim post relata verba legitur « et in casibus dif- « facilioribus recurrendum ad S. Sedem », quod inutiliter additum fuisset si semper in dubio pro validitate dictorum matrimoniorum standum esset. Praetereundum tandem non est quod citata declaratio ad summum respiceret et valeret pro Archidiocesi Coloniensi, attento quod in hac Archidioecesi, sicut et in dioecesibus Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi, ex dispositione Pii VIII, diei 25 martii anni 1830, permissum fuerit, ut matrimonia mixta non reservata forma tridentina contrahi deinceps valide possent, unde praesumptio oriri potuit catholicos in genere rescire matrimonium quandoque, seu certis in rerum adiunctis valere etiam coram Deo, etsi in facie Ecclesiae non fuerit celebratum.

Hisce prae oculis habitis, praesumendum est Annam Kern voluisse coram magistratu civili meram caeremoniam peragere, nam catholica erat, nec officia religionis negligebat; parochus enim testatur: « Iis « (Anna Kern et I. Bulker) accomplissent leurs devoirs de chrétiens « autant qu'ils peuvent le faire ».

Praesumptioni favent acta processualia. Etenim actrix in suo libello introductivo declarat: « Quoique nous cohabitions, je n'ai jamais con- « sidéré ce mariage comme valide, et aussi après le mariage civil ». Quare sponsum perducere volebat ad matrimonium coram Ecclesia celebrandum. « J'essayais d'amener mon mari à faire bénir notre mariage « à l'Eglise catholique, mais sans aucun succès ». Quod confirmat in depositione iurata coram iudice. Ait enim: « Je savais que le mariage « civil ne suffisait pas pour constituer un mariage valide... Je lui (i. e. « Leichter) ai dit que ce n'était pas bien de vivre ensemble de cette «manière, si nous ne nous marions pas à l'Eglise. Je croyais toujours

«pouvoir encore l'amener à le faire: mais lui se moquait de moi ». Fidem praebendam esse mulieris depositioni affirmat parochus, qui ad quaesitum: « Tenez-vous dignes de foi Monsieur Burckel et Anna « Kern », respondit : « Oui je les crois dignes de foi ; car ils auraient «facilement pu donner des réponses plus favorables».

Depositio actricis firmatur a testibus. Ita praefatus parochus ait: « J'avais vraiment l'impression que, dès les commencements, elle (Anna) « était vraiment persuadée d'elle-même que son mariage civil n'était «valide». Andreas autem Glotz, interrogatus: « Etes-vous personnelle- « ment convaincu qu'Anna Kern a considéré comme invalide devant « Dieu son mariage contracté à la mairie? », respondit: « Oui ». His accedunt duae mulieres ab actrice adductae. Prima, i. e. Emma Diener-Stoekli, haec habet: « Quand ils avaient des disputes, Madame Kern «disait souvent à son mari: " Je suis libre, je puis de nouveau te quit- « ter „ ». Altera autem, i. e. Lina Meier: « Quand ils se disputaient, «Madame Kern disait souvent à son mari, qu'elle pouvait de nouveau «le quitter, puisque elle n'était pas mariée à l'Eglise». Iamvero ratio ab Anna adducta, ob quam poterat a Maximiliano divertere, nullam vim haberet, si sponsa putasset contractu civili cum eo inito verum matrimonium contraxisse.

Opponit Rev. Substitutus vinculi defensoris, quod dubitari potest an anno 1912, « quo civile foedus cum Maximiliano Leichter Anna con- « traxit, illa revera hanc opinionem habuerit ». At concedimus praefatas depositiones, in se tantum inspectas, non probare voluntatem actricis tempore quo civiliter nupserit; at denegandum non est quod, inspectis iis, quae matrimonium subsequuta fuerunt, iure meritoque deduci potest, quaenam fuerit ipsius actricis mens in matrimonii celebratione.

Obiicitur deinde incredibile fere esse Annam matrimonium civile nullum reputasse et per integros decem annos cum viro cohabitasse, non obstantibus verberibus, aliisque vexationibus, quibus subiciebatur. At haec omnia nec probant, nec praesumere faciunt Annam retinuisse validum contractum civilem. Etenim ipsa, a fratre derelicta et e domo expulsa, censuit non posse aliter suae egestati consulere, quam cum proprio amasio instaurare cohabitationem, quae, si ritu civili tantum, non autem ecclesiastico, inita fuit, hoc unice a viri reluctantia repeti debet, uti supra dictum est.

Post haec inutiliter prorsus affirmatur Annam Kern laborasse errore iuris circa validitatem matrimonii civilis, qui error nec opponitur consensui matrimoniali, nec nuptias irritat. Nam matrimonium in specie invalidum et nullum dici debet non ex errore iuris, quo Anna labora-

bat, sed ex pluribus circumstantiis, quae, insimul iunctae, demonstrant non adfuisse consensum maritalem.

Quibus omnibus rite diligenterque perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus *constare de matrimonii nullitate in casu.*

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum Canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De reform.,* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, 18 novembris 1918.

Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, *Ponens.*
Maximus Massimi.
Iulius Grazioli.

L. © S .

Ex Cancellaria, die 30 decembris 1918.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

La mattina di martedì **8** luglio 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti ***Preparatoria,*** nella quale, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati e dei Consultori teologi componenti la medesima, si è discusso il dubbio intorno al martirio, la causa del martirio e i segni o miracoli dei Servi di Dio Carlo Luanga, Mattia Marumba e Compagni, uccisi, come si asserisce, in odio alla Fede nelPOuganda, nel Vicariato Apostolico di Victoria-Nyanza.

Martedì 22 luglio 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione ***Ordinaria*** dei S. Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie :

1) introduzione della Causa di beatificazione, ossia dichiarazione del Martirio, dei Servi di Dio Friacrio Tobin da Kilkenne e Giovanni Battista Dowdall da Ultonia, dei Minori Cappuccini, uccisi, come si asserisce, in odio alla Fede in Irlanda;

2) introduzione" della Causa di beatificazione e canonizzazione della Serva di Dio Filomena Giovanna Genovese, Terziaria Francescana;

3) intorno alla revisione degli scritti del Servo di Dio Pietro Casani, sacerdote professo dei Chierici regolari delle Scuole Pie;

4) intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Maria Pussepin, Fondatrice delle Suore della Presentazione di Maria Ssma di Tours;

4) e parimenti intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Maria Giuseppa Rossello, Terziaria Francescana, Fondatrice delle Figlie della Misericordia in Savona.

Martedì 12 agosto 1919, presso TEmo e Rmo Signor Cardinale Gaetano Bisleti, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Ven. Vincenza Cerosa, Confondatrice dell'Istituto delle Suore della Carità in Luere, diocesi di Brescia, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti ***Antipreparatoria,*** nella quale dai Rmi Prelati Officiali e dai Consultori teologi della medesima, si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dalla stessa Venerabile Serva di Dio.

S. CONGREGAZIONE PER LA CHIESA ORIENTALE

DIFFIDA

È venuto a notizia di questa S. Congregazione che un certo P. Nicolas, di rito copto, va raccogliendo elemosine « per gli orfani orientali e per le chiese distrutte dai turchi ». Si rende noto agli Eccmi Vescovi che il predetto P. Nicolas è persona del tutto sconosciuta alla S. Congregazione ***pro Ecclesia Orientali,*** nè dalla medesima ha avuto alcuna autorizzazione a questuare. Qualora però la carità dei buoni i edeli volesse venire in aiuto dei poveri copti, potranno le Curie rimettere le elemosine raccolte alla Segreteria della S. Congregazione ***pro Ecclesia Orientali*** «(piazza Scossacavalli, 65), la quale, essendo bene informata delle condizioni di quei cristiani, potrà distribuire i soccorsi là dove se ne sente maggiore il bisogno.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare: .

30 luglio 1919. L'Eino signor Cardinale Gaetano Bisleti, ***Protettore della Congregazione delle Umili Figlie del Monte Calvario.***

» » » L' Emo signor Cardinale Oreste Giorgi, ***Protettore della Congregazione delle Figlie Povere di S. Giuseppe Calasanzio.***

» » » Il Revmo P. Luigi Bondini, segretario generale dei Minori Conventuali, ***Consultore della Sacra Congregazione del Concilio.***

1 agosto » L'Eöio signor Cardinale Andrea Frühwirth, ***Protettore dell'Istituto delle Suore di Sant'Agnese, che hanno la Casa Madre a Fond du Lac.***

» >> » L'Emo signor Cardinale Donato Sbarretti, ***Protettore dell'Istituto delle Suore di Carità di Halifax.***

22 » » Il Revmo P. Augusto Sordet, Redentorista, ***Consultore della Sacra Congregazione dei Religiosi.***

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonotari apostolici ad instar participantium:

20 luglio 1919. Mons. Alessandro Mac Kintosh, della diocesi di Argyll.
22 » -» Mons. Patrizio Morris, dell'archidioeesi di S. Andrea ed Edimburgo.
30 » » Mons. Tommaso Alessio, dell'archidioeesi di Benevento.

Prelati Domestici di S. S.:

16 maggio 1919. Mons. Pietro M. Cauley, della diocesi di Erie.
29 luglio » Mons. Giuseppe Stillemans, residente a New York.
1 agosto » Mons. Giuseppe Stambulie, corepiscopo del Patriarcato Antiocheno dei Siri.
» » » Mons. Giuseppe Giorgi, corepisc. del medesimo Patriarcato.
» » » Mons. Efrem Hicari, corepisc. del medesimo Patriarcato.
» » » Mons. Raffaele Gibri, corepisc. del medesimo Patriarcato.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti morificenze:

La Commenda dell'Ordine Piano:

1 agosto 1919. Al sig. Giulio De Galarza y Perez Castañeda, conte di Galarza, Ministro di Spagna nel Perù.

La Commenda con placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

24 luglio 1919. Al sig. Antonio Cordes, della diocesi di Paderborn.
2 agosto » Al sig. Maurizio Guglielmo Yan Vollenhoven, Ministro di Olanda a Bruxelles.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

4 agosto 1919. Al sig. cav. Ernesto Soenens, dell'archidioeesi di Malines.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

24 luglio 1919. Al sig. Edoardo Isphording, della diocesi di Paderborn.
25 » » Al sig. Enrico Ludovico Pietro Agostino Berends, della diocesi di Breda.
31 » » Al sig. Guglielmo Adriano Beukers, della dioc. di Harlem.

fi Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

29 luglio 1919. Al sig. Alfredo Giuseppe Radelet, capitano comandante dell'esercito Belga.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

7 agosto 1919. Al sig. dott. avv. Michele Perea, dell'archid, di Montevideo.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

28 luglio 1919. Al sig. Gonzalo Saverio DAlmeida Garret, della diocesi di Portalegre. "

9 agosto » Al sig. Antonio Dreesmann, dell'archidiocesi di Utrecht.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

11 giugno 1919. Al sig. Giulio Peruzzi, dell'archidiocesi di Firenze.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rina Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di & £. :

30 settembre 1918. Mons. Francesco Salesio Matwykiewicz, della diocesi di Premisiia.

29 gennaio 1919. Mons. Stefano Skoczinski, della diocesi di Cracovia.

7 giugno » Mons. Ignazio Klopotowski, della diocesi di Lublino.

26 luglio » Mons. Pietro Giurazza, della diocesi di S. Angelo de' Lombardi e Bisaccia.

29 » » Mons. Edoardo Quaranta, della diocesi di Montecassino.

» » » Mons. Pietro Paolo Ceratto, della diocesi di Cuneo.

» » » Mons. Ermenegildo Pellegrinetti, dell'archidiocesi di Lucca.

1 agosto » Mons. Mlippo Monti, della diocesi di Bergamo.

4 » » Mons. Giacinto Piñeiro y Soto, dell'archidiocesi di S. Giacomo di Compostella.

7 » » Mons. Ambrogio Martínez Lozano, della diocesi di Cadice.

» » » Mons. Antonio Vilaplana y Forcado, della diocesi di Vich.

» » » Mons. Giovanni Rogers, dell'archidiocesi di S. Francisco in California.

1 agosto 1919. Mons. Filippo O' Ryan, della medesima archidiocesi.
19 » » Mons. Riccardo Bartoloni, dell'archidioeesi di Firenze.
» » » Mons. Enrico Infalt, della diocesi di Lussemburgo.
» » » Mons. Stanislao Adamski, dell'archidioeesi di Gnesna e Posnania.
23 » » Mons. Nehmatalla Tohmé, delFarchid. Maronita di Cipro.
» » » Mons. Nehmatalla Asmar, della medesima archidiocesi.
» » » Mons. Nehmatalla Aad, della medesima archidiocesi.
» » » Mons. Giuseppe Hayek, della medesima archidiocesi.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

29 gennaio 1919. Mons. Rodolfo Wimmer, dell'archidioeesi di Vienna.
» » » Mons. Ferdinando Heinz, della medesima archidiocesi.
24 aprile » Mons. Gonçalo Casimiro Nogueira, del Patriarcato di Lisbona.
19 maggio » Mons. Federico Pesendorfer, della diocesi di Linz.
» » » Mons. Enrico Binder, della medesima diocesi.
9 agosto » Mons. Baldassare Hofer, della diocesi di Secovia.
» » » Mons. Mariano Castel y Moya, della diocesi di Teruel.

NECROLOGIO

31 luglio 1919. Mons. Domenico Gasparo Lancia di Brolo, arcivescovo di Monreale.
14 agosto » Mons. Romolo Molaroni, vescovo di Macerata.
24 » » Mons. Vincenzo Tasso, vescovo di Aosta.
Mons. Efrem Giesen, vescovo titolare di Palto, Vicario Apostolico dello Scian-ton settentrionale **(Cina).**

Annus XI - Vol. XI 1 0ctoferisLÌ91& Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

I

RESTITUITUR ECCLESIA SANCTAE IUSTINAE, PATAVII SITA, IN ABBATIAM BENEDICTINAM.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Inclyta Benedicti Patris familia iugiter per saecula de religione non minus quam de civili societate optime merita est. Dum enim Benedicti alumni Evangelii lumen in Europam fere universam provexerunt, in Ordinis illius coenobiis, veluti munitissimis in arcibus, media praesertim aetate, inter bella et tumultus, a barbarorum incursionibus liberales omne genus artes tutum obtinuerunt asylum. Celeberrima plura enumerantur coenobia benedictina, atque haec inter eminet vetustissimum monasterium ad sanctae Iustinae, Patavii conditum, de quo iam inde a saeculo VII fit mentio. Ab Hungaris, Italiam vastantibus, combustum et saeculo x denuo exstructum, ad splendoris apicem pervenit saeculo xv, cum idem monasterium, auspice venerabili Ludovico Barbo, postea episcopo Tarvisino, incunabulum fuit magnae reformationis Benedictinae in Italia, ex qua originem duxit Congregatio a sancta Iustina tunc nuncupata. Hanc quidem Congregationem, postea Casinensem appellatam, rec. me. predecessor Noster Eugenius Papa IV pluribus privilegiis auxit. Continens monasterio, erecto saeculo xvi, surrexit ingens basilica, molis amplitudine non minus quam artis operum decore miranda, quae inter maiora Christianitatis templa merito recensetur. Ipsa in basilica summa cum veneratione asservantur multorum sanctorum corpora, potissimum illud sancti Prosdocimi, primi episcopi Patavini, necnon corpus sanctae Iustinae virginis ac martyris,

ecclesiae enunciatae titularis. Attamen, anno MDGGLXXXVII, monasterium illud, omnibus artis et scientiae thesauris, quibus refertum erat, per nefas spoliatum fuit, deturbatique ab eo monachi ad nostra usque tempora ad pristinam sedem redire nunquam potuerunt. Quare non sine magna laetitia accepimus abbatiam ad sanctae Iustinae, Patavii, cui novissimis annis animarum cura addita erat, opera potissimum episcopi hodierni Patavini et-parochi Panzoni, praelati Nostri domestici, mox de integro iri instauratam; cumque Nobis efflagitatum sit, ut instaurationem ipsam suprema Nostra auctoritate sancire dignaremur; Nos, quibus nihil antiquius est, quam ut ipsum monumentum, omnibus nominibus venerandum, ad pristinum decus revocetur; motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum haec, quae infra scripta sunt, decernimus: Ï. Basilicam ad sanctae Iustinae, Patavii, committimus Congregationi Benedictinae Casinensi primaevae observantiae, ut in ipsa constituatur religiosa familia, cui animarum etiam cura concreditur. - II. Approbamus et confirmamus,'auctoritate Nostra Apostolica, conventionem idcirco initam inter episcopum Patavinum atque enunciatae Congregationis Generalem Abbatem. - III. Nova religiosa familia omnibus et singulis iuribus ac privilegiis gaudeat quibus vetus insignis abbatia fruebatur, exceptis iis privilegiis quae per Codicem iuris canonici abrogata fortasse sint, iisque iuribus, quae praescripta legitime. - IV. Religiosa ad sanctae Iustinae familia interim aggregetur Com munitati Monasterii atque abbatiae sanctae Mariae Prataleae, vulgo *Fraglia,* in agro patavino. Huius abbatiae abbas titulum obtineat administratoris abbatiae sanctae Iustinae, donec Congregationis Casinensis superioribus opportunum videatur consilium, constituendi eam in communitatem sui iuris, secundum Ordinis leges regendam. - Haec edicimus, statuimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, dictaeque abbatiae monachis praesentibus ac futuris nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quoquam, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

CATHEDRALIS ECCLESIA DERTHUSENSIS BEATAE MARIAE VIRGINIS IN CAELUM ASSUMPTAE TITULO AC DIGNITATE BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Illustriores inter sacras Aedes, quae Hispaniae regiones nobilitant et insigne simul gentis illius religionis studium ac munificentiam late praedicant atque testantur, iure meritoque accensenda est Cathedralis Ecclesia Derthusensis sub titulo Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae, tum antiquitate, tum molis amplitudine ceterisque artis operibus praestantissima. Siquidem testimoniis fide dignissimis et constanti traditione fertur, illud templum ab aevo apostolico claram suam ducere originem. Gothico stylo constructum ac mirifice ornatum in admirationem intuentium renidet. Constat quoque Sedem Derthusensem, quarto institutam saeculo, praestantibus doctrina ac pietate Praesulibus fuisse honestatam, quos inter eminet Praedecessor Noster Hadrianus VI, qui Derthusensem titulum fere ad mortem usque retinuit et privilegia ac peculiaria honoris insignia Derthusensibus Antistitibus perpetuo tribuit. Commemorare etiam iuvat prae ceteris de Aragoniae Regni successione habitis, celeberrimam Synodum in Cathedrali Derthusensi Aede fuisse coactam saeculo decimoquinto, ad schisma occidentis legitime definiendum, cui Martini Papae V rec. me. Nostri Praedecessoris Legatus praefuit S. R. E. cardinalis De Fox, plurimis Catholici Orbis adstantibus episcopis, abbatibus, innumeris utriusque cleri praelatis ac sacerdotibus, ac praesente ipso Aragoniae rege Alphonso quinto. Eodem in templo, quod sanctorum reliquiis, quorum nonnullae insignes, ditatum est et sacra supellectile refertum abunde, Ordo Patrum Canonicorum et clerus divinis obeundis muneribus in exemplum perfunguntur. Accedit celeberrima laicorum Sodalitas, pluribus a saeculis canonice ibidem erecta sub titulo SSmae Mariae Virginis a Cingulo, quae primos confratres obtinet Hispaniae Reges et regalis familiae Infantes; quaeque in proprio eiusdem templi sacello pietatis exercitationes assiduo studio solet peragere et sollemni pompa peculiaria festa celebrare. His fretus, cum venerabilis frater Petrus Rocamora y Garcia, episcopus Derthusensium, Nos supplicibus votis rogaverit,** ut praelaudatae ecclesiae Cathedrali Derthusensi titulum ac privilegia Basilicae Minoris tribuere dignaremur; Nos,

animo repetentes illustres sacrae illius Aedis memorias, precibus his annuendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, audito S. R. E. Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, Cathedralem Ecclesiam Derthusensem Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicatam, Basilicae Minoris titulo ac dignitate cohonestamus, omnibus eidem privilegiis atque honorificentiis attributis, quae Minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras, firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum perpetuo suffragari : sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si secus quidquam super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXV iulii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

SANCTUARIUM BUGUBfNUM SANCTI UBALDI EPISCOPI TITULO BASILICAE MINORIS DECORATUR EIDEMQUE ALIA PRIVILEGIA CONCEDUNTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, celeberrima christiani orbis sanctuaria, antiqua populi religione praestantia, pro re ac tempore, singularibus honoris titulis privilegiisque locupletare satagimus. Iamvero undecimo adventantis septembris mensis die, septingentesimus vigesimus quintus sese vertet feliciter annus, ex quo corpus sancti Ubaldi, Eugubinae civitatis et dioecesis Patroni, non sine caelesti quadam designatione, prope ipsam civitatem in montis cacumen translatum fuit. Non ignoramus, hoc diuturni temporis spatio, sanctum Patronum paterna pietate validoque auxilio filios suos fovisse ac protexisse, Eugubinos nempe cives populosque finítimos, atque in eos innumera beneficia, tam temporalia quam spiritualia, effudisse. Sicuti enim relatum est ad Nos,

de excelso illo vertice virtus eius effulget, potissimum in repellendis spiritibus immundis atque in liberandis a mortis discrimine rabidi canis vel cuiusvis animalis morsu tactis, hominibus, opem ipsius, usque praesentem, implorantibus. Quare nunquam sancto Ubaldo debitae pietatis gratique animi testimonia defuerunt, a clero et populo tributa^ praeeuntibus episcopis et proceribus urbis. Templum sancto Ubaldo sacrum et continens coenobium religiosorum, qui venerandum eius corpus fideliter custodiunt et piissime colunt, Magni Duces Urbinatium Eugubinique Gubernatores singulari prorsus munificentia auxerunt, decorarunt. Romanos quoque Pontifices praedecessores Nostros, et in vita et post obitum sancti Episcopi, singulari eum studio prosecutos esse scimus. Etenim rec. mem. Honorius Papa secundus Ubaldum, canonicum regularem ex Ordine sancti Augustini, anno reparatae salutis MCXXIX Eugubinae Ecclesiae praefecit eundemque auctoritate apostolica episcopum consecravit; quem deinceps anno MCXCII Gaelestinus Papa tertius in sanctorum numerum retulit. Constat quidem eius sanctuarium, procedente tempore, plures alios Romanos Pontifices decessores Nostros multis gratiis ac singularibus privilegiis ditare non destitisse. Prae ceteris recensendos esse arbitramur Sixtum IV, Leonem X, sanctum Pium V> Clementem XI, Benedictum XIV, Pium VI et Pium IX. Meminisse denique iuvat Pium X, decessorem Nostrum, qui cultor simul et propagatos devotionis erga sanctum Ubaldum, autographo suo die ix mensis augusti anni MCMXLI obsignato, Piam Unionem a sancto Ubaldo appellatam, quam venerabilis frater Ioannes Baptista Nasalli-Rocca, tunc dioecesis Eugubinae navus atque actuosus praesul, sapienti ductus consilio, instituerat, peculiaribus indulgentiis aliisque privilegiis cohonestare dignatus est. Pontificum votis et operibus ecclesiastici viri et laici omnis ordinis, tum ex civitate ac dioecesi Eugubina, tum ex universa Umbria et ex pluribus Italiae, Europae atque Americae quoque regionibus, mirifice responderunt. Hoc testantur devotae peregrinationes, frequens ad sacramenta concursus, publicae poenitentiales pompae ac supplicationes, vigiliaeque nocturnae coram Augusto Eucaristiae Sacramento publicae venerationi sollemniter proposito. Hoc denique luculenter confirmant conspicua fidelium dona et munificae largitiones pro eodem sanctuario instaurando atque amplificando. Et sane, novissimis his annis, corrogata undique stipe, vetustum sanctuarium instauratum est funditus eximiisque artis operibus concinne ornatum, cooperantibus Fratribus Minoribus, qui, eiusdem sacrae Aedis custodiae addicti, sacra ibidem mysteria religionisque officia ac functiones sollerti diligentia peragunt iugique pietate. Nunc novo renident splendore quinque alae immanes quibus constat

templum; patent fenestrae affabre sculptae cum vitris depictis; sex novae surrexerunt arae, ex quibus eminet altare princeps ex marmore constructum saeptisque marmoreis munitum, quod Nos ipsi, quasi singulare Nostrae erga sanctum Ubaldum pietatis itemque perenne monumentum, donavimus. Hoc super altare eminet aenea pretiosa urna, quae corpus, per tot saecula incorruptum, contegit eiusdem sancti Ubaldi, Ecclesiae Eugubinae Episcopi et Patroni praecipui". Absoluto instaurationis opere, sanctuarium, die anniversario primaevae translationis sacri corporis, nempe undecimo proximi mensis septembris, Deo iterum dicabitur, sacraeque huic functioni praeesse voluimus praecipuum operis eiusdem auctorem atque auspicem, nempe venerabilem fratrem supra laudatum Ioannem Baptistam Nasalli-Rocca, iam Eugubinum antistitem, modo titularem archiepiscopum Thebarum et a secretis largitionibus Nostris, qui personam Nostram in ipsius sanctuarii consecratione geret. Nunc autem, cum auspicatam hanc nactus occasionem, Eugubinus hodiernus episcopus, venerabilis frater Carolus Taccetti, una cum Capitulo tum Ecclesiae Cathedralis tum Ecclesiae Conlegiatae ad sanctae Christinae, nec non una cum religiosa familia Minorum Fratrum sanctuarii custodum, cetero clero, Municipii Praeside ac proceribus Eugubinis, Nos suppliciter exoraverit, ut, decessorum Nostrorum erga sanctum Ubaldum pietatem ac concessiones cumulantes, eius ecclesiam ac sanctuarium titulo ac dignitate Basilicae Minoris condecorare dignaremur, Nos frugiferis his votis ultro libenterque concedendum existimavimus. Quamobrem, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacrae Rituum Congregationi praepositis, attentis expositis et praescriptis conditionibus ad rem pertinentibus, apostolica Nostra auctoritate, tenore praesentium, praefatam ecclesiam seu sanctuarium sancti Ubaldi, penes Eugubinam civitatem, ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris perpetuum in modum evehimus, omnibus et singulis privilegiis atque honoriñcentiis eidem attributis quae Minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt. Praeterea, ut solemnia consecrationis, propediem, ut supra diximus, habenda, uberiore cum spirituali emolumento celebrentur, largimur ut, hoc anno tantum, durante triduana dumtaxat supplicatione, in gratiarum actionem indicta pro felici sanctuarii ipsius instauratione, media nocte trium ipsorum dierum, propria sancti Ubaldi Missa cum cantu enunciato in sanctuario litari possit. Commoditati autem peregrinorum, ad sanctuarium turmatim, sicuti relatum est ad Nos, etiam e dissitis regionibus confluentium, benigne prospicientes, apostolica Nostra auctoritate, perpetuo facultatem tribuimus, ex qua in eadem sacra Aede sacerdotes peregrini aut duces peregri-

norum, Missam celebrantes ad altare sancto Ubaldo Episcopo et Patrono civitatis Eugubinae sacrum, adhibere valeant Missam propriam de ipsomet sancto Confessore singulis per annum diebus, exceptis tamen festis duplicibus et dominicis primae et secundae classis, necnon feriis, vigiliis et octavis, quae sint ex privilegiatis, rubricis ac decretis de cetero religiose servatis eaque lege ut in dominicis minoribus aliqua Missa de dominicis ipsis celebretur. Tandem indulgentias omnes ac singulas, peculiaresque alias omnes gratias spirituales, iam inde a saeculis a Romanis Pontificibus decessoribus Nostris Eugubino sancti Ubaldi sanctuario concessas, quatenus opus sit, suprema Nostra auctoritate confirmantes ratasque habentes, perpetuum, auctoritate similiter apostolica, privilegium adiicimus, ex quo, singulis annis, tribus potioribus dicti sanctuarii festivitatibus, videlicet die sexto decimo mensis maii; quo Sancti Ubaldi festum agitur, die undecimo mensis septembris, quo sacri corporis translationis memoria recolitur, denique feria tertia post Pentecosten, qua universae fere civitatis ac dioecesis Eugubinae cives ad sancti Ubaldi sanctuarium conveniunt peregre, ad recolendum Sacramentum augustum, in forma Quadraginta Horarum Orationis, publicae venerationi expositum, Eugubinus sacrorum antistes, vel alius ab eo deputatus in ecclesiastica dignitate constitutus Praesul, post rite peracta in sanctuario Missarum sollemnia, iuxta ritum formulamque praescripta, adstanti populo, cum plenaria addita indulgentia, Nostro et Romani Pontificis pro tempore exsistentis nomine et auctoritate, benedicere licite possit ac valeat. Haec concedimus, edicimus, mandamus, decernentes praesentes^ Litteras Nostras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, omnibusque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum perpetuo suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI augusti MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD PATRITIUM IOSEPHUM OCONNOR, EPISCOPUM ARMIDALENSEM, GRATULATIONIS CAUSA OB TEMPLUM CATHEDRALE A FUNDAMENTIS EXCITATUM ET PROXIME CONSECRANDUM.

BENEDICTUS PP. XV

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. - Inde ab inito episcopatu, quem quintum decimum iam annum geris, pastorale tam recte videns intellexisse munus, ut dicere pene liceat, te ne unum quidem diem assiduo ex labore conquievisse. De industria enim in agendo tua plura antehac allata sunt, hodieque plura ad Nos afferuntur: potissimum vero Nos delectavit nosse, auspicato consecratarum te fore die xiv mensis decembris cathedrale templum, quod a solo excitandum magnificeque perficiendum multo negotio curavisti, et fundamenta eo ipso die iacturum piae domus, in qua liberi parentibus orbi, alendi riteque instituendi, recipiantur. Vehementer equidem et rem feliciter actam et ineundum proxime insigne caritatis opus tibi, venerabilis frater, gratulamur; idque eo libentius facimus, quod animi tui vis atque virtus sperare utique iubet, futurum, ut, quaecumque in posterum necessitas, vel utilitas cleri populique tui postulare videatur, ea, quemadmodum consuevisti, impiger adgrediaris. Actuosae profecto operae tuae mercedem, eamque magnam perpetuoque mansuram, Ille tibi aliquando dabit, qui nulla patitur recte facta suo praemio carere ac remuneratione; verum hoc interea tibi, pastorales inter sollicitudines, animos addere solaciumque afferre merito debet, quod, una cum amplissima episcoporum regionis istius existimatione gregisque tui amore, peculiarem benevolentiam Nostram tibi conciliasti. Quibus quidem popularibus tuis signifiées volumus, Nos non modo omnibus eos laudibus prosequi, cum, etsi largo censu non sunt, iterum atque iterum Antistitis sui invitationibus egregia liberalitate responderet, sed etiam plurimum confidere, ita eos esse in officio perseveraturos, ut, posthac quoque, pro facultatibus suis, dent tibi aditum ad maiora in dioecesis istius bonum efficienda. Caelestium interea donorum conciliatricem paternaeque caritatis Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero

populoque tuo, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxix mensis augusti anno MCMXIX, Pontificatus Nostri quinto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD UNIVERSOS HELVETIAE EPISCOPOS, QUI SEDUNUM CONVENERANT

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Egregiam pietatem studiumque vestrum rursus elucere vidimus ex eis litteris quas nuper ex annuo conventu, Seduni habito, ad Nos communiter misistis. Intelleximus enim actuose vos ibidem necessitatibus gregis vestri, collatis consiliis, prospexisse, ac praeterea, cum feliciter dudum Helvetia, digladiantibus undique inter se populis, integra incolumisque ab immani belli calamitate servata esset, sollemnem propitio Deo gratiarum actionem de insigni beneficio in tertium diem dominicum mensis huius septembris indixisse. Propositum sane laudabile suscepistis : id enim magis magisque divinam patriae vestrae opem conciliabit. Nos vero qui eam peculiari quodam amore prosequimur, libentes has publicas supplicationes praeeundo participamus : eo libentius quod, bello saeviente, it* pacis, dono Helvetia usa est, ut multiplicibus caritatis operibus mirifice nobilitata sit. Precamur ut non solum exercituum conflictus sed etiam multitudinum motus ubique, istic praesertim, tandem conquiescant. Hanc in rem plurimum sane conferent memorabiles illae encyclicae litterae *Rerum novarum;* quarum quidem opportunitatem ipsi nunc rerum eventus confirmant. Sed illud in primis curabitis, venerabiles fratres, ut ad Evangelii normam vitaeque christianae sanctitudinem populus revocetur: inde enim sine dubio secuturum est ut sensim, iustitia et caritate ducibus, in omnes civium ordines optata refluât sanitas, ad prosperitatem reipublicae et felicioris aevi auspicium. Caelestium autem munerum conciliatrix et praecipuae benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam vobis, venerabiles fratres, cunctaeque Helvetiorum genti amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, in festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis MCMXIX,'Pontificatus Nostri anno sexto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD IOANNEM S. R. E. PRESB. CARD. CSERNOCH, ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM, DE HUNGARIAE REBUS.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. - Quoad Hungaria vestra, superioribus mensibus, magna rerum perturbatione concussa est, cum ob communes miserias praecipuo quodam dolore excruciati sumus, tum tibi, dilecte fili Noster, conlegisque in episcopatu tuis vehementer ab hostili dominatu timuimus. Nunc autem, cum venerabiles fratres Episcopos Vesprimiensem et Vaciensem admiserimus, singillatim atque accuratissime ab utroque edocti sumus quibus vos conflictati sitis quamque gravibus aerumnis. Etenim sacro patrimonio ita destituti estis ut ne relictum quidem vobis sit unde alere vitam possetis, et, impediti omnino quominus pastorale munus libere exercentis, acerbissimas vexationes oppetiistis; omnia demum experti et perpessi estis, quae homines, omni freno exsoluti Ecclesiaeque odio abrepti, ad nocendum excogitare potuerunt. Verum ex ipsa tristium eventuum enarratione plura collegimus, quibus abunde delectaremur; didicimus enim vos sine iactura dignitatis et invicta cum fortitudine calamitates eas omnes pertulisse, et clero populoque vestro praebuisse saluberrima virtutum omne genus exempla. Qua in re scitote Nos et angoribus vestris congruere et constantiam vestram summopere vobis gratulari. Quoniam vero clerum popularesque vobis commissos memoravimus, facere non possumus quin debitis prosequamur laudibus cum sacerdotes istos, qui, maximam partem, Antistites suos imitati, se officii retinentissimos praestiterint, tum catholicos Húngaros, quorum fides animique magnitudo effecerit ne clerus maiora indignioraque pateretur. Ac certe, cum intemperantes rei publicae gubernatores id propositum sibi haberent ut cum vetere societatis ordine maiorum fidem labefactarent, cernere re ipsa licuit quam altis in populo radicibus defixa esset catholica ea fides, unde inlustris S. Stephani natio uti omnem cultum atque humanitatem hausit, sic spem omnem futurae prosperitatis spondere sibi unice potest. Quo in genere clerus summa contentione nitatur oportet, ut in popularium animis avitam fidem acriter tueatur excolatque uberius; quod sacerdotes haud multo negotio assequentur, si arctiore cum iis consuetudine coniuncti erunt eorumque voluntatem magis magisque sibi conciliaverint. Quod vero ad Nos attinet, nihil profecto

reliqui faciemus, quod nationi vestrae, tam praeclare de Ecclesia meritae, sit aliquo pacto profuturum. Optata interim reservavimus, quae venerabiles fratres Episcopi Vesprimiensis et Vaciensis tuo Nobis nomine aperuerunt, opportunamque eorum rationem habebimus cum controversiae ex bello ortae disceptabuntur. Deliberatum vero Nobis est nihil decernere nisi rogatis antea sententiam, quorum intersit, venerabilibus fratribus Hungariae Episcopis, neque ulla inire consilia nisi quae religionis tantummodo et fidelium istorum bonum suggesserit. In solacium interea praeteritorum ac praesentium maiorum inque testimonium paternae caritatis Nostrae, tibi, dilecte fili Noster, conlegis in episcopatu tuis et universo clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xi mensis septembris anno MCMXIX, Pontificatus Nostri sexto.

• *s*

BENEDICTUS PP. XV

IV

AD BERNARDINUM JÁNDÍ, O. S. B., PRIOREM ARCHIABBATIAE S. MARTINI IN S. MONTE PANNONIAE, GRATULANDI CAUSA.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Magno animum Nostrum maerore affecerunt quae de duriore nuper accepimus condicione, in quam sodales insignis istius Archiabbatiae inciderunt cum, proximis hisce mensibus, divina humanaque omnia iura in Hungaria permixta infeliciter sunt. Sollicitudinibus enim ac molestiis, quas, eo ipso quod Archiabbate carebatis, gigni necesse erat, graves accesserunt comminâtiones atque adeo insidiosa blandimenta, quibus, qui tunc dominaban tur, insano enisi sunt consilio, ut ad sacra vota perfrigenda et a fide ipsa desciscendum vos omnes inducerent. At, quantumcumque impendebat detrimenti, in officio perstitistis, D. N. Iesu Christi verbis confisi, qui pollicitus est se centies iis redditurum qui omnia pro nomine eius reliquissent. Vobis autem omnibus de eiusmodi constantia gratulamur, tibique in primis, dilecte fili, qui tam fortiter strenueque et ipsemet nefariorum hominum conatibus restiteris et sodalium tuorum animos ad resistendum incenderis. In quo argumentum placet agnoscere clarissimum tum religiosorum spirituum quibus Archiabbatia ista animatur, tum peculiaris patrocinii quo eam magnus Patriarcha Benedictus com-

plectitur ac tuetur. Quod reliquum est, dum vos vehementer hortamur ut cotidie digniores vocatione vestra sancta efficiamini, cuius vi atque virtute superiores ab asperrimo certamine discessistis, divinorum munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et universis sodalibus tuis, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xri mensis septembris anno MCMXIX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XV

V

AD REMIGIUM BEKEFI, EX ORDINE CISTERCIENSIUM, ABBATEM DE ZIRCZ, LITTERAE GRATULATORI AE.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Suspensum occupatumque tenuit superioribus mensibus animum Nostrum miserrima condicio, quam Hungariae gubernatores clero regulari facessisse universe nuntiabatur. Nuper vero perlatum distincte ad Nos est, in communi illa religiosorum virorum vexatione ne Ordini quidem vestro parcitum esse, cui, saeculorum decursu, tam praeclarae rerum gestarum accesserant laudes. Ecclesiae enim adversarii non modo vos de fbrtunis omnibus deturbarunt, quibus instituta vestra, optima christiani cultus domicilia, alebantur, sed vitam ipsam monasticam, longe vobis pretiosissimam, funditus evertere conati sunt. Cui quidem turpi consilio ita repugnando obstitistis, ut ad inopiam atque egestatem delabi quam impiorum hominum minis vel illecebris concedere malueritis. Id profecto tibi, dilecte fili, cunctisque sodalibus tuis vehementer gratulamur; vobisque, qui *spectaculum facti* estis *mundo et angelis et hominibus,* optamus ominamurque, ut in spiritu ac disciplina Bernardi Patris Legiferi, quae talem ac tantam peperit vobis victoriam, cotidie magis proficiatis. Caelestis interea solacii gratiaeque conciliatricem, itemque paternae caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili, sodalibusque omnibus, quibus digne praees, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xn mensis septembris ann® MCMXIX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XV

VI

AD FELICEM S. R. E. CARD. DE HARTMANN CETEROSQUE HPISCOPOS QUI PULDAM CONVENERUNT.

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Acceptissimae sane Nobis vestrae fuerunt officiosae litterae, Fulda communiter datae, quo primum vos, post quinquennium, remoto tandem luctuoso belli spectaculo, tametsi non parum adhuc futurarum rerum solliciti, proxime coivistis. Atque illud in primis gratum accidit quod tam eximios pietatis sensus erga Christi Vicarium profitebamini; et. quamquam non semel praeclaram vestram cum Apostolica hac Sede coniunctionem testati estis, laetamur tamen eam vos in postremo hoc coetu, qui inter alios eminet, studiose confirmavisse. Hic enim in ipsum incidit annum, quo fauste saecularia sollemnia in honorem S. Bonifacii, Germaniae apostoli, istic celebrantur: quod cum optimum profecto sit patriae vestrae auspicium, recte ipsi affirmatis: « Amicum S. Bonifacii « sidus opportune nunc iterum ab alto promicat, melioris et sanctioris « spei nuntius ». Precamur autem ut quemadmodum propitius is vobis affuit cum, ad eiu# sepulcrum, dioecesium utilitatibus consuleretis, ita idonea quoque auxilia vobis a Deo impetret ut, in his temporum difficultatibus, ad gravissimas pastoralis officii partes digne exsequendas valeatis. Filiis vero amantissimis, qui vestrae sunt curae concrediti, certe, magnus istius gentis apostolus, non solum caelestis solatii copiam, sed etiam christianam fortitudinem benigne implorabit, ut, arcte cum suis Pastoribus coniuncti, fidei ardorem, a maioribus sibi tamquam hereditate traditum, constantissime retineant. Quod est reliquum, plurimam habemus vobis gratiam de triduanis precibus quas pro Ecclesiae et Apostolicae huius Sedis necessitatibus ad S. Bonifacii sepulcrum pie fundere voluistis. Ac divinorum munerum conciliatricem praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, et universo clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, in festo Exaltationis S. Crucis MCMXIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, SSmus D. N. Benedictus XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

21 augusti 1919. — Cathedrali ecclesiae Bolivarensi praefecit R. P. D. Carolum Mariam de la Torre, hactenus episcopum Lojanum.

2 septembris. — Titulari episcopali ecclesiae Maximianopolitanae, R. P. D. Gulielmum O' Hare, S. I, quem constituit vicarium apostolicum in *Giamaica.*

6 septembris. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Sardicensi, R. P. D. Paulum de Huyn, hactenus archiepiscopum Pragensem.

9 septembris. — Cathedrali episcopali ecclesiae Vaciensi, R. D' Stephanum Hanauer, canonicum ecclesiae cathedralis Veszprimiensis eiusdemque curiae cancellarium.

12 septembris. — Titulari episcopali ecclesiae Rhithymnensi, R. D. Antonium Autunes, canonicum cathedralis ecclesiae Conimbricensis, quem constituit auxiliarem Rmi Episcopi eiusdem dioeceseos Conimbricensis.

16 septembris. — Metropolitanae ecclesiae Pragensi, R. *D.* Franciscum Kordäc, professorem in theologica Universitate eiusdem civitatis.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

ALBINGANEN. **ET** ALIARUM

SANATIONIS ALIENATIONIS

17 maii 1919

QUAESTIO. - Occasione cuiusdam petitionis Ordinarii Albinganen., ad tollendam quae de facili in praxi emergere posset ambiguitatem, mandatum est disceptari in hac S. Congregatione utrum Ordinarii, qui ad normam can. 1532, § 1, facultatem facere possunt alienandi bona

ecclesiastica, quorum valor non excedat triginta millia libellarum, possint etiam *sanare* emptiones venditiones, quae sine debita licentia factae fuerint; et, in suppositione quod possint, an debeant in casu servare leges, seu praescripta eiusdem canonis 1532, §§ % 3.

ANIMADVERSIONES ad propositam quaestionem solvendam ita a quodam cl. Consultore luculenter proponebantur. Statuendum ante omnia quinam sit valor alienationis, quae sine debita licentia fuerit peracta. Quod quidem facile admodum negotium est, quum ipse legislator in Codice id expressis verbis edixerit. In canone enim 1530, § 1, n. 3 statuitur: « (Requiritur) 3° licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio << *invalida* est ».

At quaeri ulterius potest de qua invaliditate sermo sit. Distinguunt enim iurisconsulti duplicem invaliditatem, alteram completam, incompletam alteram. Haec tunc habetur, quando non desunt elementa negotii iuridici, sed vitio aliquo inveniuntur affecta. Illa locum habet, quum in negotio aliquod deest ex elementis intrinsecis aut essentialibus requisitis sive ex natura rei, sive ex voluntate legis aut partis. Primi generis invaliditas *rescindibilitatem* producit, alterius vero *nullitatem* veri nominis. Et certum est ex data quoque definitione, alienationem sine licentia peractam efficere ut negotium sit *nullum.*

Iam age, quod nullum est, nullum producit effectum ; scilicet non producit effectum illum, ad quem producendum ab agente actus positus est. Et in hoc nulla potest esse difficultas. Nemo enim dixerit in casu nostro alienationem sine debita licentia peractam transmittere dominium, stante citata praescriptione Codicis, collato canone 1680 § 1, in quo dicitur: « Nullitas actus tunc tantum habetur, quum in eo defi« ciunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu « conditiones desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nul« litatis » ; quod ultimum praecise in casu nostro obtinet. Agitur proinde in casu de actu *nullo stricte dicto.*

Porro quinam sunt effectus actus iuridice nulli in sensu stricto huius vocis? Actus nullus non habet iuridicam exsistentiam, quare nec constituere nec immutare, nec exstinguere potest relationem ullam iuridicam; hinc ex. gr. res tradita in exsecutionem actus nulli non transit in proprietatem acquirentis et vindicari potest ex quocumque possessore ; - praeterea actus nullus caret quovis effectu et vi in relatione ad omnes interesse habentes; quare non solum emptor, sed venditor quoque potest agere contra invalidam seu nullam alienationem, ut pro re nostra patet etiam ex § 2 can. 1534; - deinde, actus nullus non eget invalidari ; - tandem actus nullus sanari non potest, quia non

sanatur nisi illud quod exstitit; actus autem nullus nec exsistit nec exstitit unquam.

Omissis autem aliis effectibus, de quibus in praesenti non est quaestio, de hoc ultimo, qui ad rem nostram proxime facit, aliquid magis in particulari dicendum est.

Nullitas igitur actus *insanabilis* est, quia nec praescriptio nec confirmatio seu ratihabitio efficere potest ut actus nullus convalescat.

Et re quidem vera, in ordine ad actum nullum, ne loqui quidem possumus de praescriptione. Praescriptio enim supponit ius aut actionem, quod exerceri aut quae poni debebat, exercitum aut positam non esse; ad hoc autem ut actus nullus non producat effectus iuridicos, nullum ius exerceri, nullam actionem poni necesse est. Hinc poterit quis semper opponere fundamenti defectum in actione, quam alter contra ipsum experiri vult, etsi praescriptionis tricennalis aut ulterioris limites praeterlapsi fuerint. Cfr. *Codex,* can. 1893. Hoc unanimiter tradunt iurisconsulti recentiores, hoc docuerunt antiqui. Iam Licinius Rufinus (1. 210 *de div. reg. iur. ant.* D., L, 17) dicebat: « Quae ab initio inutilis fuit stipulatio, ex « post facto convalescere non potest » et Paulus (1. 29 tit. cit. *D.):* « Quod « ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere »; quae omnia consecravit Bonifacius VIII in regula 18 iuris in 6°: « Non firma- « tur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit ».

Sed neque confirmatione sanari potest; non enim sanatur nisi illud, quod, etsi infirmitate laborans, exsistit tamen. Quare actus nullus debet de novo integer poni sine defectu, quo antea inficiebatur, quique nullitatis causa exsistebat. Loqui quidem possumus, et ita de facto saepe iurisconsulti et canonistae, aliquando ipsum ius, loquuntur, de confirmatione, ratihabitione seu sanatione actus absolute nulli; sed haec est impropria locutio. Vera enim confirmatio vel ratihabitio seu sanatio ea est, quae habet effectum retrotractionis; nam « ratihabitionem retrotrahi « et mandato non est dubium comparari » (reg. 10 iur. in 6°). Porro effectus iste retrotractionis applicari quidem potest actibus rescindibilibus, non vero actibus nullis, neque citata regula iuris locum habet quando mandatum ab initio requiritur tamquam *forma actus* aut *per vim auctoritatis.* Testem habemus Gaium (1. 9 § 5 *de auct. et cons. tut., etc.,* D. XXVI, 8; cfr. § 2 *de auct.* Inst. Iust. I, 21) aientem: « Tutor « statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri ; post tempus vero « aut per epistolam interposita eius auctoritas *nihil agit* ».

Quare ea, quae aliquando dicitur confirmatio actus nulli, non est vera confirmatio, sed positio novi actus validi, qui omnes habens conditiones a iure praescriptas, suos effectus *ex nunc,* idest ex tempore

quo positus est, producit. Hinc, si irapubes testamentum condit, quod legalem aetatem adeptus confirmat, haec suae voluntatis declaratio non efficit validum testamentum, quod erat et manet nullum; si confirmatio facta fuerit observatis omnibus sollemnitatibus a iure praescriptis habebimus testamentum validum, quod, substantia rei inspecta, idem erit ac primum, sed formaliter novum omnino testamentum est. Et quamvis in contractu partes contrahentes possint, si velint, pacisci, ut novus actus seu novum negotium existimetur produxisse suos effectus ex eo tempore, quo positus fuerat actus nullus, id quidem poterunt, sed hoc valebit vi additi pacti, non vi actus nulli prius positi, et vim habebit inter partes paciscentes, non autem relate ad tertios.

Hanc novi actus positionem seu stipulationem libere faciunt partes sine ullo interventu magistratus aut iudicis, quae tamen, ut diximus, ipsum actum nullum sanare non possunt. Pariter libere possunt partes renunciare iuri, quod in foro nostro ex can. 1679 habent, experiendi actionem ad obtinendam a iudice declarationem nullitatis. Sic etiam ex. gr. in iure civili (Cod. civ. ital., art. 1311) statuitur confirmationem seu ratihabitionem testamenti nulli locum non habere nisi ex parte heredum aut causam habentium a testatore, ex quo indirecte deducitur testatorem ipsum non posse ratihabere posteriore declaratione aut novo actu testamentum ipsum suum nulliter factum. Quae quidem merito statuuntur. Nam validitas vel invaliditas actus iuridici non potest dependere a voluntate privati hominis, sed unice ex praescripto legis, dum contra in potestate est interesse habentis sese iuvare, vel non, nullitate a lege statuta. Ratihabitio ex parte ipsius testatoris secumferret in eo potestatem substituendi sollemnitatibus a iure praescriptis alias diversas sollemnitates, quibus efficeretur validum testamentum quod ex lege nullum est; contra, ratihabitio ex parte heredum id non importat, nec testamentum nullum facit validum, sed unice importat renuntiationem ex parte heredum iuri invocandi declarationem nullitatis, eamque opponendi, renuntiationem utilitati et commodis, quae ipsis provenire possent ex oppositione actionis nullitatis. Hanc renuntiationem privatus quoque homo facere potest.

Sed an actus nullus veri nominis sanationem seu confirmationem nancisci potest, *magistratu interveniente suamque auctoritatem interponente?* Porro ex dictis negativa prorsus descendit responsio; rationes enim, quae ad adstruendam impossibilitatem sanationis actus nulli allatae sunt, ex intimis procedunt seu ex ipsa iuridica natura actus.

Verum dubitari quidem potest ex nonnullis textibus iuris. Certe in iure Romano (1. 38 *De adopt.* D. I. 7) dicitur: « Adoptio non iure facta,

« a Principe confirmari potest »; idem dicitur (1. 3 *si maior factus* etc. C, V., 74) fieri in casu alienationis fundi rustici facta a minore sine decreto auctoritatis exercentis altam tutelam (et est casus valde nostro affinis) per certum temporis decursum. Imo in iure nostro, quod ad casum attinet nostro fere aequalem, dicitur alienationem rei ecclesiasticae a Praelato factam, Capitulo reclamante seu contradicente, non tenere et a successore non debere servari, nisi tamen Capitulum, consensu suo etiam postea, sive ex intervallo, praestito, eam approbet seu ratam habeat: « certum est de rigore iuris concessionem illam non « tenere, quam reclamante Capitulo per práedecessorem tuum factam « constat fuisse, *nisi eam ratam postmodum habuisset* », c. 3 *de his quae fiunt a Prael.* etc. X, tit. III, 10.

Quid igitur dicendum? Scilicet summus Princeps supra ius est. Ipse igitur, quemadmodum posset novas formalitates seu sollemnitates ad actus validitatem generali lege statuere, ita potest id facere pro singulari actu. Sanare proinde potest actum nullum *prout hic et nunc exsistit seu cum defectu,* quia *dispensat* super ea formalitate, ex qua actus nullitas exsurgit, dummodo, ut patet, nullitas proveniat ex defectu *extrinsecae* sollemnitatis, quae ex ipsius obtinet voluntate. Quare non potest ex. gr. sanare contractum nullum ex defectu consensus.

Neque sanare potest actum *ex tunc,* sed solummodo *ex nunc,* nisi per fictionem iuris, concedens partibus privilegium et favorem, qui in sua sit positus potestate. Neque id ordinarie potest laedendo iura tertio acquisita; nam certe nemo dixerit Romanum Pontificem ita ex. gr. sanare posse in radice matrimonium Caii ut hereditatem Titii, - qui suum heredem instituit filium Caii legitimum, vel, si non haberet, Sempronium, - transferat de Sempronio in filium Caii, qui, sanato in radice matrimonio patris sui, postquam Sempronius mortuo Titio, eius hereditatem adivit, exinde evasit filius legitimus Caii et natus erat ante mortem Titii.

Quare potest summus Princeps sanare actum nullum ex nunc, vel etiam ex tunc, intra limites supra dictos; sed nonnisi summus Princeps potestate ordinaria, quia ad hoc necesse est ut confirmans seu sanans supra ius sit positus.

id autem potest summus Princeps sive particulari concessa dispensatione, sive generali constitutione legis; id vero non possunt inferiores magistratus. Ex his autem clara fiunt ea, quae sive ex iure Romano sive ex iure nostro supra fuerunt adducta.

Haec proposito casui applicando, quum nulla in Codice exstet lex, qua, supposita accessione consensus Ordinarii ad alienationem iam

nulliter peractam, ista sanari dicatur, quemadmodum antiquo iure fuerat statutum, ut vidimus, in casu alienationis ab Episcopo factae sine consensu Capituli, dicendum est^rdinarium non posse sanare alienationem sine sui licentia, a iure requisita, factam.

RESOLUTIO. - Propositis in plenario conventu S. G. Concilii habito die 17 maii 1919 supra enunciatis dubiis, nimirum:

I. *An loci Ordinarius vi canonis 1532 sanare valeat peractas sine debita licentia alienationes bonorum ecclesiasticorum, quorum valor non excedat triginta millia libellarum.;*

Et quatenus affirmative: i

II. *An idem Ordinarius, quum sanationem impertitur, teneatur servare praescriptas normas canonis 1532, § 2 et 3.*

Emi Patres respondendum censuerunt:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Eactaque de praemissis SSmo Dno Nostro Benedicto Div. Prov. PP. XV relatione, per infrascriptum S. Congregationis Secretarium, in audientia diei 18 subsequentis, Sanctitas, Sua datas resolutiones approbare et con> firmare dignata est.

I. MORI, *Secretarius,*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Brevibus apostolicis nominati sunt:

1 augusti 1919. — *Vicarius apostolicus de Beni in Bolivia* R. P. Raymundus Calvo, ex Ordine Minorum.

— *Vicarius apostolicus de Chaco in Bolivia* R. P. Hippolytus Ulivelli, ex Ordine Minorum.

4 augusti. — *Vicarius apostolicus Lybiae* R. P. Hyacinthus Tonizza, ex Ordine Minorum. "

— *Vicarius apostolicus ArcHipelagi Navigatorum* R. P. Ioseph Darnand, e Societate Mariae.

18 septembris. — *Vicarius'Apostolicus Jamaicae in Antillis* R. P. Guilelmus O'Hare, e Societate Jesu.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

DUBLINEN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII SERVORUM DEI FIACRII TOBIN A KILKENNIA ET IOANNIS BAPTISTAE DOWDALL AB ULTONIA, ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINARUM, IN HIBERNIA PRO FIDE, UTI FERTUR, INTEREMPTORUM.

Invicto agmini biscentum quinquaginta septem Servorum Dei, de quorum martyrii fama causa Dublinensis die *i°2* februarii anno 1915 introducta fuit, accenseri non potuerunt duo sacerdotes e franciscali familia Gapuccinorum, nempe Fiacrïus Tobin a Kilkennia et ioannes Baptista Dowdall ab Ultonia, quia in actis illorum processualibus nec testes de his rogati fuerunt, nec documenta exhibita, praesertim ob repentinam Postulatoris Dublinensis mortem. Verum huiusmodi mora praesenti Causae potius favere quam nocere visa est, siquidem novae inquisitioni et disceptationi parata et strafa apparuit via, prioris causae vestigia sectando. Recentior insuper processus in eadem curia Dubiinensi confectus et Sacrae Rituum Congregationi traditus, complet primum et testimonia ac documenta continet, quae ad duos praedictos Dei Servos eorumque martyrii famam referuntur. P. Fiacrius Tobin, furente persecutione Kromwelliana, anno 1656, et P. Ioannes Baptista Dowdall, Anna regnante, anno 1710, pro fide, uti asseritur, occubuerunt. De utroque Servo Dei, prouti mos est, aliquid innuere libet. Fiacrius Tobin, Kilkenniae natus, adolescens in Ordine Gapuccinorum cooptatus, Carolopoli, in Gallia, ubi idem Ordo Coenobium habebat, missionibus catholicis Hiberniae augendis destinatus, sedulam navavit operam studiis philosophicis ac theologicis. Iussu superiorum, anno 1646 in patriam suam reversus, Spiritu Dei plenus et sana doctrina instructus, fidem catholicam bonosque mores apud Hibernas gentes propagavit. Anno 1650 deditione urbis Kilkenniae peracta in potestatem Kromwellii, aufugientibus ceteris de clero, ipse cum suo converso et altero sodali e Fratribus Minoribus, intrepidus ibi remansit, ut catholicis verbo et opere prodesset, sacramenta ministraret et aegrotis, praesertim lue grassante, inserviret. Quinque post menses ab haereticis captus et in carcerem coniectus, dum supremum supplicium expectabat, gratiam apud

»

custodem carceris adeo invenit ut Missam celebrare sacrumque ministerium catholicis praestare potuerit. Quin imo, instantibus proceribus, Praefectus civitatis eum libertate donavit intra fines tantum urbis. Vertente anno 1653, promulgata lege expulsionis universi cleri ab Hibernia, ipse eandem sortem subire illamque insulam relinquere coactus, Galliam adivit. Sed eo vix appulit, assentiente Commissario generali missionis Hiberniae, in hanc insulam regressus est. Illic per biennium apostolicos labores in Dei gloriam et salutem animarum impendit. Ineunte anno 1656, in quadam agresti via ab altero ex iis, qui, promisso praemio illecti et religionis odio agitati, sacerdotes catholicos inquirebant ad perniciem, comprehensus et ligatus, ad Hewsonium, Dublini Praefectum, rapitur. A iudicibus in tribunali sedentibus interrogatus, aperte et ingenue fatetur se esse sacerdotem ex Ordine Capuccinorum, suamque fidei professionem christiana libertate profert: « Re« dusse - dicit - in Hiberniam, ut sanguine suo testimonium fidei « catholicae perhiberet, nullamque ab eis, tot iam martyrum cruore « pollutis, misericordiam expectare; unum sibi esse in votis, ut lege, « etsi iniquissima, agerent, ipsi, quo sibi vitam daretur, in agone pro« fundere ». Ne eius ad mortem damnatio magis in fide confirmaret catholicos, iidem iudices capitalem sententiam cum durissimo exilio in insula Barbados commutarunt; et donec propitia se offerret occasio ad ea loca navigandi, Servum Dei ligatum in carcerem mittunt, eumque custodibus tradunt saevitiis excruciandum. Post mensem eductus est navique impositus, etsi febri laboraret. A portu Dublini solvunt navigantes, qui biduo post, exorta tempestate, in portum Waterfodiensem se recipiunt, ibique, perdurantibus ventis itineri adversis, consistere debent. Quaenam fuerit per id temporis conditio Servi Dei describitur in epistola a P. Bernardino, Commissario Ordinis Capuccinarum, e loco Montis Sancti missa sub die 20 iulii 1656 ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide: « In navi - ibi legitur - velut in carcere catenis « onustus, rebus omnibus expoliatus, detinetur Servus Dei Fiacrius eique, « inter rigidiores hyemis inclementias, duri asseres erant febricitanti « corpúsculo, cervical lignum, putris et purulenta aqua potus, pisa « semicocta et pauca reliquum nutrimentum». Cunctas hasce aerumnas pro Christo patienter toleratas, sequuta est mors P. Fiacrii quam idem Commissarius ita evenisse narrat: « Ex navi illa et haereticorum catenis « migravit in caelum, haud dubium, martyr, saltem caritatis et voluntatis, die 6 martii anni 1656 ». Cum hac relatione Commissarii concordant *Acta Processus Dublinensis, Bullarium Ordinis Capuccinorum* et *Historia persecutionum Hibernarum, edita a cl. me. Cardinali Moran,*

- Alter heros, pari laude dignus, P.-Ioannes Baptista Dowdall," ex Ultonia oriundus, genere et censu clarus, mundi obiectamentis divitiisque spretis, pro Christi amore et imitatione Ordinem Gapuccinorum amplexatus est. In missionibus Hibernis quadraginta et amplius annos adlaboravit. De eo adhuc vivente P. Andreas Nugantius, missionis Praefectus, anno 1708, ad S. CongregationenVide Propaganda Fide scribebat: « Venerabilis Pater Ioannes Baptista Dowdall, octagenarius vir, anima« rum zelo accensus ac missionarii muneri totus addictus a quadraginta « annis, mirum quam insignes proventus retulerit. Multos haereticos ad « fidem perduxit, permultis regni proceribus orthodoxis sacramenta « administrat, omnibus ob morum gravitatem gratissimus exsistens ». Sub Anna regnante, anno 1702-1714, acrior exarsit persecutio in catholicos, maxime in sacerdotes et religiosos, praesertim si eos professione protestantes ad catholicam fidem reduxissent. Tunc enim capitalis poena erat indicta per specialem legem, anno secundo reginae Annae latam, cui nomen et finis erat: « Actus ad,,praeveniendum ulterius Papismi « incrementum ». Sed strenuus missionarius, apostolico suo ministerio intentus, absque metu et tremore omnem operam adhibuit ad conversionem hominum salutariter promovendam, ideoque a Cardinali Moran meruit appellari: «Insignis prae multitudine haereticorum quos reduxit « in sinum Ecclesiae Catholicae ». Hac de causa, pluries ad haereticis comprehensus et toties in tetrum carcerem reclusus, diras pro Christo sustinuit inedias. Ob conversionem ab eo factam illustris matronae, instigantibus huius consanguineis, Servus Dei in ergastulum Londinense translatus est, ibique fame et frigore consumptus, inter diros et acerbos ergastoli doloresf*et impias in Deum nocentium voces per genus novum martyrii vitam emisit, vitamque invenit aeternam martyrii laurea decoratam Londini, in Anglia, anno 1710. Ita *Annales Gapuccinorum Hiberniae,* conscripti a P. Bonaventura Donnely, Capuccinorum Hiberniae Definitore, anno 1741; necnon Cardinalis Moran in citato opere *De persecutione catholicorum Hibernorum: Fr. Ioannes Baptista Dowdall, Ultoniensis* et *Bullarium Ordinis Gapuccinorum.* - Haec et alia, ex actis processualibus et documentis authenticis deprompta, Sacrae Rituum Congregationi tamquam valida argumenta subiecta sunt ad probandam martyrii famam, quam ambo Servi Dei inde ab obitu consequuti sunt, eo quod carceres, exilia, aerumnae illos in mortem, ex communi opinione, adduxerunt. Itaque eiusmodi fama martyrii in dies magis inclarescente et vigente, super qua processus Informativus Dublini confectus est, quum omnia, servato iuris ordine, parata sint ut ad ulteriora procedatur, instante Rmo P. Raphaële a Vallefinaria, Ordinis Minorum Capuc-

cine-rum postulatore generali, attentisque litteris postulatoriis in priori Causa Dublinensi iam exhibitis, novisque hos viros Dei Famulos respicientibus, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Ostiensis et Praenestinus, Sacri Collegii Decanus etfhuius Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis ad Vaticanas aedes coactis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem eiusdem Emi Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei promotore generali, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 22 iulii 1919.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem sacrae Rituum Congregationis Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae *Dublinen. Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Fiacrii Tobin a Kilkennia et Ioannis Baptistae Dowdall ab Ultonia, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum,* die 23, eisdem mense etanno.

Ijj A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B.'C. Praefectus.

L. © S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA ROTA

MAURANEN. SEU CAMBERÍEN.

NULLITATIS SENTENTIAE

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die 13 iulii 1918, RR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Aloisius Sincero et Fridericus Cattani Amadori, Auditores de turno, in causa* Mauranen. seu Camberien. - Nullitatis sententiae *inter* Rev. D. Dufieux, *parochum Ecclesiae* Vallaris, *in dioecesi Mauranensi, et huius dioecesis Episcopum ex una parte, repraesentatos per legitimum procuratorem D. Angelum D'Alessandri, advocatum, et ex alia Sac.* Ioannem Baptista Gilloz, *eiusque matrem* Am eliam Gilloz, *repraesentatos per legitimum procuratorem ex officio deputatum Rev. D. Carmelum Conte, interveniente et disceptante in causa Iustitiae Promotore, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Inter plus quam quadringena oratoria in dioecesi Mauranensi a pietate fidelium erecta, exstat cappella quaedam exigua, in honorem S. Bernardi Deo dicata, in pago cui nomen *La Borge,* cuius administratio et tenues reditus curae et custodiae procuratoris, a familiis quibusdam eiusdem pagi libere electi, committitur. Per plures annos partes egit procuratoris Olympia Martin, cui successit anno 1905 sacerdos, e praefato pago oriundus, Ioannes Baptista Gilloz, qui munus sibi commissum usque ad annum 1909 sollerter adimplevit. Eo quidem tempore, dioecesim Mauranensem relicturus, pecunias cappellae proprias, summam circiter libellarum 800, in manus deposuit notarii publici oppidi *St-Michel* dicti, Dñi F. Buttin. Cum vero, anno insequenti, 1910, sacerdos Gilloz consilium foveret vitam religiosam amplectendi et ad hunc finem ab Ordinario Mauranensi litteras consuetas testimoniales postulaverit, monuit eum Episcopus nemini fas esse, iuxta sacros canones, religionem ingredi, qui aere alieno gravatum vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius esset, ac proinde nonnisi postquam pecunias cappellae

dictae *de la Borge,* quibus de iure restituisset cum reddita ratione administrationis gestae, se litteras petitas oratori concedere potuisse. Sacerdos Gilloz votis Episcopi libenter acquievit scribens mense septembri anni 1909: « Il n'y a aucune difficulté à cela, puisque les gens inté- « ressés Ont les reçus entre les mains et qu'ils peuvent prendre pos- « session des titres quand ils voudront, chez Mr Buttin, notaire à St-Mi- « chel.... Tout le monde sait que j'ai laissé ces titres chez Mr Buttin, « en attendant que les intéressés veuillent bien aller en prendre pos- « session. Je ne désire que cela et -je le leur ai fait écrire par Mr Buttin « encore. Quant aux comptes, ils ont été rendus, sont fort simples et ne « souffrent aucune difficulté ». Mater autem ipsius, vidua Aemilia Gilloz, obstabat quominus fieret redditio depositi; imo aperte declaravit Episcopo « que FEvêque et le Curé n'avaient rien **à** voir dans l'administration des fonds de cette chapelle ». Tandem, sub initio mensis ianuarii 1910 mandavit Episcopus Rev. parocho Durieux, ad cuius paroeciam *(Valloires)* pertinet pagus *la Borgé,* ut omni studio niteretur ad dictos titulos a manibus notarii recuperandos, quod inter paucos dies feliciter effectum est, ita ut parochus, die 7 ianuarii 1910, Episcopo nuntiare potuerit se titulos iam recepisse, adiungens: « J'aurai soin de les « remettre en mains sûres; je provoquerai une réunion du village au dimanche » Tituli, tamen, in manibus parochi fere duos annos manserunt, quin reclamarent incolae pagi interesse habentes.

Viduae Gilloz autem non placuit consilium relinquendi sub tutela parochi cappellae pecunias et, mense octobris anni 1911, patrono ab ipsa deputato, Rev. D. E. Tachy, mandavit ut media opportuna adhiberet, quibus induceretur, vel etiam actione iudiciali obligaretur, parochus ad easdem sibi committendas, quas dein ipsa procuratori nominato remittendas curaret. De mandato accepto patronus certiorem fecit Officialem Curiae Mauranensis die 16 octobris 1911, petens ut citaretur parochus Durieux, et fieret iudicium, quo obligaretur - « à rétablir les «fonds de la chapelle en l'état où ils étaient». Officialis respondit, die 24 octobris 1911 : « Vous m'avez fait l'honneur de m'écrire au sujet d'une « chapelle réclamée avec ses biens par la famille Gilloz de Valloires, « Savoie. Des informations sont prises, mais elles sont encore incom- « plètes.... J'aime à espérer que tout s'arrangera sans procès ». Replicat patronus die 27 octobris : « Le Curé de Valloires doit remettre les choses << en l'état où elles étaient avant sa main mise faite sans un jugement « regulier de l'autorité ecclésiastique.... S'il veut l'exécuter à l'amiable, « nous y consentons ; dans le cas contraire, nous maintenons notre « demande d'un jugement de F Officiante, rendu le plus tôt possible,

« relatif à la jouissance ». Officialis epistolam patrono misit die 29 novembris 1911, declarans familias pagi interesse habentes, legitime convócalas die 26 novembris ultime elapsi, tamquam procuratricem cappellae Dominam Iosephinam Rol elegisse, eique bona cappellae commisisse. Die 2 decembris protestatur patronus Dñae Gilloz contra actionem aliarum familiarum in electione facienda, quam contra ius quaesitum familiae Gilloz fuisse contendit, petitque illam nullam declarari, utpote lite pendente innovatam, et quaestionem principalem in possessorio iudicialiter dirimi postulat. Gum die 23 ianuarii 1912 Officialis rationes patrono exposuerit, iudicium propositum declinandi, hic iterum insistit die 24 eiusdem mensis ut de rebus controversis, iudiciali ordine servato, solutio definitiva habeatur.

Tribunal Mauranense, vero, instantiam porrectam a limine litis reiecit per sententiam interlocutoriam diei 29 ianuarii 1912, quia actrix ius non habebat provocandi iudicium in re proposita : « L'Officialité juge « et prononce que Dame Gilloz n'avait pas qualité ni moyens suffisants « en vue de son instance telle quelle; à l'effet de provoquer un juge« ment au possessoire directement et d'abord en sa faveur, et qu'ainsi « elle est non recevable ». Contra hanc sententiam, utpote vim definitivae habentem, patronus Dñae Gilloz appellationem interposuit ad Curiam Metropolitanam Cameriensem, quae per sententiam latam die 5 augusti 1912 illam reformavit, et de merito causae principalis agere non dubitavit ob exceptionem suspicionis contra Iudicem primae instantiae, quam satis probatam esse duxit sive ex conditione sacerdotis Gilloz, filii actricis, relate ad Ordinarium Mauranensem, sive ex studio partium Officialis eiusdem Curiae, quo consilium praebuit parocho Durieux bona cappellae in alias manus tradendi post initam actionem Viduae Gilloz, quam etiam inauditam damnavit.

In merito causae principalis sequentes declarationes et dispositiones eadem sententia emisit: « Le Tribunal,... dit et prononce que Mr. l'abbé « Gilloz, procureur, a été injustement spolié: Condamne en conséquence « Rev. S. Durieux: 1) à faire parvenir, avant la fin du mois d'août, les « valeurs de la chapelle de *la Borgé* à Maître ßuttin notaire à St-Michel « de Maurienne, à qui les avait confiées Mr l'abbé Gilloz, et qui voudra « bien les garder provisoirement en qualité de sequestre; 2) à rendre «un compte exact de sa gestion depuis le moment de sa main mise...; « 3) à avertir l'Officiai métropolitain de l'accomplissement de ces obli« gâtions. En cas de refus de Mr Buttin : Nous nous constituons nous« mêmes sequestre, et nous demandons à Rd. Durieux de nous adresser «les valeurs et le compte-rendu; 4) d'autre part, respecteueux des

« droits des co m propriétaires, et jugeant qu'ils est à propos de les consulter dans la situation présente, Je Tribunal suspend Mr l'abbé Gilloz « de son mandat de procureur et invite Dame Gilloz, sa mère, à pro- « voquer une assemblée plénière du chef de famille de *la Borge,* laquelle « ou bien rétablira Mr l'abbé Gilloz dans ses fonctions de procureur, « ou bien lui donnera un successeur... ».

Post lapsa fatalia appellationis parochus Durieux recursum fecit N. S. Ordini contra validitatem sententiae Curiae Metropolitanae, intervenientibus in causa sac. J. B. Gilloz, cui concessum est, pariter ac matri suae, gratuitum patrocinium, necnon Ordinario Mauranensi ad iura dioecesana tuenda. Sequentibus dubiis partes subscripserunt: 1) *An constet de nullitate sententiae Curiae Camberiensis in casu. 2)* Secundum dubium de merito causae, alio modo prius concordatum, ad instantiam patroni Episcopi, consentientibus altera parte necnon Promotore Iustitiae N. Tribunalis, sic definitive statutum est: *An sustineatur nominatio procuratoris cappellae* de la Borge *facta in Congressu 26 novembris 1911 ad bona eiusdem cappellae custodienda et administranda.*

Quod ad sententiae nullitatem attinet, scitum est in S. Rota, respectu sententiarum quae substantialia iudicii elementa continent, prout ex lege naturae requiruntur, non attendi nullitatis capita ex lege positiva dependentia nisi tria, nempe ex defectu mandati, citationis et iurisdictionis (cf. Rota, *Treviren.,* coram Many, die 15 maii 1913; *Biturgen.,* coram Prior, die 27 aprilis 1917). In casu nostro non deerat mandatum, cum Vidua Gilloz appellans patronum suum, qui eius nomine ad iudicium appellavit Curiae Metropolitanae, mandato legitimo procurationis ad hunc finem munivit in epistola eidem missa die 4 septembris 1911.

Neque ex defectu citationis oritur nullitas sententiae. Quamvis enim citationis species, quae in epistola Officialis Camberiensis diei 13 aprilis 1912 ad parochum Durieux habetur, defectiva videatur, cum nullus terminus comparationis coram Tribunali designetur, sine quo nemo contumaciae argui potest, et ipse parochus die 25 iunii 1912 scribat: « J'ignorais, jusqu'au reçu de votre lettre, que j'étais traduit devant FOfficia- « lité par Mme Gilloz »; tamen parochus conventus de facto comparuit, quod ad omnes effectus iuridicos citationis sufficit. Inutiliter enim citatur qui praesens est. Ad rem ait Reiffenstuel (lib. Il, tit. 3, n. 111-112): « Si « post factam illegitimam citationem ultro citatus compareat^ convali- « datur citatio per comparitionem, ac proinde arctat citatum sicut citatio « legitima ... quia sola praesentia partis, absque alia citatione, sufficit ut « processus atque sententia iudicis valeant. Siquidem praesens regula- « riter citari non debet, cum effectus citationis sit de substantia litis,

« quando pars est praesens. Et hinc nulliter citatus, quamvis compa- « rere non teneatur, si tamen comparuerit, non amplius excipere potest « contra nullitatem executionis citationis, haec enim per comparationem « iam fuit convalidata ».

Iudex metropolitanus etiam iurisdictionem habebat ad appellationem recipiendam a sententia tribunalis inferioris, quamvis ista non definitiva, sed tantummodo interlocutoria esset, quia vim definitivae habebat. A sententia enim interlocutoria vim definitivae habente licet appellare iuxta Concilium Tridentinum in cap. 20, sess. 24, *de Ref.* Post prolatam enim sententiam Curiae Mauranensis, qua exclusum fuit ius agendi ex parte Dñae Gilloz, nulla spes aderat, .dum illa immutata maneret, aliam sententiam habendi in eadem instantia. « Signa sententiae interlocu- « toriae habentis vim definitivae, ait Reiffenstuel (lib. II, tit. 27, *de Sent. « et re iudic,* ri. 18), sunt sequentia: primo, quando post ipsam non « speratur alia sententia in eadem instantia, eo quod ipsi finem impo- « nat; tunc manifestum signum est, eiusmodi sententiam interlocutoriam «habere vim definitivae. Talis est sententia, qua Iudex interloquendo « pronuntiat aliquos non posse vel non potuisse de iure appellare ».

Competens autem non erat Iudex metropolitanus ad iudicandum de merito causae principalis, quia agebatur de appellatione a sententia interlocutoria a iudice primi gradus emissa, quin ullo modo tractaverit de causa principali, prout explicant auctores in commentariis super cap. *Olim,* 7, *de exceptionibus.* Ita Pirrhing in hunc locum (tit. *de exceptione.,* n. 42): « Ratio autem, cur Iudex appellationis non possit cogno- « scere super causa principali, est ; quia, cu*m Iudex, ad quem appel- « latum est, succédât Iudici, a quo appellatum est, de eo tantum debet « cognoscere, super quo appellatum fuit; sed Iudex a quo super meri- « tis causae principalis nihil cognovit, ergo neque Iudex appellationis « de iis debet cognoscere ». Item Reiffenstuel, in tit. *de exceptionis,* lib. 2, n. 87.

Neque obstat quod sententia interlocutoria vim definitivae habeat, quia, ut ait Reiffenstuel, in tit. 27, *de sent. et re iudic,* n. 25: « Si (sen- « tentia interlocutoria habens vim definitivae) sit talis sententia, quae « non omnino finit officium iudicis, sed potest adhuc ab eo iustitia con- csequi, tunc ea est regulanda tamquam interlocutoria». Patet, vero, post reformatam sententiam interlocutoriam Curiae dioecesanae, qua excludebatur ius agendi ex parte actricis, viam iam apertam fuisse ad iustitiam consequendam coram tribunali primi gradus, cuius sententia reformata nullum praeiudicium attulit inquisitioni super merito causae principalis faciendae.

Huiusmodi iuris dispositio quae incompetentiam signat Curiae metropolitanae respectu iudicii super merito causae principalis haud effugit oculos Iudicis Curiae Camberiensis, qui in sententia prolata ait : « Con« sidérant que cette question principale devrait être renvoyée au Tribunal de St-Jean de Maurienne, qui ne l'a point encore étudiée et « résolue », at erronee putat huiusmodi Tribunal incompetens evadere ob propositam in secundo gradu exceptionem suspicionis contra iudicem primi gradus: « mais qu'un obstacle s'y oppose, c'est-à-dire l'exception « de suspicion alléguée contre les juges de première instance ». Exceptio suspicionis enim non valet mutare gradum iudicii. Ad rem ait Pirrhing (lib. II, tit. 28, *de appellat.,* n. 237) : « A iudice suspecto ordinario, « vel delegato regulariter appellari non potest : tum quia iure communi « proprium remedium est concessum, recusationis scilicet, si iudex sit « suspectus; tum quia ex eo praecise, quod sit suspectus, non gravat: « ergo appellationi non est locus, cum gravamen sit immediata causa « appellationis ». Et in cap. 41, tit. 28, *de appellat.,* praescribitur: «...quum « aliquis iudicem proponit se habere suspectum, suspicionis causam *« coram eodem iudice* allegare tenetur.... Sed partes in aliquem iudicem « vel aliquos non valde remotos conveniant, *per eumdem iudicem,* qui « nominatur suspectus, debent cogi, coram quo vel quibus si causa suspi**re** cionis infra terminum competentem probata non fuerit, tunc demum « auctoritate sua iudex utetur. Quodsi coram ipsis... causa suspicionis « probata fuerit, causae cognitioni supersedere tenebitur iudex recusa« tus ». Ius antiquum, quo prohibetur gradum iudicii mutare ob exceptionem suspicionis, confirmatur in can. 1615, **I,** *Codicis Iuris Canonici* recenter promulgati: « Si iudex unicus aut aliquis vel etiam omnes iudices « qui tribunal collegiale constituunt suspecti declarentur, personae mutari « debent, non vero iudicii gradus».

Praeterea, licet nobis indagandum non sit de iustitia exceptionis suspicionis, quae reapse coram nullo tribunali competenti proposita est, tamen notare praestat, quidquid valoris ab initio habere potuissent duo ex tribus motivis praetensae suspicionis in sententia Camberiensi allegatis, conditionem nempe sacerdotis Gilloz relate ad Episcopum Mauranensem et consilium ab Officiali dioecesano parocho Durieux datum, illud iam amisisse ante appellationem ad Curiam Metropolitanam interpositam, quia vidua Gilloz in iudicem primae instantiae reapse consenserat. Exceptio enim suspicionis sicut omnes exceptiones dilatoriae, proponenda est ab initio iudicii ante litem contestatam, uti praescriptum est in cap. *inter monasterium,* 20, tit. 27, *de sent. et re iudic,* arg. cap. *Insinuante,* 25, *de Offic,* Deleg. Authentic. *Offeratur,* eod tit., *de lit. contest.*

(cf. Schlmalzgrueber, in tit. *de exceptione*, n. 20 et tit. 28, *de appellat*, n. 133; Reiffenstuel iu tit. *de appell.,* n. 268). Quodsi pars litigans rationes suspicionis eo tempore noverit et nihilominus exceptionem tempore utili movere neglexerit, illam iam amplius proponere non potest, siquidem praesumitur in iudicem concessisse (cf. Rota, *Biturgen.,* coram Prior, die 27 aprilis 1917). Iamvero nota erant facta allegata actricis patrono die 2 decembris quando in epistola hac die ad Officialem missa iudicium ab illo petiit super merito causae principalis.

Nulla, itaque, erat ratio cur recedendum esset a regula communi, qua praescribitur post latum iudicium in causa appellationis a sententia interlocutoria, de merito causae principalis iudicandum esse a iudice prioris instantiae. Nulla, itaque, est sententia Curiae Camberiensis, quatenus tractat de causa principali.

Declarata nullitate sententiae metropolitanae, remanet videndum de bono iure, prout in secundo dubio proponitur, an scilicet sustineatur nominatio procuratoris cappellae *de la Borge* facta in congressu diei 26 novembris 1911 ad bona eiusdem cappellae custodienda et administranda. Ex stilo S. Rotae, enim, post solutam quaestionem de nullitate sententiae, agitur etiam de bono iure partium. Ita Decisio 191, n. 8, part. 2, Recentiori: « Ubi causa nullitatis est commissa, Auditor cogno- « scens de nullitate, potest cognoscere de negotio principali, et revocare « priorem sententiam iniustam, constito de eius iniustitia ». Et Coccinus, in *Decisione magistrali 474,* n. 8, part. 2, tom. I, Rec. : « Nec facit, « quod decisio Finetti dicat, quod post confirmationem sententiae non « est amplius agendum de nullitate, sed videndum de bono iure, quae « cognitio de bono iure repugnat rei iudicatae, quia hoc est regulariter « verum, sed non habet locum in Rota, quae numquam exsequitur « sententias aliorum tribunalium, nisi gustato de eorum iustitia. Pute, « Decis. 401, lib. primo, Chissan, Decis. 179 et est notorium et tritum « in Rota ».

Quod ad quaestionem attinet causae principalis, quatenus in secundo dubio nobis dirimenda proponitur, notandum est acta processus in Curia Camberiensi peracti ad N. S. Tribunal haud integra remissa fuisse. Dno Ponenti vero roganti, ad instantiam Episcopi Mauranensis et parochi Durieux/ut defectui suppleretur, responsum fuit ab officiali Curiae metropolitanae, « que, croyant la cause définitivement jugée et terminée, vu « qu'aucun appel n'avait été interjeté dans le délai fixé par le droit, il « (l'officiai) n'a plus songé à conserver le dossier dans son intégrité». Sperabatur, tamen, partes simul cum scripturis distribuendis exhibituras fuisse documenta, ex quibus hauriri posset cognitio de regulis electionis

faciendae procuratoris, sive de praetensis iuribus familiae Gilloz, a sententia Gamberiensi affirmatis, nempe sacerdotem Gilloz adhuc officio fungi procuratoris et familiam Gilloz specie quadam frui iurispatronatus cappellae. Res tamen spem fefellit. Documentum quoddam ab Illmo Dno A. Fodere, Episcopo Mauranensi (Ordinatio diei 30 martii 1840) loquitur de procuratoribus cappellarum ruralium eorumque muneribus, de regulis tamen electionis eorumdem, sive statuto sive consuetudine firmatis nihil dicit. Attamen, sine huiusmodi praevia cognitione iudicium ferri non posset super validitate electionis procuratoris in congressu familiarum pagi *la Borge*, diei 26 novembris anni 1911 factae. Concessus, igitur, fuit processus suppletorius qui anno 1914 incoeptus, ob difficultates commercii epistolaris, etc., ex immani bello ortas, nonnisi anno 1917 ad finem perduci potuit.

Prima quaestio solvenda respectu validitatis electionis controversae haec est: an officium procuratoris vacans fuerit mense novembri anni 1911 quando nova electio facta est, cui respondendum censemus affirmative. Testes enim iudicialiter interrogati: « Pourrait-il être nommé procureur « ou continuer à l'être, celui qui s'éloignerait, irait plus ou moins loin, « pour un temps paraissant devoir être long, peut-être pour toujours? », omnes, praeter partem in causa, sac. Gilloz, paucis tantummodo exceptis qui rem ignorare fatentur, respondent discessum solum temporaneum cum officio procuratoris componi posse. Ideoque testes declarant munere procuratoris non posse fungi qui definitive discedit e loco ibidem non reversurus. Sac. Gilloz vero definitive discesserat e loco et dioecesi Mauranensi. Quidquid enim sit de motivis quibus primo motus fuerit ad dioecesim relinquendam, indubitatum est ex commercio epistolari inter ipsum et Ordinarium Mauranensem annis 1909-1910, eum animum habuisse novitiatum religiosum in oppido *St-Quentin* ingrediendi, quem reapse ingressus est mense aprilis 1914, quod ex sese implicat discessum e loco ubi munus procuratoris agendum erat cum animo ibidem non revertendi. Gaeteroquin, status ipse novitiatus componi nequit cum rerum administj atione, quae facile ab aliis aeque interesse habentibus geri potest. Postulanti, igitur, Episcopo, die 20 septembris 1909, ut bona cappellae ius habentibus restitueret cum reddita ratione rei gestae, cum nonnisi hac conditione impleta concedi possent litterae testimoniales quas petierat, Sac. Gilloz respondit die 22 septembris sc libenter adimpleturum esse conditionem positam: « 11 n'y a aucune difficulté à cela, puisque « les gens intéressés ont les reçus entro les mains, et qu'ils peuvent « prendre possession des titres quand ils voudront, chez Mr Buttin, «notaire à St-Michel.... J'ai laissé ces titres chez Mr Buttin, en atten-

« dant que les intéressés veuillent bien aller en prendre possession. Je « ne désire que cela, et je le leur ai fait écrire par Mr Buttin encore. « Quant aux comptes, ils ont été rendus, sont fort simples, et ne souf- « frent aucune difficulté ». Remittendo vero bona cappellae, quantum ab ipso pendebat, in manus interesse habentium cum reddita ratione rei gestae, eo tempore quo definitive a dioecesi discessit, iam ipse muneri assumpto procuratoris valedixit. Vacabat, igitur, officium procuratoris tempore congressus quo nova electio facta est.

Porro, omnes testes, qui interrogationi iudicis in hac re responderunt, declarant familiam Gilloz nullo speciali privilegio prae aliis frui respectu cappellae communis; quod et ipse sacerdos Gilloz fatetur, unica posita exceptione pro clavis custodia. Ait: « La famille Gilloz n'est que « co-propriétaire absolument comme les autres familles, et au même « titre, exception faite pour la possession de la clé, de temps immé- « morial ».

In hisce circumstantiis, itaque, Officio nimirum vacante, et iure suo eligendi utentes, familiae pagi convenerunt die 26 novembris 1911, et ad munus procuratoris nominarunt Dñam Ipsephinam Rol. Valida ideo dicenda est electio, nisi contrarium probetur.

Contrarium probare conatus est patronus sac. Gilloz eiusque matris ex quadruplici capite: *a)* quia lite pendente electio facta est, ac proinde vel nulla est vel irritanda; 6) quia ipsa Dna Gilloz haud convocata fuit ad congressum electorum ; c) quia duo ex praetensis electoribus, quorum nomina subscripta reperiuntur in documento electionis, congressui non aderant, nempe Ioannes Martin et Franciscus Magnin ; *d)* tandem, quia parochus Durieux, convocando electores, sicut et titulos cappellae a notario petendo, illegitime se ingessit administrationi cappellae, quae nullimode ab ecclesiastica auctoritate dependet. Huiusmodi vero argumenta non probant thesim patroni familiae Gilloz, ut ex mox dicendis patebit.

Inhibitio generalis iuris quae in rubrica tituli 16 lib. II, *Decretalium* continetur, « Ut lite pendente nihil innovetur », prohibet quamcumque immutationem, qua uni ex litigantibus, actori sive reo, praeiudicium infertur circa ius controversum, donec lis ad finem perducta fuerit (cf. Lega, *De iudiciis,* in h. t., p. 558, par. I). Ius controversum erat possessio titulorum cappellae *La Borgé* qui detinebantur a parocho Durieux contra voluntatem unius ex interesse habentibus, Dñae Aemiliae Gilloz. In congressu 26 novembris 1911 duo decisa-fuerunt a con-, vocatis, nimirum, electio procuratoris, et traditio titulorum cappellae procuratori electo a parocho facta. Iamvero, primum, seu electio procuratoris, nullum praeiudicium respectu rei controversae actrici intulit,

sed tantummodo secundum, seu traditio titulorum a parocho facta, qua impediebatur quominus tituli directe in manus actricis pervenirent. Actio intentata enim directa non fuit contra alias pagi familias in cappella interesse habentes, quarum potius iura actrix per actionem iudicialem se tueri putabat, ut patet ex mandato procurationis diei 4 septembris 1911 patrono concesso, ubi ait: « C'est un devoir de conscience « pour moi de ne pas laisser entamer ni péricliter les droits de ma «famille... et des intéressés». Tunc temporis etiam praevidebat novi procuratoris nominationem cui titulos recupéralos.remittere intendebat, ut ex eodem mandato liquet: «Je pourrai ensuite faire ce qu'il faut « pour remettre les fonds au procureur nommé ». Ideoque, etiamsi lis penderet tempore quo facta est electio procuratoris, validitati eiusdem non obstabat.

Sed eo tempore lis non pendebat sensu canonico. Litis enim pendentia quoad effectus iuridicos non inducitur per oblationem libelli; sed requiritur ut citatio, in qua res controversa exponitur, emissa sit et ad partem citatam pervenerit, ut. clare definitur in cap. *% Quum lite pendente* (Clem., tit. V, lib. 2): « Quum lite pendente nihil debeat innovari, « litem quoad hoc pendere censemus, postquam a iudice competenti in « ea citatio emanaverit, et ad partem citatam pervenit, vel per eum «factum fuit, quo minus ad eius notitiam perveniret: dum tamen in « citatione praedicta talia sunt expressa, per quae plene possit instrui, « super quibus in iudicio convenitur ». Iamvero, die 26 novembris 1911 nondum citatio a iudice emanavit. Actrix, enim, in mandato ad patronum misso, et ab ipso die 16 octobris 1911 iudici porrecto tanquam actionis libello, duo alternativa proposuit: *a)* ut sine lite parochus induceretur ad titulos restituendos, vel *b)* ut per actionem iudicialem ad idem obligaretur. Scripsit enim actrix: « Je vous en prie, de vouloir bien faire «les démarches nécessaires, soit pour décider Mr le Curé à restituer « et à me remettre les fonds en question, avec un compte exact de sa «gestion, soit pour porter cette affaire au besoin devant l'oificialité « diocésaine, et même au Métropolitain jugeant en appel ». Respondit Officialis, die 24 octobris 1911 : « J'aime à espérer que tout s'arrangera « sans procès », quibus verbis satis innuit citationem ad litem inchoandam non fuisse emissam, nec probabiliter emissuram iri. Nec tamen institit actricis patronus ut processus fieret. Tantummodo post notitiam acceptam de congressu diei 26 novembris habito categorice petiit die 2 decembris 1911 ut res iudiciali ordine dirimeretur.

Secun.do loco opponit patronus actricis ipsam non fuisse vocatam ad congressum electionis. Imprimis dicendum est de omissa convocatione

non constare ex actis: nullus testis hoc asserit, a nullo documento eruitur. Nec obstaret validitati electionis procuratoris, quo Dna Gilloz ad dictum congressum vocata non fuerit, quia vocatio omnium electorum ad formam substantialem electionis non pertinet; sed qui ius habens eligendi vocatus non sit, seu contemtus fuerit, ut aiunt canonistae, potest prosequi contemptum, seu petere a Superiore vel a iudice ut electio irrita declaretur, quia ipse ad electionem non fuit vocatus: si vero negligat hoc modo contemptum prosequi, suo iuri renunciasse praesumitur. Ad rem ait Pirrhing (lib. I, tit. 6, n. 140 seq.): « Vocatio « absentium Capitularium, etiam eorum qui vocari debent, non pertinet «ad formam substantialem electionis, quia aliquibus etiam non vocatis. « subsistit electio, quamvis ea rescindi debeat, si contempti prosequantur contemptum ». Et sub n. 143: « Si contemptus, seu non vocatus, «ius suum prosequendi contemptum, sive oppugnandi electionem ob *« sui contemptum,* expresse vel tacite remisit, non potest Iudex seu Supe« rior, ad quem confirmatio spectat, ex officio, vel ad petitionem adver« sarii electionem rescindere >v Vidua Gilloz, vero, haud prosecuta est contemptum, seu non petiit electionem irritari ob sui contemptum, sed solummodo quia lite pendente facta est, vel quia Officium procuratoris eo tempore non vacabat; istae videlicet sunt rationes in sententia Camberiensi allegatae. Verum est patronum in epistola diei 2 decembris 1911 Officiali Mauranensi missa dixisse: «La famille Gilloz proteste contre « la décision prise par les autres familles; la regardant comme contraire « au droit qu'elle possède et injurieuse contre l'abbé Gilloz » ; at huiusmodi verba laesum non praetendunt ius matris ut ad congressum electionis vocaretur, nam de laeso huiusmodi iure nullum exstat verbum in actis processus in Curia metropolitana peracti, ubi tamen ampla occasio suppetebat actrici ius suum urgendi. Solae rationes a iudice metropolitano consideratae respectu electionis irritandae sunt pendentia litis et officium non vacans. Neque potest iudex electionem irritare ob contemptum electoris, uti docet Pirrhing supra citatus, nisi ipse elector id petat ratione praecise sui contemptus. In casu nostro huiusmodi petitio non fuit facta, neque ipse contemptus probatus est.

Tertio loco opponitur quod duo ex signatoribus documenti decisiones referentis congressus familiarum die 26 novembris 1911, scilicet Ioannes Martin et Franciscus Magnin, coram testibus declararunt se dicto congressui non adfuisse, nec documento sübscripsisse. Imprimis quoad utrumque notandum est praedictas declarationes testimonio tantum extraiudiciali niti; nullus enim testis iudicialiter in causa excussus de hoc verbum protulit.

Franciscus Magnin, vero, fatetur se vocatum fuisse ad congressum, ideoque queri non potest de iis quae ibidem ab electoribus praesentibus ipso absente decisa sunt. Admittit uxorem suam comitiis adfuisse, quam asserit nomen viri sui documento apposuisse. Iamvero cum ius administrandi cappellani et procuratorem eligendi non individuis sed familiis pertineat, absente familiae capite, potest familia per aliud membrum repraesentari, nisi vetat statutum aut consuetudo, de qua inhibitione in casu non constat. Praeterea, non conqueritur de facta electione procuratoris, sed de subtractione suppellectilium altaris a custodia familiae Gilloz. Protestatio, igitur, Francisci Magnin validitati electionis non nocet.

Item Ioannes Martin non queritur se non vocatum fuisse ; de peractis, igitur, eo absente, si revera adfuerit, nullo iure conqueri potest. Praeterea, ipse, licet vocatus fuerit ad testimonium reddendum coram iudice a S. Rota delegato, coram quo reapse comparuit et quaedam de re controversa iniuratus narravit, nullam protestationem fecit de actis dicti congressus. Porro, iuxta declarationem extraiudicialem Margaritae M. Moussard, et ipse non de electione facta procuratoris, sed de ablata custodia suppellectilium altaris a familia Gilloz conquestus est. Ideoque neque declarationes Ioannis Martin prosunt actricis intento.

Denique, quod in re gessit parochus Durieux iuxta mandata vel consilia Curiae dioecesanae, sive titulos recuperando a notario Buttin, sive familias convocando ad novam procuratoris electionem, ius non excessit Episcoporum, prout a Concilio Tridentino definitur in cap. 8, sess. 22, *de ref. :* « Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, « in casibus iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima « voluntate, quam inter vivos, sint exsecutores;... ac omnia quae ad Dei « cultum, aut animarum salutem... ipsi ex officio suo, iuxta sacrorum « canonum statuta, cognoscant et exsequantur; non obstantibus qua- « cumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio aut statuto ». Similia decernuntur in cap. *Tua nobis, de Testamentis.* In casu nostro agebatur de cappella quae proxime ad Dei cultum dedicatum est. Insuper, iuxta ordinationes dioecesanas circa cappellas rurales, inter quae enumeranda est cappella loci *La Borgé* ad Consilium Fabricae, cuius praeses est parochus, spectat urgere novi procuratoris electionem quando vacat huiusmodi officium.

Quibus omnibus in iure et in facto bene perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et defi-

nitive sententiamus, propositis dubiis respondentes: ad primum *affirmative,* seu *constare de nullitate sententiae Oamberiensis in casu;* ad secundum *affirmative,* seu *sustineri nominationem procuratoris cappellae de «La Borge » factam in congressu 26 novembris ad bona eiusdem cappellae custodienda et administranda.* Expensas autem iudiciales compensandas esse inter partes decernimus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversum reluctantes procedant ad normam sacrorum Canonum et praesertim cap. 3, sess. 24 Conc. Trid., iis adhibitis exsecutivis et coërçivitis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede tribunalis S. R. Rotae, 13 iulii 1918.

Ioannes Prior, *Ponens,*
Aloisius Sincero,
Fridericus Cattani Amadori.

Ex Cancelleria S. Romanae Rotae.

Sac. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

AVVISO

La Direzione dell' « Annuario Pontificio » presso la Segreteria di Stato interessa vivamente gli Unni e Rmi Ordinari delle diocesi, i collegi prelatizi, i Superiori generali degli Ordini religiosi, i Rettori dei collegi ecclesiastici e tutti i dignitari appartenenti alla Corte pontificia a volerle trasmettere in tempo utile le relazioni e rettifiche occorrenti per la edizione dell'« Annuario » pel prossimo anno 1920, in conformità della lettera circolare dell'Eolo sig. Cardinale Gasparri, Segretario di Stato, in data 15 luglio 1915, e delle particolari istruzioni ricevute al momento delle nomine e promozioni.

NOMINE

Con biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

10 settembre 1919. il sig. Comm. Giuseppe Barluzzi, ***Archivista della Segreteria di Stato.***

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

24 agosto 1919. Mons. Enrico Hanlon, vescovo tit. di Teo.

Protonotari apostolici ad instar participantium:

5 settembre 1919. Mons. Giuseppe Hallé, prefetto ap. dell'Ontario Superiore.
15 » » Mons. Carlo Luigi Di Leila, della diocesi di Télese.
16 » » Mons. Francesco Portalupi, della diocesi di Pavia.
19 » » Mons. Alberto Dien, dell'archidiocesi di Parigi.

Prelati Domestici di S, S.:

11 giugno 1919. Mons. Augusto Boulet, dell'archidioeesi di Québec.
» » » Mons. Gelestino Lemieux, della medesima archidiocesi.
6 luglio » Mons. Lionello Lindsay, della medesima archidiocesi.
15 » » Mons. Giovanni Guglielmo Norris, della diocesi di Trenton.
4 settembre » Mons. Carlo Lagier, dell'archidioeesi di Parigi.
5 » » Mons. Nehmatalla Abi Giaudé, dell'archidioeesi maronita ^ di Cipro.
19 » » Mons. Luigi Giuseppe Lalieu, della diocesi di Tournay.
23 » » Mons. Enrico Pucci, di Roma.
» » » Mons. Francesco Nannini, dell'archidioeesi di Lucca.
24 » » Mons. Luigi Testoni, cappellano segreto di S. S.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

13 settembre 1919. Al sig. Abdon Cifuentes, dell'archid. di Santiago del Cile.

La Gran Croce dell'Ordine di S, Gregorio Magno, classe militare:

11 settembre 1919. Al sig. Stefano Saverio Shinjiro Yamamoto, capitano di vascello della marina giapponese.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 agosto 1919. Al sig. Francesco Billón, della diocesi di Liegi.
1 settembre » Al sig. principe Salim Amin Bellamá, dell'archid. di Cipro.
2 » » Al sig. conte Giuseppe De Meeus, di Lovanio.
4 » » Al sig. Pietro Teofilo Legare, dell'archidioeesi di Québec.
» » » Al sig. Giorgio Garneau, della medesima archidiocesi.

Il ***Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:***

26 agosto 1919. Al sig. Alfredo Ciani, di Roma.
30 » » Al sig. Luigi Toulemonde-Lorthois, della diocesi di Lilla.
5 settembre » Al sig. Gregorio Béttencourt Perestrello, di Georgetown.
22 » » Al sig. Roberto Goenaga, già segretario del Ministro di Colombia presso la S. Sede.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

28 agosto 1919. Al sig. Pio Carlotti, sottotenente della Guardia palatina d'onore.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

26 agosto 1919. Al sig. Giacomo de Ojeda y Brooke, già Consigliere dell'Ambasciata di Spagna presso la S. Sede.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

29 agosto 1919. Al sig. Filippo de Simoni, di Roma.
30 » » Al sig. Romolo Rapella, di Roma.
31 » » Al sig. Carmelo Morsani, di Roma.

MAGGÍORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rina Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

26 luglio 1919. Mons. Alessandro Carlo de Mahieu, della dioc. di Malines.
7 agosto » Mons. Sisinio Peretto, della diocesi di Adria/
5 settembre » Mons. Carlo Wimmer, della diocesi di Veszprimia.
» » » Mons. Felice Costa, della diocesi di Biella.
10 » » Mons. Luigi Scipioni, dell'archidiocesi di Urbino.
» » » Mons. Giacomo Ghio, della medesima archidiocesi.
15 » » Mons. Andrea Alasia, della diocesi di Ivrea.
20 » » Mons. Federico Fioretti, dell'Abbazia *Nullius* di S. Paolo fuori le Mura.

Cameriere d'onore in abito paonazzo di S. S.:

20 settembre 1919. Mons. Cleofo Hoffmann, dell'archidiocesi di Praga.

Cappellani Segreti, d'onore di S. S. :

25 agosto 1919. Mons. Giovanni Caricati, di Roma.
5 settembre » Mons. Paolo Weber, della diocesi di Veszprimia.

NECROLOGIO

22 *agosto 1919.* Mons. Giovanni Maria Dunne, vescovo di Bathurst in Australia.

4 *settembre* » Mons. Giuseppe Maria Salvador y Barrera, arcivescovo di Valenza.

7 » » Mons. Adolfo Fritzen, arcivescovo titolare di Mocesso.

17 » » Mons. Giuseppe Gregorio Romero, vescovo di Salta.

Annus XÎ - Vol. XÎ 3 Novembris 1919 Nuití. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

ECCLESIA EU M. VIRGINIS AD NIVES, IN OPPIDO CUGLIERI, DIOECESIS BOSANENSIS, BASILICAE MINORIS TITULO AC PRIVILEGIIS HONESTATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. - Vestigiis Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum insistentes, sacras catholici orbis aedes, quae vetustate, monumentis artium et antiqua populorum religione excellant, singularibus honoris titulis ac privilegiis decorare solemus. Inter eiusmodi aedes merito recensetur templum, quod, ineunte saeculo xiv, in oppido *Cuglieri,* dioecesis Bosanensis, exstructum est et Deo Optimo Maximo in honorem Beatae Mariae Virginis ad Nives dicatum. Magnificae moli classicis lineamentis speciosae, cui ornamento erant duae utrimque turres vario aeris concentu instructae, addita sunt, recentiore aetate, tum nova frons artifìcio renidens, tum, ex amplis sacrae aedis mae inanis eminens, aeneum atque extrinsecus inauratum Beatae Virginis signum, oppido, continenti regioni marique benedicentis. Quod quidem ad sanctuarium, concordi cleri populique studio pretiosissima supellectile locupletatum, inde ab antiquis temporibus, gregatim confluunt, peregrinatione fere cotidiana, vel e dissitis Sardiniae regionibus, ex omni ordine cives, Beatam Virginem ad Nives, ante marmoreum eius simulacrum, auro gemmisque ornatum, pie veneraturi. Eandem Ecclesiam s. m. decessor Noster Pius VII, anno MDCCGVII in insignem Conlegiatam erexit, cuius stabilitati, quam corruere necesse erat legibus deinde latis

de bonis ecclesiasticis publicandis, est auspicato providenterque consultum. Cum autem simulacro Virginis ad Nives Ordo canonicorum Basilicae Vaticanae die iv mensis decembris anno MDCCCXCII ob patrata miracula aureum diadema pro instituto suo decrevisset, sacer ritus tam sollemniter die v mensis augusti anno MDCCGXCIII peractus est, ut laetabilis eventi vigeat adhuc recordatio. Ex eo die popularium pietas vehementius exarsit; neque, si qua est Sardis recolenda catholici nominis fortuna, alibi quam in Sanctuario Beatae Virginis ad Nives commemoratur, uti factum esse constat occasione quinquagesimi ab definita Immaculata Virginis Conceptione anni et sexti decimi saeculi ab Ecclesia per Mediolanensem Edictum in libertatem vindicata, cum, archiepiscopis et episcopis praeeuntibus, ingens insulanorum multitudo illuc ex omni Sardiniae angulo peregrinata est. Dilata vero, belli causa, a superiore in hunc annum sollemnia, quae ob quintum lustrum ab redimito corona aurea simulacro certatim apparabantur, acta denique sunt diebus quarto, quinto ac sexto elapsi mensis augusti; alternis, pontificali ritu sacris perfuncti sunt provinciae ecclesiasticae Turritanae Episcopi, et postremo ex festis die ipse Archiepiscopus et Metropolita Turritanus, adstantibus sibi omnibus, quotquot ad sacram aedem convenerant, Praesulibus. Quorum ut sollemnium perpetua exstaret memoria, venerabiles fratres Cletus, archiepiscopus Turritanus, et Angelicus, Bosanensium episcopus, impensis a Nobis precibus efflagitarunt, ut, ad maiorem Dei ac Beatae Virginis gloriam, ad christianae pietatis incrementum, ad decus augendum vetustae dioecesis Bosanensis totiusque provinciae ecclesiasticae Turritanae, Sanctuarium Beatae Mariae Virginis ad Nives, in oppido *Guglieri* situm, ad dignitatem Basilicae Minoris eveheremus. Nos autem, quibus nihil contigerit antiquius, quam ut christifidelium erga sanctam Dei Genitricem pietas magis exardescat et uberiores cotidie fructus percipiat, eiusmodi votis propensa voluntate annuentes, auditis quoque VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus sacrae Rituum Congregationi praepositis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, Ecclesiam Conlegiatam seu Sanctuarium Beatae Mariae Virginis ad Nives, in oppido *Guglieri,* intra dioecesis Bosanensis fines, situm, titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestamus, eique universa ac singula iura, privilegia, honores et indulta largimur, quae Minoribus huius Almae Urbis Basilicis iure conveniunt. Decernentes has Litteras Nostras firmas, validas efficacesque semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque, ad quos pertinent vel in futurum pertinere poterunt, plenissime suffragari; sieque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fore,

si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter aut ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ix mensis septembris anno MCMXIX, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Stcdus.*

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. MICHAELEM, ARCHIEPISCOPUM MONACENSEM ET FRISINGENSEM, IOANNEM IACOBUM, ARCHIEPISCOPUM BAMBERGENSEM, CETEROSQUE BAVARIAE EPISCOPOS, QUORUM COMMUNI EPISTOLAE, EX PRISINGENSI COETU DATAE, RESCRIBIT.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Equidem libenti animo litteras perlegimus quas, Frisingae de more congregati, ipso electionis Nostrae ad hanc Petri Cathedram die anniversario, communiter ad Nos dedistis. In iis enim novam perspeximus eamdemque praeclaram constantissimi amoris vestri et observantiae in Christi Vicarium significationem: quam grato Nos animo accipientes, paterna nimirum caritate rependimus. Nominatim in iisdem litteris illud probatur Nobis vestrum optatum ut Legatio Apostolica, iam pridem apud vos feliciter constituta, vel in posterum retineatur: certumque habeatis Nosmetipsos valde cupere, ut hoc inter Apostolicam Sedem et Bavariam catholicam perseveret vinculum necessitudinis. De puerili autem institutione, iam Nos Nuntius Noster Monacensis certiores fecerat quam strenuam iuri Ecclesiae tuendo daretis operam: tamen perlibenter a vobismet discimus quae in causa tam gravi egeritis acturique sitis: in quo is, quem confecistis, memorialis libellus valde placet. Quas igitur consociationes patres familias condiderunt ad conservandam filiis, ut potest, religiosam institutionem, fundamentum quod est integritatis morum civilisque ordinis, eas vehementer comprobamus et florere percupimus. Item propositum vestrum dilaudamus missiones sacras ad populum habendi frequentius: quae quidem, mentes ad christianae sapientiae praescripta revocando animosque ad divinae providentiae fiduciam erigendo, mirum quantum ad sananda vulnera perturbationesque sedandas,

quas diuturnum bellum attulit, conferre possunt. Profecto Germaniae apostolus, S. Bonifacius, cuius tantopere in Bavariae salute desudavit industria, praesentissimus vobis aderit, ut haec consilia, ad utilitatem dilectae nationis vestrae inita, perficere possitis: nec est dubium quin Virgo Dei Mater, Bavariae Patrona, christianas familias benigne respiciat, ut eae, cum omni caelestium gratiarum copia, tranquillitatis pacisque munere perfruantur. Cuius auspicem praecipueque benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, et universo clero populoque vestro, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxu mensis septembris MCMXIX, Pontificatus Nostri anno sexto. j

BENEDICTUS PP. XV

II

AD LEONBM ADOLFUM S. H. E. CARD. AMETTE, ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM, OB SOLEMNEM CONSECRATIONEM BASILICAE SS. CORDIS IESU AD MONTEM MARTYRUM.

Dilecte tili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. - Amor ille singularis quo Galliam Apostolica Sedes semper dilexit, efficit omnino, ut, cum Basilicae in Monte Martyrum conditae Sacratissimo Cordi Iesu appetat solemnis consecratio, eam Nos solemnitatem tamquam domesticam putemus, veiimusque istuc proprium Legatum mittere, qui Nostram ad ea sacra Personam gerat. Advenit igitur ad vos tali cum munere dilectus filius Noster Cardinalis Antonius Vico, et is quae sint in hac rei faustitate animi Nostri et sensa et vota significabit.

Equidem, uti, Apostolo docente, cognovimus Verbi Dei incarnationem tunc factam esse ubi venisset plenitudo temporis ad mundi salutem reparandam, ita persuasum hoc Nobis habemus suo quoque pleno tempore Sacratissimum Cor Iesu divinitus propositum esse mundo peculiari studio coiendum, cum videlicet, refrigescens multorum caritas, nisi hoc divini amoris incendio, refoveri non posse videretur. Ita ostendit. Dominus se, quod promiserat, usque ad consummationem saeculi nobiscum esse et fore, eadem semper caritate flagrantem, qua incensus, pro nobis homo factus et passus et mortuus est. At illud quoque divinae providentiae consilium licet agnoscere : nam, cum ista aedes ad Montem Martyrum, publico voto suscepto abhinc multis annis excitata, mem ór'

rem gratiam Galliae erga Cor Iesu testaretur, eius dedicatio in hoc tempus dilata est, quo nationem vestram officium sanctissimum tenet grati animi in Deum illustri significatione declarandi, quod e maximo post hominum memoriam bello superior discesserit.

Divinum igitur Cor in votivo hoc templo adorantes, Ipsum veneramini bonorum omnium dato rem, qui cum universum hominum genus tantopere dilexerit ac diligat, tum gentem vestram singularibus beneficiis ornavit. Sed enim amor amore rependitur: nec quicquam aliud in novo Testamento et in veteri inculcatur vehementius, ut quod est omnium locorum ac temporum praeceptum quo uno Lex omnis continetur. *Ait Iesus: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum* (Matth., XXII, 37-39). Cor igitur sacratissimum cum immensam Iesu caritatem in filios, ah saepius immemores, sensibili modo demonstret, simul nos admonet huius maximi officii quo Deum ante omnia et proximum sicuti nosmetipsos diligere debemus.

Iam vero proximorum caritas, eo impensior quo propinquiores attingit, ad universos homines, vel inimicos ipsos, extenditur, cum omnes fraterna inter nos necessitudine copulemur, utpote eiusdem Dei filii et eodem Iesu Christi sanguine redempti *Audistis, quia dictum est: « Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum». Ego autem dico vobis: Diligile inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est* (Matth., V, 43-45). Hoc Magister et Dominus Noster edixit, hoc Apostoli una voce, in primisque ille amoris praeco Ioannes, tradiderunt, hoc ipsum constat vivendo exsecutus esse, quicumque ad Evangelii sapientiam mores suos exegerint.

Scimus equidem huiusmodi Christi Domini praeceptum mundo non placere, adeo ut, qui eius sanctitatem affirment atque defendant, eorum consilia perverse interpretetur, contumeliisque omnibus rependat. Ita cum Iesu Christo actum est, ita proxime cum Vicario Iesu Christi: nec aliud unquam fiet, si quis iniuriarum oblivionem atque amorem praedicet erga eos qui nobis malefecerint patriamque nostram oppugnaverint. At improborum offensio neminem retardare debet ab hoc tam gravi Evangelii praescripto servando atque inculcando, in quo convictus humani tranquillitas statusque civitatum maxime nititur.

Est igitur consequens ut, si divinum Cor Iesu gratissimo ei cultu prosequi volumus, utramque excitare in animis caritatem debeamus, erga Deum scilicet et erga homines, quamvis inimici sint aut hostes

exstiterint. Meminerint enim omnes ea demum condicione oblatam nobis a Domino veniam peccatorum, si iis, qui in nos peccaverint, ignoscamus. Huic rei apud populum factis verbisque dare operam, munus praecipue est cleri; eo vel magis quod, nisi reconciliatis inter se et animis et populis, tantorum sanatio vulnerum, quae bellum attulit, atque ipsius pacis stabilitas sperari vix potest.

Adsit vobis, precamur, divinae misericordiae celebrantibus munera, Iesus Christus Dominus Noster: ac populari vestra, beata Margarita, cui divitias Cordis sui singulariter patefecit, deprecante, ex ista pernobili sede, quam vos in honorem amoris eius excitastis, Galliam non modo, sed universum genus humanum amplectatur et foveat, ita ut quod in Versaliensi consilio nuper hominum prudentia inchoavit, id in Monte Martyrum divina caritas perpoliat atque perficiat.

Caelestium bonorum auspicem, quae dilectissimae nationi vestrae optamus uberrima, et paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, cunctaeque Galliae apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die VII mensis octobris, in solemnitate Ss. Rosarii B. M. V., anno MCMXIX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, SSmus D. N. Benedictus Pp. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, nimirum :

1 augusti 1919. — Cathedrali ecclesiae Verae Crucis praefecit R. D. Raphaelem Guizar Valencia, presbyterum Zamorensis dioecesis.

— Cathedrali ecclesiae Tepicensi R. D. Emmanuelem Azpeitia Palomar, canonicum metropolitanae ecclesiae de Guadalajara.

25 septembris. — Cathedrali ecclesiae Catacensi R. P. D. Ioannem Fiorentini, hactenus episcopum Tricaricensem.

II

. NOMINATIONES ,

Decretis S. Congr. Consistorialis Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV deputavit:

16 septembris 1919. — R. P. D. Carolum Gregorium M. Grasso, archiep. Salernitanum, in *Administratorem Apostolicum dioec. Nuscanae.*

30 septembris. — R. P. D. Carolum Ruch, episcopum Argentoratensem, in *Administratorem Apostolicum dioecesis Nanceyensis et Tullensis.*

III

DESIGNATIO ORDINARII PRO APPELLATIONE IUXTA CAN. 1594, § %

Iuxta can. 1594, §2 *Codicis Iuris Canonici* pro appellatione:

Rmus Archiepiscopus Montisregalensis designavit Ordinarium Sancti Hyacinthi.

Quam designationem SSmus D. N. Benedictus Pp. XV approbare dignatus est.

Romae, ex aedibus S. G. Consistorialis, die 24 octobris 1919.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DIOECESIS *N.*

DONARIORUM VOT1VORUM

Die 12 iulii 1919

SPECIES FACTI. - Litteris, ad hanc S. Congregationem reverenter datis, exponebat Episcopus *N.*, sese, ut am plificaretur quaedam ecclesia civitatis episcopalis, de consulto Consilii dioecesani administrationis, ad mentem § 2, can. 1532, permisisse alienationem nonnullorum donariorum yotivorum, quae sacram iconem in eadem ecclesia praecipua veneratione fidelium honorata m exornabant, usque ad summam libellarum mille erogandam in causam expressam. Nunc vero, quum praefata summa, licet iuncta aliis conspicuis fidelium oblationibus, adhuc inferior circiter sex millibus libellarum solvendis expensis iam factis exsisteret, quumque ob varias quas singulatim exponebat causas, inopportunum evasisset administrativum Consilium et Capitulum cathedrale interpellare, licentiam Apostolicae Sedis laudatus Episcopus implorabat, qua fretus valeret alia donaria votiva ex auro, argento et gemmis, item sacram eamdem iconem exornantia, alienare, et ex pecunia inde percipienda expensas praefatas exaequare. Attenta urgente in casu necessitate, sacra Congregatio, auctoritate SSnii Domini Nostri, petitam licentiam benigne impertita est Episcopo Oratori, *addita sanatione praecedentis alienationis et erogationis,* et sub ea clausula: « dummodo supersit congruus numerus « donariorum ad ornatum sacrae iconis, et adhibeantur opportunae cau- « telae ne scandalum aut admiratio in populo exoriatur ». Super quo rescripto idem Episcopus, grates ex animo Sacrae Congregationi reddens, animadvertebat tamen sibi inexspectatam prorsus accidisse adiectam sanationem praecedentis alienationis et erogationis: ne autem sibi in posterum super his negotiis errare contingeret, Emos Patres humillime rogabat ut, si vellent, sequentia dubia dirimerent:

I. *An donaria votiva in ordine ad alienationem recensenda sint inter res pretiosas de quibus in can. 1532, § 1, n. 1.*

II. *Quinam valor dici possit notabilis in rebus pretiosis ita ut earum alienatio sit Ordinariis locorum vetita.*

ANIMADVERSIONES. - Quoad primum dubium, certum est in can. 1532, § 1, n. 1, reservari Apostolicae Sedi concessionem licentiae alienandi *res*

pretiosas. Verum haec loquutio non videtur tam late recipienda ut complectatur quidquid ex metallo pretioso confectum sit; sed immo est profecto interpretanda ad normam can. 1497, § % ubi explicite ponitur: « dicuntur pretiosa (bona) quibus *notabilis* valor sit, artis vel historiae « vel materiae causa ». Itaque in tantum alienatio rerum pretiosarum videtur Ordinariis vetita, in quantum res istae praeterea *notabilem* valorem aestimationis attingunt, de quo agitur in secundo dubio, totius causae summam continenti. Ad quod solvendum, vix praemittere oportet in determinatione *notabilis* valoris non parum discrepare ab invicem doctorum sententias, adeo ut, dum nonnulli non censent notabilem valorem rerum etiam pretiosarum quae triginta millium libellarum non attingant, alii e contrario, quum agitur de rebus pretiosis, artis vel historiae vel materiae causa, notabilem valorem arbitrantur attingere quidquid in *aliquo* pretio est. Quae utraque extrema sententia minime videtur recipienda: alteram enim excludit ipse can. 1532, dum res pretiosas distincta enumeratione separat a rebus quae valorem triginta libellarum millia excedunt; ceterum iam ante Codicem classici.scriptores, v g. Pirhing, in lib. III, tit. XIII, n. \% negabant posse, sine beneplacito S. Sedis, alienari « vasa aurea et argentea, gemmas et vestes pretiosas quae « servando asservari possint, et mobilia, qualis grex, unde utilitas et « fructus diuturnus percipi potest ». Cfr. Reiffenstuel, eod. n. 12 et 16. Alteram quoque in contrarium excessum declinantem sententiam, excludit Codex, can. 1497, § % ubi res pretiosa etiam ratione materiae non dicitur, nisi simul sit, non alicuius dumtaxat, sed *notabilis* valoris; pariterque ante Codicem valor iste notabilis exigebatur, ut alienationis licentia S. Sedi reservaretur: nec est profecto praesumendum quod legislator, dum pro bonis mobilibus etiam frugiferis ius antecedens adeo temperava ut tantummodo pro bonis triginta millium valorem excedentibus beneplacitum apostolicum requireret, simul voluerit pro mobilibus tantum pretiosis pristinum augere rigorem.

His extremis sententiis exclusis, iam non supjerest nisi pressius determinare valorem notabilem qui, simul cum pretiositate rei, inalienabilitatem pariat. Porro idem Reiffenstuel, 1. c, n. 14, post allata verba Pirhingii monebat: *Non videtur tamen ex hoc titulo prohibitum quin Praelatus possit aliqua* ***poGula*** *argentea* minus utilia *absque aliis sollemnitatibus iuris alienare;* ac magis perspicue card. D'Annibale *(Summula,* t. 3, n. 77, nota 6): *Porro mobilia pretiosa accipimus vasa aurea vel argentea, gemmas,* etc., *et quae vel antiquitate praestant vel artificio, dummodo valeant saltem 25 aureis de Camera (lib. 235).* Perdoctus Emus vir sic referebat authenticam aestimationem Romanae Curiae saec. xvii;

probati vero scriptores nostrae aetatis monent attendi posse ad mutatum valorem pecuniae, quam duplo vel triplo minorem aestimabat Wernz *(Ius decretalium,* t. 3, n. 160, nota 140). Quare valor iste tutissime ad 750 lib. in Curia hodie definiri potest. Nec desunt, qui notabilem valorem infra 1000 lib. esse hodie negent; immo ipse can. 1532, § 2, dum alienationem distinguit rerum quae 1000 lib. attingunt et quae 1000 lib. superant, hanc aestimationem, quae simplicitate quoque commendatur, ratam habere videtur.

Quibus positis, sequeretur etiam res pretiosas quae mille libellarum valorem non excedunt, alienari ab Ordinariis posse, servatis sollemnitatibus praescriptis in can. 1530-1532, ex quibus potissimum attendenda est, ad casum nostrum, clausula can. 1531, § 3: « Pecunia ex aliena« tione percepta, *caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur » :* i. e. pecunia retracta non statim erogari valet in usus etiam pios et necessarios, sed* immo conservanda est *ad fructum;* ut ergo erogetur seu consumatur, licet ad amplificandam ecclesiam, ut in casu factum est, necessaria est semper Apostolicae Sedis licentia, seu dispensatio super obligatione hac, quam data lex in laudato canone perspicue et explicite, nullaque concessa exceptione, imponit.

Verumtamen, etiam solutis, ut in praecedentibus solvuntur, dubiis propositis ab Episcopo *N.,* adhuc non videtur satis factum esse quaestioni quae proponebatur circa alienationem donariorum votivorum. Scilicet, etiamsi concedendum videatur donaria votiva in ordine ad alienationem, infra valorem aestimationis mille libellarum contenta, non cadere sub vetitum can. 1532, § 1, n. 1, nondum constaret utrum eorum alienatio permittenda Episcopis sit, an Apostolicae Sedis beneplacito reservanda. Ita in can. 1281, § 1, nulla facta distinctione inter pretiosas aut non pretiosas, excluditur prorsus alienatio insignium reliquiarum *aut imaginum quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur,* ideoque etiamsi earum valor aestimationis non sit notabilis in sensu mox exposito. Praeter causam itaque pretiositatis etiam causa *cultus, devotionis aut pietatis* obstare potest, quominus huiusmodi donariorum valida sit alienatio: aliis verbis, ut hodie dici solet, non solum valor aestimationis, sed etiam *affectionis* attendendus est. Et revera, in casu donariorum votivorum, haec aut similia intercederé rationum momenta, non difficile suadetur. Nam sicut procul dubio obiecti votivi donatio est actus religionis, qui quodammodo sacrificio assimilari potest, ita, ex intentione donantis, nexu indissolubili donarium mancipatur cultui sacrae iconis cui donatur, et quodammodo extra omne commercium humanum ponitur. Interest igitur bono publico, seu integritati et profectui sacri cultus, fidelis conservatio donariorum in eo statu iisque

terminis in quibus a voluntate donantis ponuntur, adeo ut non sit fortasse nimium quod dicitur, ecclesiam eiusque rectores non tam in proprietate quam potius in *custodia* donaria ipsa habere, de quibus igitur nullo modo in alium usum disponere possunt. Aliis verbis et planius: observandae profecto sunt condiciones a donante fortasse donationi appositae: atqui ex natura rei et negotii in casu praesumi debet omnino donationem factam esse sub ea conditione ut res sit inalienabilis. Ergo, si semper, in alienandis ipsis rebus ecclesiasticis (quibus ceterum non facile donaria ipsa accensentur), cautum est ut obtineatur « eorum consensus quorum interest » (cfr. can. 1532, § 2, 3), id multo magis in alienatione donariorum difficultatem facessere videtur, quum iste consensus in alienationem non facile praesupponi possit, imo, aliquo sensu, impossibilis factus sit vel ex parte donantis, qui proprietate rei donatae sese omnino expoliavit et quidem non in favorem humanae personae, sed potius in obsequium personae beatae aut divinae, cui rem donatam, interposita voti religione, sacravit. Prout igitur « ultimarum voluntatum ... « commutatio, quae fieri ex iusta tantum et necessaria causa debent, « Sedi Apostolicae reservantur » (can. 1517, § 1), quum eius solius sit necessarium interpretari aut supplere interesse habentium consensum, ita etiam voluntatis, quae in ordine ad obiecta ex voto donata ultima iure censetur, interpretatio, vel potius commutatio uni Sedi Apostolicae, cuius est solvere ligata in caelo et in terra, iure reservatur.

Hisce rationum momentis adiicitur etiam positivum argumentum quod petitur ex stylo et observantia perpetua S. Congregationis, quippe quae semper sibi reservavit, et quidem sub religiosissimis clausulis, concedere licentiam huiusmodi alienationum peragendi, quam imo veniam nunquam per modum facultatis, sed semper in modum indulti in singulis particularibus casibus, causa necessitatis apprime cognita, concessit. Nec est profecto praesumendum datum Codicem huiusmodi observantiam, rationibus boni publici evidenter subnixam, in posterum tacite abolitam voluisse.

RESOLUTIO. - Porro in plenariis comitiis in Palatio Apostolico Vaticano habitis die 12 iulii 1919, Emi S. C. Concilii Patres, ad petitionem Episcopi *N.* supra relatam, reformatis dubiis in hanc formulam: *An donaria votiva alienari possint absque beneplacito Apostolicae Sedis;* respondendum censuerunt: *Negative.*

Quam resolutionem Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Div. Prov. Pp. XV, in audientia diei subsequentis, referente infrascripto S. Congregationis Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DUBIUM

CIRCA PROFESSIONEM RELIGIOSORUM LAICORUM IN ORDINIBUS REGULARIBUS

Huic S. Congregationi de Religiosis propositum fuit dubium: « An «Religiosi laici seu conversi in Ordinibus Regularibus, qui iam emi-« serunt vota simplicia ante diem 19 maii 1918, ad normam Decreti *Sacro-« sancta Dei Ecclesia* diei 1 ianuarii 1911, debeant emittere vota sollemnia « iuxta praescripta dicti Decreti, scilicet absoluto sexennio votorum « simplicium et expleto trigesimo aetatis anno, vel potius ad normam « Canonum 573 et 574 Codicis Iuris Canonici, idest expleto triennio « votorum simplicium et vigesimo primo aetatis anno completo ».

Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit prout respondet:

Negative ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Et Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Pp. XV, in audientia diei 6 octobris 1919, infrascripto Secretario benigne concessa, praefatam responsionem adprobare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 6 octobris 1919,

L. & S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius,*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

URBIS ET ORBIS

CIRCA MISSAM DE REQUIE

Quum dies secunda mensis novembris proxime adfuturi hoc anno in Dominicam incidat, et propterea Commemoratio Omnium Fidelium defunctorum iuxta liturgicas leges agenda sit insequenti die mensis tertia, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XV, ut fidelium

pietati omni aevo conspicuae erga animas in Purgatorio detentas satisfiat, maxime eorum, praesenti tempore, qui luctuosissimo bello desiderati sunt, pro Sua quoque caritate in ipsas animas, cunctis Ecclesiae Catholicae sacrorum Antistitibus et locorum Ordinariis facultatem impertiri dignatus est permittendi *tantum hoc anno* unius Missae de Requie cum cantu vel lectae celebrationem die 2 novembris, Dominica XXI post Pentecostem

I. In singulis igitur Cathedralibus, seu Conlegiatis, vel Parochialibus atque iis potissimum Ecclesiis, aut publicis Oratoriis, quae animabus Purgatorii igne cruciatis praecipue iuvandis habeantur erectae, vel ubi Sodalitates aut piae Uniones in eumdem finem canonice sint congregatae, Rmi locorum Ordinarii praefata Dominica, die 2 novembris, Missam solemnem aut lectam de Requie celebrari permittant.

II. Praeterea Capitulis, Parochis et Rectoribus Ecclesiarum sive publici alicuius Oratorii, de quibus num. I, iidem Rmi Ordinarii Missae unius de Requie cantatae vel lectae celebrationem *semel* tantum permittant una ex Dominicis minoribus vertentis mensis octobris (scilicet diebus 12, 19, 26) aut insequentis novembris (nempe diebus 16 et 23), non impedita a festo ritus duplicis I vel II classis.

HI. Demum enuntiata die secunda novembris vel una ex praefatis Dominicis minoribus, funus ubi placuerit agi permittant cum Missa cantata vel lecta de Requie; vetito tamen quolibet sermone aut funebri oratione in eiusmodi funere.

Serventur autem in omnibus Rubricae et cetera de more servanda.

Inusitatum hoc indultum Missarum de Requie in Dominicis praeter leges liturgicas, attentis lacrimabilibus belli conditionibus, ab Apostolica Sede huc usque largitum, Sanctissimus Dominus Noster adveniente tempore sacri Adventus omnino desinendum iussit.

Ex audientia Sanctissimi Domini Nostri, die 6 octobris 1919.

)$l A. CARD. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Praefectus.

L. >*B* S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACEA ROMANA ROTA

I

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (CHAZAL-MOULIN)

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quinto, die 10 decembris 1918, BB. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Maximus Massimi et Iulius Grazioli, Auditores de turno, in causa* Parisien. -Nullitatis matrimonii *inter* Bertham Ghazal, *repraesentatam per legitimum procuratorem B. D. Nazarenum Patrizi, advocatum, et* Lucam Moulin, *interveniente et disceptante in causa Bev. Substituto Defensoris vinculi ex Officio, sequentem tulerunt in tertio gradu sententiam definitivam.*

Domina Alina Ghazal, quae, hiemali tempore, a domicilio in oppido *Murat* ad amoeniorem~ urbem se conferre solebat, anno vertente 1901, una cum filia Bertha et sorore Dna Lespinasse, Parisios venit, ubi brevi tempore primo commorata apud neptem Dñam Jouvente, domum in via dicta *de V Abbé Grégoire* conduxit, quam medio mense ianuario ingressa est. In festivo quodam congressu apud amicam familiae Ghazal, Dfiam Honnorat nimirum, ineunte mense martio, Bertha Chazal cognovit Dnum Lucam Moulin, a quo versus finem eiusdem mensis postulata, fuit ipsi promissa in matrimonium. Constitutum diem nuptiarum sub fine mensis aprilis vel initio mensis maii differri oportebat, sive ob difficultates exortas de modo instituendae dotis, sive deinde ut occasio matrimonio assistendi suppeteret sponsae fratri, qui mense iunio officiis militaribus detinebatur; tandem die 3 iulii anni 1902 celebratum est matrimonium in ecclesia Dñae Nostrae a Campis coram sacerdote Dño I. A. Le Roy, ad hoc munus delegato a parocho vel primo vicario eiusdem ecclesiae. Infelix fuit matrimonium. Inter sponsos iurgia et dissidia plura fuere, et post annum quartum coniugii mulier virum reliquit divortiumque civile obtinuit. Deinde a Curia Parisiensi petiit ut matrimonium suum nullum declararetur ex capite clandestinitatis, sententiam vero die 26 novembris anni 1910 sibi adversam retulit. Interposita appellatione apud H. S. Auditorium, Iudices rotales, post institutum processum supple-

torium, sententia die 17 martii anni 1914 prolata, matrimonium nullum declararunt. Appellante autem Vinculi Defensore ex officio, causa in tertia instantia nobis dirimenda proponitur sub dubii formula: *An sententia rotalis die 17 martii anni 1914 confirmanda vel infirmanda sit in casu.*

In iure. - Iuxta decretum *Tametsi* Concilii Tridentini, quod tempore huius matrimonii contracti in Gallia vigebat, matrimonium validum non erat nisi coram proprio alterutrius sponsi parocho aut Ordinario initum fuisset, vel coram sacerdote dieti parochi aut Ordinarii licentia munito.

Proprius vero parochus iuxta disciplinam canonicam intelligendus erat ille in cuius paroecia alteruter nupturiens domicilium vel quasi-domicilium fovebat. Domicilium autem duplici elemento constat, *facto* actualis habitationis in paroecia et *intentione* ibidem perpetuo manendi, nisi causa quaedam alio avocet. Similiter quasi-domicilium facto et intentione constat, facto nimirum actualis habitationis in paroecia et intententioñe ibidem permanendi per maiorem anni partem (Instr. S. Officii diei 7 iunii anni 1867 ad Episcopos Angliae et Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis).

In facto. - Extra controversiam est in praesenti causa quod sacerdos, Dnus I. A. Le Roy, qui matrimonio benedixit, ad hoc munus delegatus fuit tantummodo a parocho vel primo vicario paroeciae Dfiae Nostrae a Campis, ubi sponsa cum matre actualiter commorabatur, dum sponsus in alia Parisiorum paroecia S. Ferdinandi scilicet, vulgo *des Termes,* domicilium habebat. Clarum est pariter nec actricem, nec eius matrem, cum qua convivebat, domicilium habuisse in paroecia Dñae Nostrae a Campis, seu illic habitasse cum intentione ibidem perpetuo manendi: nam mater domicilium adhuc conservabat in oppido *Mur at,* ubi domum omnibus rebus mobilibus consuetis ornatam sub tutela famulae suae reliquerat. Et quamvis impossibile non sit duplex haberi domicilium, tamen omnes circumstantiae in casu ostendunt domum in via dicta *de l'Abbé Grégoire* in civitate Parisiensi a familia Chazal nonnisi temporanee et precario habitandam fuisse. Conducta enim fuit ad solos sex menses; misera instructa fuit supellectili: « Nous étions fort mal « installées à Paris ; nous n'avions pas même le stricte nécessaire », eoque quidem pro maxima parte ad breve tempus commodato, prout plures testes affirmant.

Remanet igitur videndum an actrix ibidem quasi-domicilium acquisierat videlicet, an cum actuali habitatione huiusmodi domus coniunctus fuerit ex parte actricis animus ibidem manendi per maiorem anni partem.

Si Bertha Chazal per sex integros menses in paroecia S. Mariae a

Campis reapse commorata fuisset, de animo ipsius ibidem manendi indagare non fuisset necesse, cum merum factum huiusmodi commorationis, ad normam decreti S. C. Inquis., 9 novembris 1898, legem particularem pro dioecesi Parisiensi constituentis, de quasi-domicilio acquisito praesumptionem iuris et de iure efficeret, quae probationem in contrarium non admittit. Ex actis autem constat eam reapse minus quam sex menses ibi habitasse: domum enim in via dicta *l'Abbé Grégoire* ingressa est cum matre sua medio mense Ianuario, et eamdem die nuptiarum, 3 iulii 1902 definitive reliquit.

Praesumptio iuris quidem habetur de intentione manendi per maiorem anni partem ex commoratione mensili, iuxta Litt. Benedicti XIV *Paucis abhinc,* quae tamen contrarias probationes non excludit, uti notat Instructio S. Officii diei 7 iunii 1867 : « Si praesumptio haec iuris, quae « ex menstrua habitatione oritur, contrariis elidatur probationibus, quibus « certo ac liquido constet praedictum animum nullo pacto exstitisse, tunc « profecto contrarium proferri debere iudicium manifestum est, quia « praesumptio cedere debet veritati ».

Contraria probatio in casu nostro praecipue eruitur ex consuetudine matris actricis, plurium annorum spatio firmata, modo hic modo illic cum filia hibernandi per tres vel quatuor menses, quibus elapsis ad oppidum *Murat* semper reversa est. Ita testes affirmant eas annis praecedentibus primo in oppido *Glerniont,* deinde *Tarbes,* denique Lutetiae Parisiorum anno 1900-1901 hiemale tempus transegisse. Stante hac familiae consuetudine, dicendum est matrem cum filia non alia intentione Parisios adiisse anno 1901-1902, nisi peculiares huius commorationis circumstantiae contrarium suadeant.

Vinculi Defensoris Substitutus duas praesertim huiusmodi circumstantias indicat, quas signa manifesta putat animi Berthae matris in paroecia Nostrae Dominae a Campis permanendi per maiorem anni partem.

Prima est contractus domi locatae-conductae ad sex menses stipulati, dum anno superiori Dna Chazal ad brevius tempus domum aliam conduxerat. At longior periodus secundi contractus non tam voluntati conducentis quam consuetudini, qua contractus locati-conducti in urbe Parisiensi reguntur, attribuenda est. Mos est enim illic, sicut notat praeclarus Consultor illius Curiae, ut domum sine suppellectili saltem ad trimestrium locetur, cum onere contractum prorogandi ad trimestrium subsequens, nisi tres menses ante ^huius initium, seu primo die trimestri! antecedentis denunciatus fuerit terminus locationis. Scribit dictus Consultor: « Etant donné, en effet, l'usage parisien de la location à «terme, tout locataire qui emménage est engagé au moins pour six

« mois; sauf le cas à peu près chimérique où il aurait donné congé au « moment même où commence sa location, le locataire ne peut donner « congé qu'au debut du second trimestre, pour prendre effet au début « du troisième. Son séjour sera donc de deux trimestres au moins ». Unde sequitur ut ille qui tantummodo quatuor menses in domo locanda habitare velit, ad locationis eonductionis contractum sex mensium obligetur. Alternativum esset domum supellectili instructam conducere, quae de mense ad mensem Parisiis locari solet. Anno antecedenti Berthae mater domum huiusmodi reapse~conduxerat; anno vero subsequenti, sive quia domum supellectili ornatam situ et pretio idoneam non invenit, sive quia sumptibus parcere studebat, triplo minus enim erat pensio pro domo sine supellectili locata, hanc potius conducere voluit, quam deinde supellectili necessaria a parentibus amice commodata instruere poterat. Periodus, igitur, sex mensium in contractu locationis-conductionis determinata, perpensis circumstantiis, non est clarum indicium intentionis domum conducentis ibidem manendi usque ad terminum contractus. Si enim Dña Alina Chazal post quatuor circiter menses, prout mos eius ferebat, ad domicilium redire voluisset, potuisset domum conductam alteri pro reliqua periodo contractus sublocare, vel etiam iuri ulterioris commorationis simpliciter renuntiare, quin finis quem sibi praestituit in domo conducenda, sumptibus nempe parcendi, frustraretur. Ita explicat actrix, cuius explicatio ab aliis quibusdam testibus confirmatur: « En prenant i'apartement nous n'avons pas fait connaître ni à la « concierge ni à la propriétaire la durée de notre séjour. Ils ne nous « auraient pas loué pour trois mois. Mais nous avions l'intention de ne € pas rester au de là de Pâques... L'apartement que nous avions loué était « de mille francs par an, soit 250 francs par trimestre. Un appartement « meublé nous aurait coûté 250 francs par mois. En supposant que « nous ayons dû payer jusqu'en juillet, nous aurions eu un large béné- « fice Nous étions donc engagées de fait pour six mois; mais nous « avions la possibilité de sous-louer après le quinze avril, et, même en « payant jusqu'au 15 juillet, nous avions encore une grande économie ».

Urget insuper Vinculi Defensoris Substitutus finem praecipuum, quem sibi proposuerunt Alina Chazal eiusque filia in commoratione Lutetiae Parisiorum anno 1901-1902, hunc fuisse ut, insciis amicis et notis in oppido *Murat,* mater in matrimonio filiam collocaret, quod per' manentiam ibidem ad tempus indefinitum requireret. Verum, huiusmodi finis tanquam praecipuus non apparet ex actis, sed tantummodo tamquam concomitans seu secundarius, non aliter ac in aliis hiemationibus familiae Chazal alio factis, ubi nullum ex confesso quasi-domicilium

constituerat. Testatur sponsae frater: «Ma mère en se déplaçant de « Murât se proposait de distraire ma sœur, accessoirement aussi de la « marier, si l'occasion s'en présentait. Elle a eu cette pensée en venant « à Tarbes, elle l'a eu en venant à Paris, mais elle n'est pas venue à «Paris uniquement dans ce but ». Et mater sponsae: «Mme Ghazal « avait seulement l'intention de passer quelques mois hors de Murât « comme d'habitude, et aussi de distraire Mlle Berthe Ghazal, sa fille.... « Néanmoins, si pendant le séjour à Paris quelque occasion avantageuse « d'établir Mlle Berthe se présentait, Mme Ghazal voulait bien en profiter ».

Maior forte erat spes felicem exitum in quaesitu maritali hoc anno obtinendi, cum amici familiae Chazal Parisiis ad hunc finem se opem daturos promisissent. Amici, tamen, nullam determinatam viri personam in mente habuerunt et Berthae Chazal Dnum Moulin praesentarunt nonnisi duos vel tres menses postquam ipsa Parisios ad venerat. Caeterum, praesumi potest amicos familiae Chazal in aliis etiam matrimonii propositis, quae in irritum cesserant, opem aliquo modo praestitisse, cum id amicitiae signum inter amicos dari soleat. Ideoque nil extraordinarium et insolitum habetur respectu mariti quaerendi in actricis intentione Parisiis commorandi anno nuptiarum, unde concludi liceret eam longius ibidem commorari voluisse quam anno praecedenti.

Certe nullus testis asserit Bertham Chazal vel eius matrem in domo conducenda Lutetiae Parisiorum ibidem permanere voluisse usque dum matrimonium contractum fuerit. Imo declarant testes hoc consilium matrem Berthae cepisse tantummodo mense martio, quando scilicet spes arrserat matrimonium iam in concreto manifestatum, ad effectum perducendi, et quidem eo fine ut, insciis Berthae inimicis, qui in oppido *Murat* erant, nuptiae fierent. Declarat frater: « Ce fut l'une d'elles, Mme Honorat, qui présenta Mr Moulin à ma mère. Dès que ce projet fut « reconnu comme possible, je fus le premier à conseiller à ma mère « de rester à Paris jusqu'à sa conclusion, de manière que l'intervention « des calomniateurs ne vînt pas encore faire son œuvre. Le séjour fut « donc prolongé dans l'installation plus que provisoire qui avait été « improvisée rue de l'Abbé Grégoire ».

Similiter loquuntur mater actricis et matertera, Dña Lespinasse. Cum autem eo minus fuisset periculum interventus calumniatorum, quo citius fieret matrimonium, Berthae mater statuit illud locum habiturum esse post unum mensem sponsalium, principio nimirum mensis maii. Diem constitutum vero oportebat aliquantulum differri ob difficultatem exortam circa modum dotis instituendae, deinde ob fratris Berthae absentiam, qui, servitio militari impeditus, ante mensem iulium Parisios petere non

potuit. Non obstantibus autem hisce dilationibus, ab initis sponsalibus ad diem nuptiarum effluxerunt dumtaxat tres menses, quatuor autem a die quo futuri coniuges sibi primo occurrerunt. Clarum est, igitur, intentionem Parisiis manendi donec matrimonium contractum fuerit, primo habitam a matre Berthae tempore mensis martii in circumstantiis supra expositis, commorationem ulteriorem in civitate per maiorem anni partem, seu usque ad finem circiter mensis septembris, significare non potuisse.

Vix opus est ad aliam praesumptionem de quasi-domicilio acquisito animum intendere, ex eo deductam quod aliqui testes affirmarunt actricem Parisiis studio artis pictoriae vel musicae operam dare voluisse, ac si modo discipulae in Collegio quasi-domicilium ratione studiorum acquisiverit. Non enim erat quaestio de cursu studiorum regulari cui subordinata esset habitatio in civitate, sed ad summum de modo animum relaxandi vel otium vitandi tempore hiemationis agebatur. Verius tamen erronea coniectura aliquorum testium dicenda est, cum Bertha Chazal nullimode ad studia harum artium anno nuptiarum se dederit, uti ipsa asserit, nemine contradicente. Ait actricis mater: « Jamais il n'a été « question de leçons à prendre, encore moins de cours à suivre ». Et idem testatur Dña Lespinasse et ahi testes.

Quibus omnibus, tum in iure, tum in facto consideratis et bene perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, dubio proposito respondentes : *Affirmative,* ad primam partem, *Negative* ad secundam, seu confirmandam esse sententiam rotalem diei 17 martii anni 1914, qua declaratur *constare de nullitate matrimonii m casu:* statuentes, praeterea, Bertham Chazal actricem ad expensas iudiciales solvendas teneri.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim cap. 3, sess. XXV, De *ref.,* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 15 decembris 1918.

Ioannes Prior, *Ponens.*
Maximus Massimi.
Iulius Grazioli.

L. © S.

Ex .Cancellaria S. Romanae Rotae
Sac. T. Tani, *Notarius.*

TARR ACONEN.

NULLITATIS MATRIMONII (VILADOT-DE MIGUEL)

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quinto, die 15 februarii 1919, BP. PP. DD. Guilelmus Sebastianelli, Decanus, Ponens, *Maximus Massimi et Iulius Grazioli, Auditores de turno, in causa* Tarraconen. - Nullitatis matrimonii *inter* Dolorosam De Miguel, *repraesentatam per legitimum procuratorem Nazarenum Ferrata, advocatum, et* Petrum Viladot *contumacem, interveniente et disceptante in causa rev. Substituto Defensoris vinculi ex officio, sequentem in gradii appellationis tulerunt definitivam sententiam.*

Petrus Viladot, pravis moribus imbutus, Dólorosam De Miguel, decimum quartum vel decimum quintum aetatis suae annum agentem, ita deperibat, ut mortem minitaretur sibi inferre, si non potuisset cum ea matrimonium inire. Certior de re facta mater Dolorosae, putans propositas nuptias bene filiae et familiae profuturas, notationibus ac minis obtinuit, ut Dolorosa, quae amorem Petri detestabatur, cum eo matrimonium contraheret. Coniugium celebratum fuit Tarraconae die 26 septembris 1883.

Nuptias autem, uti praevidere erat, haud felicem exitum habuere; coniugalis enim vita crebris exagitata dissentionibus, saepius abrupta fuit, penitus autem et in perpetuum dissociata anno 1888: non obstante quod ex nuptiis filius natus esset, qui puer mortuus est. Infelix mulier vero edocta matrimonium suum cum Petro nullum esse ob metus impedimentum, supplicem libellum porrexit summo Pontifici, ut coniugium nullum declararetur, etiam in prima instantia, ab H. S. Auditorio. Pontificia obtenta dispensatione, et processu ad normam iuris instructo, die 27 iulii anni praeterlapso sententia prodiit actrici favorabilis. A sententia appellationem interposuit, prouti de iure, vinculi vindex et hodie causa iterum proponitur sub assuefa formula dubii: *An sententia rotalis diei 27 iulii 1918 sit confirmanda in casu?*

Ius quod spectat. - Matrimonium nullum est, si nupturientes plena libertate non gaudeant, i. e. immunes non fuerint a vi et metu. Metus autem, ut matrimonium dirimat, quaedam habere debet qualitates; debet nempe esse gravis, ab extrinseco et iniuste incussus, a quo ut quis se

liberet, eligere cogatur matrimonium (C. *1. G,* can. 1087, § I). Metus gravis dicitur si malum instans vel futurum sit grave pro illa persona, quae timet, et persona, cui metus incutitur, persuasum habeat illud malum sibi revera imminere (Gasparri, *De matrim.*, n. 940). Metus quoque reverentialis, quo nimirum reformidamus indignationem eius, sub cuius potestate constituti sumus, potest esse gravis, quod verificatur, quando metum comitantur suasiones importunae, preces instantissimae, iurgia, vexationes, etc., uti constanter tenuit H. S. Tribunal.

Metus non praesumitur, sed probari debet ; probatur vero per iuratam depositionem illius, qui metum passus est, per diligens examen circumstantiarum et per testes. Relate ad testes animadvertendum est: 1) admittendos esse illos, qui alias non admitterentur, uti sunt domestici, consanguinei, parentes; 2) duos testes omni exceptione maiores deponentes de metu plenam probationem efficere, etsi alii de libertate deponant. Etenim qui voluntatem liberam affirmant de actu deponunt ex communiter contingentibus soli Deo cognito ; qui vero moralem coactionem, v. gr. iurgia, vexationes, minas testantur, rem affirmant, quae per sensum rite cognosci potest. Ita in *Vesprimien.,* 2 iulii 1911, in *Massilien.*, 30 aprilis 1917 et in pluribus aliis.

Modo ad factum. - Actrix in libello Summo Pontifici oblato declarat matrimonium contraxisse « solamente per la violenza esercitata sopra di « me dai miei genitori », quod confirmat in sua depositione: « fui indotta, « e più che indotta, "obbligata al matrimonio da mia madre ».

Videndum itaque est an hoc etiam eruatur ex tabulis processualibus, ex omnibus nempe circumstantiis, quae antecesserunt, concomitatae et subsequutae sunt matrimonii celebrationem : « ex parte mulieris « per testes dicitur probatus metus, si deponant de ipsius lacrimis et « querelis tam praecedentibus, quam ipsius actum celebrationis concomi- « tantibus, et de tristitia et pallore subsequentibus » (Consci, *De separ. thori,* lib. I, cap. 16, n. 34).

Quoad circumstantias antecedentes, acta referunt Dolorosam admonitam a matre de propositis nuptiis, eidem restitisse, non solum quia a matrimonio erat aliena, sed etiam quia Petrum fastidiebat. « Appena «(ait actrix) le dette signore si allontanarono, mia madre mi disse che « erano venirte a trattare del mio matrimonio con Don Pietro... io « replicai negandomi assolutamente... e vedendo di poi che io conti- **ci** nuava a resistere dicendole che non voleva pensare a maritarmi, che « nessun uomo aveva richiamato la mia attenzione, e molto meno il « sig. Viladot, il quale per verità giungeva a produrmi nausea, essa

« allora ricorse alla violenza ». Et testis Carmela Fortuny: « A donna «Dolores De Miguel ripugnava in sommo grado il matrimonio con il « sig. Viladot. Lo so per relazione avuta da mia sorella, la quale fre- « quentava la casa dei signori De Miguel ». Domina autem Iosepha Bosch : « Donna Dolores si maritò solamente per imposizione di sua « madre, poiché essa aveva dato molte prove di ripugnanza per il matri- « monio con D. Pietro ».

Matris autem intererat nuptias urgere, quia existimabat se hac ratione optime consulere familiae bono, prouti deponit Dolorosa: « Mia « madre mi fece fare allora riflessioni sulla convenienza di accettare il « matrimonio, perchè mio padre stava infermo con la vista, e che «quindi ci sarebbe mancato il suo appoggio». Quod confirmant Carmela Fortuny et Maria Arbiel. C. Fortuny ait: « So che la madre aveva « grande interesse, affinchè si facesse il matrimonio, e che questo inte- « resse proveniva dal fatto, che suo marito era quasi cieco, e l'avve- « nire della famiglia si faceva alquanto oscuro: tale matrimonio della « figlia creava un appoggio, che si rendeva necessario». Maria vero Arbiol: « L'interesse che i genitori avevano... era perchè il sig. Viladot « sembrava un giovane di grande avvenire nel commercio, e che i geni- « tori di donna Dolores erano malaticci e desideravano prima della loro « mòrte di veder sistemata la loro figlia ». - Cum autem Dolorosa a matre dissideret, haec non exhortationibus tantum, sed minis quoque ac violentiis conata est vincere filiae reluctantiam. Actrix enim fatetur: « Tale « resistenza contrariava mia madre fino al punto di farla indurre alla « violenza, come ultimo scampo. Varie volte mi prese per un braccio « agitandomi bruscamente e mi schiaffeggiò per vincere la mia resi- « stenza, specialmente il giorno, che doveva andare alla parrocchia per « l'esame della dottrina cristiana ». Hoc idem testatur Anna M. Batalla, quae ait: « La stessa madre minacciava la propria figlia con parole « come queste: che l'avrebbe trascinata per i capelli se si fosse ricu- « sata di presentarsi al parroco per essere esaminata nella dottrina cri- « stiana, esame che viene considerato come requisito per contrarre « matrimonio ». Et Raymundus Cortis: « La signora Dolores De Miguel « contrasse il matrimonio per il gran timore, che aveva dei suoi geni- « tori, specialmente della madre, che in seguito ha manifestato che la « obbligò per forza alla celebrazione del matrimonio ». '

Mirandum non est hoc modo egisse matrem Dolorosae; eius enim indolem ita filia describit: « Il carattere di mia madre oltreché autori- « tario, era tanto violento che una volta che prese gelosia per una « servente, la gettò in un pozzo, salvandosi questa in grazia della pre-

« senza di un ragazzo ». Iosepha vero Navarro: « La madre di donna « Dolores aveva uh carattere altero, dominante ed irascibile fino all'ec- « cesso. Essa s'imponeva a tutti della casa con il suo carattere impe- « tuoso e violento... Per dimostrare il carattere violento della madre « De Miguel, posso citare un caso occorso con il marito di mia sorella.... « In un atto di rabbia donna Giuseppa Monserrat, ossia la madre di « donna Dolores, dette a mio cognato un solenne schiaffo, senza badare « che si trattasse di un uomo già ammogliato ». - Ex adverso filia timida erat, non poterat matri imperanti resistere : « Il temperamento dell'at- « trice era piuttosto timido che indipendente » ait Ioseph Oriol Torres, et Iosepha Navarro : « Donna Dolores era timida e docile, di modo che « sua madre con la violenza del suo carattere la teneva soggiogata ». - Hanc Dolorosae docilitatem videtur excludere Petrus Ferré, qui depo- nit: « L'attrice era molto giovane, e quindi non può precisare del tutto « il temperamento che essa aveva, sebbene la ritenga nè timida, nè « notevolmente pieghevole ed indipendente di carattere ». At hic testis haesitans est, singularis, et refert ea, quae a matre Dolorosae didicerat, proinde eius verba, uti in appellata sententia dictum est, « suspicione « haud immunia censenda sunt ».

In his adiunctis constituta mulier, nullum effugium habere poterat ad matrimonium vitandum. Non enim recursus ei patebat ad patrem, qui penitus imperio subiiciebat uxoris. Ad rem haec habet actrix : « Mio « padre era buono all'eccesso, professando per la sua sposa un affetto « talmente cieco, che non solo non la contradiceva, ma approvava *a « priori* quanto essa stabiliva ». Quod repetit Iosepha Navarro : « Il « padre era un uomo di carattere debole, e cedeva in tutto, perchè la « sua moglie non si alterasse ». Eadem habent Carmela Fortuny et Ray- mundus Arnau.

Neque auxilium aliquod habere poterat a parocho et patrino. Nemo enim cogitur ad faciendum quod inutile fore esse cognoscit. Porro Dolo- rosa, quae frustra tam constanter restiterat matri, certa erat neque ope parochi, neque ope patrini posse se a matris imperio liberare.

Ceterum coactionem ex actis scatere explicite fatetur ipse vinculi vindex, scribens in suis animadversionibus : « libentissime fateor redun- « dare satis processum iis iuris ac facti circumstantiis », quae Patres primi turni coëgèrunt ad irritum declarandum matrimonium, animad- vertens tamen haud attendi coactionem in foro ad effectum matrimonii relaxandi, quae ad actum celebrationis nuptiarum non extendatur ».Verum 1) admissa aversione et coactione ante matrimonium; magna praesum- ptio adest, quod sub eiusdem coactionis influxu matrimonium fuerit

celebratum; 2) adiuncta, quae matrimonium **Gomitata** fuerunt, in tuto collocant coactionem. Testis saepius citata Carmela Fortuny ad rem haec habet: « Riferiva mia sorella, che-donna Dolores **si** rifiutava di « provarsi i vestiti che le si facevano... Non assistetti alla celebrazione « del matrimonio, ma mia sorella, che in quel giorno fu nella casa, mi « disse che aveva visto donna Dolores dare non dubbi segni della tri- « stezza che l'opprimeva ». Et Raymundus Cortes testatur: « Che assistè « alla celebrazione del matrimonio, che (donna Dolores) procedeva tri- « stamente, e che la sposa manifestava tale tristezza piangendo, e di « più osservò che nel pranzo nuziale, che fu fatto dopo il matrimonio, « la sposa invéce di stare vicino al marito... metteva in opera ogni « specie di pretesti per separarsi da lui ». Nec minoris momenti sunt quae deponit Maria Arbiol: dicit enim « che fu presente alla celebra- « zione del matrimonio, che osservò una certa titubanza nella sposa nel « dare il consenso, ma che lo dette intimidita dalie occhiate della madre, « che era ivi presente, che osservò in tutto quel giorno sul viso della « sposa segni di pianto è di tristezza ». losepha tandem Bosch haec habet: « Assistei al matrimonio, e posso così testificare che donna Dolo- « res apparve alla vista di tutti molto rattristata ». Ex his patet quanti faciendum sit testimonium medici iosephi Oriol aientis « che non assistè « alla celebrazione del matrimonio, ma che prima o dopo l'atto, ed in « quei giorni, fu nella casa e vide l'attrice, ma non osservò alcunché di « anormale nel suo sembiante ». Praeterquamquod enim testimonium sit negativum, adnotandum est ad probandum metum non esse neces- sarium, ut demonstretur illum, qui metum passus est, constanter in omnibus actionibus se tristem ostendere.

Quae matrimonium subsequuta sunt, aversionem mulieris et metus incussionem confirmant. Testis losepha Navarro deponit: « Posso affer- « mare, che durante la prima epoca di convivenza... Donna Dolores « lasciava travedere costantemente l'odio e la ripugnanza che le causava « suo marito ». Et Carmela Fortuny: « Posso dire che dal principio del « matrimonio donna Dolores manifestava a mia sorella l'avversione che «sentiva per suo marito», losepha tandem Bosch: « Donna Dolores « non poteva adattarsi a continuare in uno stato che le era del tutto « odioso ». Revera acta referunt, quod, vix contracto matrimonio, neo- coniuges ob veneream luem, qua Petrus afflictabatur, consilio medico- rum ad invicem separari debuerunt, quin aliqua adfuerit inter ipsos necessitudo aut relatio. Post annum et dimidium, instaurata vita coniu- gali, matrimonium consummatum fuit reluctante fortiter muliere; ait enim actrix: « Dovè impiegare la violenza... salvandosi dalle unghiate,

«che io gl'infliggeva per difendermi». Imo adeo abhorrebat Dolorosa viri amplexus, ut, ne eidem coniugale debitum reddere iterum cogeretur, violentas sibi manus iniecerit. E mortis periculo feliciter erepta, ea tantum sub conditione cohabitare cum viro porrexit, quod ipse a coitu deinceps se abstineret. Tandem, cum vir, ludo et vino deditus, adulterinis amoribus indulgerei, impossibilis evasit vita communis, et, post quinque annos ab initis nuptiis, in perpetuum fuit dissociata. Quas omnes lamentabiles aerumnas secum animo recogitans mater Dolorosae, dixit Petro Ferré « che si pentiva di averla indotta a maritarsi con quello ». Quod confirmat Iosepha De Miguel, quae deponit: « Nel vedere tutte « queste disgrazie, mia madre esclamò varie volte: " Povera figlia! se « con la mia vita potessi distruggere queste nozze, che io stessa feci « tanto ingannata, lo farei „: ed arrivò fino a chiederle perdono ».

Quibus omnibus perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus rotalem sententiam diei 27 iulii 1918 esse confirmandam, i. e. ad propositum dubium respondemus: *Affirmative* ad primam partem: *Negative* ad secundam.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et Ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam *Codicis Iuris Canonici,* praesertim tituli XVII, libri IV, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna, pro rerum adiunctis, exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 15 februarii 1919.

Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, *Ponens.*
Maximus Massimi.
Iulius Grazioli.

L. © S.

Ex Cancellaria, die 14 martii 1919.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE «PRO ECCLESIA ORIENTALI»

NOMINA

1** ottobre* ***1919. Con biglietto della S. Congregazione « Pro Ecclesia Orientali », Sua Santità Benedetto Pp. XV si è degnato nominare il Rmo P. Abate D. Ildefonso Schuster, O. S. B., *Presidente del Pontificio Istituto Orientale.*

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare :

30** settembre* ***1919. Il Revmo Mons. Alfonso Carinci, *Protonotario Apostolico di numero Partecipante per la Sacra Congregazione dei Riti.*

***10** ottobre* » L'Emo signor Cardinale Ludovico Billot, *Protettore della Congregazione delle Suore de Ste-Chrétienne, a Metz.*

19 » » Il signor comm. Odoardo Tabanelli, *Comandante della Guardia Palatina d'Onore.*

20 » » L'Emo signor Cardinale Guglielmo van Rossum, *Protettore della Congregazione delle Suore del Santissimo Salvatore della diocesi di Strasburgo.*

23 » » Il Revmo Mons. Giovanni Mercati, *Prefetto della Biblioteca Apostolica Vaticana.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

1 ottobre 1919. Mons. Giovanni Agostino Boneo, vescovo di Santa Fede.

Protonotario apostolico ad instar participantium :

16 luglio 1919. Mons. Enrico Gavisk, della diocesi d'lndianapoli.

Prelati Domestici di S. S.:

24 agosto 1919. Mons. Francesco Rosso, dell'archidiocesi di Vercelli.
20 settembre » Mons. Guglielmo Foley, dell'archidiocesi di Chicago.
» » » Mons. Leslie I. Kavanagh, dell'archid, di Nuova Orléans.
» » » Mons. Giuseppe M. Gleason, dell'archidiocesi di San Francesco di California.
30 » » Mons. Sabino Coelho, dell'archidiocesi di Parahyba.
1 ottobre » Mons. Giacomo Mac Caffrey, della diocesi di Clogher.
2 » » Mons. Salvatore Marotta, della diocesi di Caserta.
9 » » Mons. Emilio Lesue, della diocesi di Lilla.
10 » » Mons. Tommaso King, dell'archidiocesi di Sydney.
13 » » Mons. Uberto Savoy, della diocesi di Losanna e Givevra.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze : '

Da Commenda dell Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

17 ottobre 1919. Al sig. dott. Domenico Seghetti, della diocesi di Frascati.
18 » » Al sig. Giacomo Rumor, della diocesi di Vicenza.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

22 ottobre 1919. Al sig. Odoardo Tabanelli, comandante della Guardia Palatina di onore.

Il Cavalierato dell'Ordine dì S. Gregorio Magno, classe civile:

12 settembre 1919. Al sig. Giuseppe Achille Reguillon, dell'archidioc. di Parigi.
» » » ^~ltìrsig. Enrico Rouard, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Giovanni M. Luciano Huré, della medesima archid.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

16 settembre 1919. Al sig. colonnello Domenico Fernandez da Silva, della diocesi di llhèos.

M AGGI ORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

10 settembre 1919. Mons. Domenico Zanette, della diocesi di Ceneda.
11 ottobre » Mons. Giulio Paolucci, di Roma.
» » » Mons. Teodoro Giovanni Antonio Bosman, della diocesi di Haarlem.
» » » Mons. Giorgio Enrico Francesco Stoffels, della med. diocesi
» » » Mons. Guglielmo Hawkswell, della diocesi di Leeds.
» » » Mons. Alfonso Ariens, dell'archidioeesi di Utrecht.
» » » Mons. Emanuele Martines de Moraes, della diocesi di Parahyba.
» » » Mons. Giovanni Milanez, della medesima diocesi.
17 » » Mons. Mariano Renzo, dell'archidioeesi di Rossano.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa soprannumerarii di S. S. :

7 luglio 1919. Il sig. barone Giovanni de Trétaigne, dell'archidiocesi di Parigi.
» » » Il sig. barone Leone de Trétaigne, della medes. archidioc.
14 ottobre » U sig. barone Teodoro Cramer-Klett, dell'archidioeesi di Monaco.
20 » >> Il sig. Gioacchino M[a] Ri vero y Gonzalez, dell'archidioeesi di Siviglia.

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S. S.:

4 maggio 1917. Il sig. cav. Carlo Emanuele Frank de Taberne de Miramont.

Annus XI - Vol. XI

i Decembris tò!9

Num. lâ

ACTA? APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE STIPE COLLIGENDA PRO PUERIS EUROPAE MEDIAE PAME LABORANTIBUS.

BENEDICTUS PP. XV

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Paterno iam diu animo ominabamur atque sperabamus fore, ut, restincto tandem immani bello suscitatoque christianae caritatis spiritu, quae fame et inedia, Europae praesertim mediae, regiones conñciebantur, illae ad meliorem condicionem, concordi bonorum omnium opera et conatu, paulatim adducerentur. At vero exspectationem Nostram eventus non omnem explevit; undique enim affertur, frequentissimos eos populos, quos diximus, tanta ciborum vestiumque laborare aahuc inopia, quantam mente effingere vix liceat. Miserrime perditur interea ai profligatur debiliorum corporum valetudo, atque in primis puerorum; quorum calamitate eo vehementius afficimur, quod ipsi non modo ignari insontesque sunt internecivi certaminis, quo terrarum orbem paene totum cruentari vidimus, sed futuri prae-

terea sunt novarum auctores stirpium quae nativam referent germinis infirmitatem.

Sed tamen ex hisce angoribus ac molestiis recreati aliquanto sumus cum nuntiatum Nobis est, homines recte animatos in societates coi visse, eo consilio, ut *pueros conservar erit.* Egregium sane propositum, venerabiles Fratres, ut par erat, probare atque auctoritate Nostra fulcire non dubitavimus; congruebat enim cum praecipuis benignitatis officiis illi debitis aetatulae quae et Christo Redemptori carissima est et minus habet ad tolerandum et resistendum facultatis. Ceterum, in simili caussa id ipsum antea egeramus; meministis enim, Nos, haud ita pridem, pueris Belgarum, fame et egestate paene enectis, quantum in Nobis erat, opitulatos esse, eosque catholicorum caritati publice commendasse. Quorum quidem communi largitati magnam partem debetur, si tot innocentium parvulorum necessitatibus consulere et incolumitatem vitamque ipsam tueri licuit: cum enim Archiepiscopos et Episcopos Foederatarum Americae Civitatum ad tam praeclarum opus hortati essemus, continuo optatis Nostris generosus respondit plurimorum consensus. Prosperum rei successum hodie commemoramus, non tam ut laudibus ornemus homines in fastis christianae caritatis merito inscribendos, quam ut Episcopi orbis terrarum universi, voce et auctoritate Nostra impulsi, Nostrum hac in re consilium, quantum apud suos gratia valent, exsequi nitantur atque contendant.

Adventante igitur D. N. Iesu Christi Natali die, ad misérrimos pueros Europae potissimum mediae, quos premit acrius earum indigentia rerum quae ad vitam necessariae sunt, sponte provolat cogitatio Nostra; tenerrimamque sobolem eo maiore complectimur sollicitudine, quo expressius refert Nobis divini Infantis imaginem, propter hominum amorem in Bethlemitico specu hiemalia frigora rerumque omnium inopiam perferentis. Hac quidem occasione nulla profecto opportunior, ut Christifidelium caritatem et miserationem, atque adeo humanitatem omnium qui de salute humani generis non desperent, pro insontibus pueris imploremus.

Itaque mandamus, venerabiles Fratres, ut, ad propositum, de quo locuti sumus, assequendum, in vestra cuiusque dioecesi/ publicis supplicationibus in diem octavum ac vicesimum proximi mensis Decembris' indictis, quo die sollemnia Ss. Innocentium aguntur, stipem fidelium colligendam curetis. Atque ut in hoc nobilissimo beneficentiae certamine utilitati tot puerorum aptius prospiciatur, praeter stipem, cibaria quoque et medicamenta et vestes et textilia corroganda videntur, quibus rebus populi earum regionum, prae ceteris adiumentis, indigent. Oblata vero eiusmodi dona quo demum pacto aeque dividantur et ad destinatum locum pervehantur, dicere vix attinet; id enim negotii vel iis societatibus committi poterit, quas ad rem constitutas esse significavimus, vel qua alia cuique libeat ratione expediri.

Iam quibus hortationibus, ex officio universalis paternitatis Nobis divinitus credito, usi sumus, eas, quamquam ad catholicos potissimum pertinent, confidimus tamen, omnes, qui humanitatis sensus habeant, esse benigne excepturos. Ut autem exempio reliquis praeeamus, etsi undique gentium et continenter a Nobis plurimum opis auxiliique postulatur, in puerorum eorundem levamen, pro facultatibus Nostris, centum millia libellarum italicarum conferre statuimus.

In auspicium interea secundi exitus, inque testimonium paternae benevolentiae Nostrae, vobis, venerabiles Fratres, et universo clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxiv mensis novembris anno mcmxix, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XV

EPISTOLA APOSTOLICA

AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ORBIS CATHOLICI : DE FIDE CATHOLICA PER ORBEM TERRARUM PROPAGANDA.

BENEDICTUS PP. XV

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Maximum illud sanctissimumque munus quod, suo iam instante ad Patrem reditu, Dominus Noster Iesus Christus discipulis demandavit, cum dixit: *Euntes in mundum universum ppmdâcate evangelium omni creaturae,* [1] non erat sane Apostolorum vita terminandum, sed apud eorum successores perpetuandum usque ad consummationem saeculi, quoad scilicet futuri essent in terra homines, quos veritas liberare! Ex quo igitur *illi profecti praedicaverunt ubique* verbum Dei, [2] ita quidem ut *in omnem terram* exierit *sonus eorum: et in fines orbis terrae verba eorum;*[3] divini mandati memor, Ecclesia nunquam, labentibus saeculis, cessavit adhuc traditae divinitus doctrinae partaeque humano generi per Christum salutis aeternae nuntios et administros in omnes partes mittere. Illo ipso enim trium saeculorum spatio, quo ad Ecclesiam recens natam opprimendam, alia ex alia, excitata ab inferis persecutio desaeviit, cum omnia Christianorum sanguine redundarent, vox tamen Evangelii praeconum late Romani imperii fines pervagata est. Postquam vero pax et libertas publice est Ecclesiae data, multo maiores in apostolatu progressus toto orbe fecit : quo in genere praeclari vitae sanctimonia viri utilissime elaborarunt. Ex his Gregorius Illuminator Armeniam christiano nomini adiungit, Styriam Victorinus, Aethiopiam Frumentius; tum parit Hiber-

[1] MARC, XVI, 15.

* **Ibid., 20.**

* ***Ps. XVIII,* 5.**

nos Christo Patritius, Anglos Augustinus, Columba Palladiusque Scotos; deinde illustrat Evangelii luce Hollandiam Clemens Willibrordus, primus ille TJltraiectensium Episcopus, Germaniae populos Bonifacius et Ausgarius, Slavoniae autem Cyrillus et Methodius ad catholicam Fidem traducunt. Deinceps multo latior campus hominibus apostolicis patere coepit, cum Gulielmus de Rubruquis Fidei facem Mongolis intulit, cumque beatus Gregorius X primos missionales legavit in Sinam : quos subinde Francisci Assisiensis alumni consecuti, non exiguam ibi constituerunt fidelium ecclesiam, quam haud multo post persecutionis orta tempestas dissipavit. America autem detecta, virorum apostolicorum agmen, in quibus praecipue commemorandus est Bartholomaeus Las Casas, Dominiciani Ordinis decus ac lumen, miseros indígenas cum ab hominum dominatu improbo tuendos, tum ex daemonum durissima servitute eripiendos suscipiunt; intereaque Franciscus Xaverius, dignus is quidem qui Apostolis ipsis comparetur, cum in Indiis Orientalibus et in Iaponia pro Christi gloria animarumque salute mirifice desudasset, ad Sinensis limen Imperii, quo iam tendebat, emoritur, quasi discessu suo aditum patefaciens novae Evangelii praedicationi in illam regionum immensitatem, in qua erat futurum ut e tot inclytis religiosorum Ordinibus et Missionalium Familiis homines Fidei propagandae studiosi, tantas per vicissitudines rerum ac temporum, apostolatum obirent. Postremo continens ea quae ultima patuit, Australia, itemque Africae interiores tractus, audacia constantiaque recentiorum explorati, christianae Fidei nuntios acceperunt; ac fere iam nulla est intra vastissimum mare Pacificum tam remota insula, quo non Missionalium nostrorum virtus actuosa pervaserit. Ex iis autem plurimi exstiterunt, qui cum fratrum salutem quaererent, ipsi, Apostolorum exemplo, ad sanctitatis fastigium pervenerint, nec pauci, qui, apostolatum martyrii laude cumulantes, Fidem profuso sanguine confirmarunt.

Iam Vero tot tantosque labores a nostris in Fidei propagatione exantlatos, tanta studia posita, tanta invictae fortitudinis

exempla edita considerantibus, vehementer demirari licet, innumerabiles tamen esse adhuc qui in tenebris et in umbra mortis sedeant; siquidem ethnicorum habita recenter ratione, ad decies millies centena millia numerantur.

Nos igitur, tam immensae animarum multitudinis lacrimabilem sortem miserantes, cum, pro Apostolici sanctitate officii, nihil habeamus antiquius quam ut beneficia eis divinae Redemptionis communicamus, equidem plurifariam in orbe catholico increbrescere illa, Dei nimirum Spiritu commota, studia bonorum in Missionibus exteris provehendis et explicandis, libenti sane gratoque animo videmus. Itaque ad ea ipsa studia fovenda usque quaque et incitanda, ut Nostro est muneri summisque votis consentaneum, lumine auxilioque Domini magnis precibus implorato, has vobis, venerabiles Fratres, mittimus litteras quibus vos vestrosque cleros ac populos hortamur, significantes quemadmodum huic gravissimae causae prodesse possitis.

Primum omnium ad eos Nostra spectat oratio, qui, ut Episcopi aut ut Vicarii Praefective Apostolici, sacris praesunt Missionibus : ipsis enim cura omnis proxime incumbit Fidei propagandae, in iisdem praesertim spem amplificationis suae habet Ecclesia repositam. Quamquam non ignoramus quo fere sint ardore apostolatus, probeque novimus quae quantaeque iis vincendae difficultates fuerint, subeundaque discrimina, his maxime postremis annis, non modo ne de suis praesidiis stationihusque décédèrent, sed ut regnum Dei etiam dilatarent. Ceterum, eorum erga hanc Apostolicam Sedem observantia ac pietate perspecta, confidenter ipsis* ut filiis pater, animum Nostrum aperimus. Hoc igitur ante omnia cogitent, se suae quemque Missioni tamquam animam, ut aiunt, esse debere. Quamobrem suis sacerdotibus ceterisque sui muneris adiutoribus bono sint, verbis factisque, documento, animosque ac stimulos addant ad se^quenda usque meliora. Quotquot enim quoquo pacto in hac vinea Domini operantur, experimento cognoscant oportet, pia-

neque sentiant Missioni praesidere patrem, vigilem, diligentem, caritatis plenum, omnes et omnia summo studio complectentem, qui suorum rebus gaudeat prosperis, condolescat adversis, conatus coeptusque laudabiles secundet atque adiuvet, qui denique subditorum quaecumque sunt, ut sua propria respiciat. Omnino, prout una quaeque gubernatur, ita varia est conditio et fortuna Missionum : quibus proinde valde perniciosum evenire potest, si quis ineptus minusve idoneus praeponatur. Plerumque enim quisquis patriam carosque propinquos deserit, christiani nominis propagandi causa, is longo saepiusque periculoso itineri se committit, alacer et promptus ad durissima quaeque toleranda, dum quam plurimas Christo animas lucretur. Qui si diligenti praeposito utitur, cuius sibi omnibus in rebus adsit prudentia et caritas, non est dubium, quin fructuosissima futura sit eius opera; sin autem, valde est timendum ne, laboribus incommodisque paulatim defatigatus, ad extremum deficiat animo desidiaeque se dedat.

Praeterea qui Missioni praeest, curare in primis debet ut eam usque promoveat pleneque explicet. Etenim, cum ea regio cuius terminis sua Missio circumscribitur, omnis quam longe lateque patet, ipsius sit mandata curae, profecto omnium quotquot eadem in regione incolunt, ipsi omnino quaerenda est salus sempiterna. Quamobrem si ex ingenti multitudine aliquot millia ethnioorum ad Eidem traduxerit, non ei fas erit in hoc acquiescere. Accuret quidem, tueatur et foveat eos quos iam Iesu Christo peperit, nec sinat ex eis dilabi quemquam et interire. Verum ne putet se fungi, ut oportet, officio, nisi ceteros etiam, quorum fere est nimio maior numerus, veritatis vitaeque christianae compotes facere pro viribus et sine ulla intermissione contendat. Itaque ut ad aures singulorum eo celerius meliusque Evangelii praedicatio perveniat, multum proderit alias subinde missionalium stationes et sedes constituere, futuras tamquam totidem centra Vicariatibus aut Praefecturis novis, in quas, cum opportunitas adfuerit, eadem Missio dividatur. Quo loco debitas tribuimus laudes Vicariis Apostolicis, quotquot sunt

qui ea ratione, quam diximus, regno Dei nova semper incrementa parant: eamque in rem si domesticorum adiutorum copia sibi non suppetat, eos ex aliena religiosorum familia vel societate libentissime accipere consueverunt.

At contra, quam non probandus ille foret qui Dominici agri partem, sibi assignatam ad excolendum, tamquam suam propriam possessionem haberet, quam prorsus nollet alienis manibus attingi. Quanta vero subeunda ei esset divini iudicii severitas, praesertim si - quod saepius contingere memoravimus - christianis non ita multis circumfusa esset multitudo ethnicorum, quibus quidem erudiendis quum ipse cum suis verbi ministris non sufficeret, nollet aliorum operam advocatam adhibere. Atqui catholicae Missionis praeses, cui nihil aliud cordi sit nisi Dei gloria et salus animarum, undique ad sanctissimum munus adiutores, cum opus fuerit, conquirit, nec ii qui sint, suae an alienae familiae aut nationis, quidquam pensi habet, *dum omni modo ... Christus annuntietur:* [1] nec solum adiutores, sed adiutrices etiam, idest sorores religiosas adhibet ad scholas, ad orphanotrophia, ad nosocomia, ad domus hospitales, ad cetera caritatis instituta, in quibus novit, Dei providentis nutu, incredibilem quamdam vim ad fidem latius proferendam inesse.

Ad haec bonus Missionis praefectus non se intra suos fines continet, quasi aliena ducat omnia quae foris fiunt, sed, urgente caritate Christi, cuius ad gloriam quidquid intersit, sua multum interesse putat, cum collegis finitimis amicitiam et necessitudinem studet habere. Multa enim saepe exsistunt communia negotia ad eamdem regionem pertinentia quae, ut patet, nisi communiter, expediri non possunt. Sed praeterea magno cum Religionis emolumento Missionum praesides, quotquot poterunt, in unum statis temporibus convenient, ut consilia inter se conferant, mutuisque alloquiis confirmentur. Denique illud est quo quicumque Missionem regunt, ii suas praecipue curas oporteat habeant conversas, ut sacrorum ministros de gente ipsa, in qua versantur, educent atque instituant: id quod novarum ec-

[1] ***Philip.*, I, 18.**

j

clesiarum spem maxime continet. Nam sacerdos indigena, utpote qui ortu, ingenio, sensibus studiisque cohaereat cum suis popularibus, mirum quantum valet ad Fidem eorum mentibus insinuandam: multo enim melius, quam quisquam alius, novit quibus modis quidpiam eis persuaden queat. Ita saepe fit ut illuc faciles aditus habeat, quo advenae sacerdoti pedem inferre non licet.

Iam vero clerum indigenam, ut speratos fructus afferat, omnino necesse est bene conformare et fingere. At nequaquam satis erit ad hoc institutio quaedam inchoata et rudis, talis videlicet ut quis ad sacerdotium ineundum evadat idoneus, sed plena debet esse perfectaque et numeris omnibus absoluta, qualis sacerdotibus cultarum gentium tradi solet. Neque enim clerus indigena eatenus parandus est, ut missionarios advenas, humilioribus ministeriis addicti, adiuvent, verum ut ipse, par divino muneri obeundo, recte possit populi sui gubernationem aliquando suscipere. Nam ut Ecclesia Dei catholica est nullamque apud gentem vel nationem extranea, ita consentaneum est ex una quaque gente sacrorum administros exsistere quos divinae legis magistros viaeque ad salutem duces sequantur populares sui. Ubicumque igitur adsit quantum sat est indigenae cleri eiusque bene instituti et vocatione sua sancta digni, ibi Missionarii opus feliciter expletum ecclesiamque praeclare esse fundatam iure dixeris. Quod si forte ad eam labefaciendam procella dein persecutionis oriatur, non verendum est ne, eo fundamento iisque radicibus, non sit hostiles impetus latura.

Hoc enimvero tam grave muneris officium ut ex veritate aestimarent diligenterque exsequerentur, semper apud Missionum rectores institit Apostolica Sedes : cuius quidem in hoc genere studium clare indicant vetera et recentia huius Urbis Collegia clericis exterarum nationum instituendis, praesertim Orientali ritu. At, post hanc instantiam Pontificum, dolendum est, regiones esse, in quas abhinc pluribus saeculis catholica Fides illata sit, atque ubi tamen clerum indigenam, nisi deterioris notae, non reperias : item populos esse nonnullos, mature Evangelii

luce illustratos, qui ex barbaria ad eum iam humanitatis gradum emerserint, ut in omni civilium artium varietate praestantes viros habeant, quique, cum multa iam saecula salutari Evangelii Ecclesiaeque virtute sint affecti, tamen adhuc nec Episcopos, a quibus regerentur, nec sacerdotes, quorum disciplina civibus imperitaret, efferre potuerint. Apparet igitur mancam mendosamque esse rationem ad hunc diem alicubi usitatam in educando clero qui se ad Missiones applicet: cuius quidem incommodi removendi causa, Sacro Consilio Propagandae Fidei mandamus, ut quae variis regionibus opportuna sint, constituat, et Seminaria, quae regionibus singulis pluribusque simul dioecesibus usui sint, vel condenda curet vel condita iam recte gubernanda, praesertim vero sollicitum sit quemadmodum novus in Vicariatibus ceterisque Missionum locis clerus adolescat.

Iam vos alloquimur, dilectissimi Nobis Filii, quotquot estis, Dominicae vineae cultores, quorum in manibus proxime posita est, cum christianae sapientiae propagatione, tot salus animarum. - Principio versetur vobis semper ante oculos excellentia magnitudoque muneris, in quod vester insumitur labor. Divinum est prorsus longeque ab humanarum rationum exiguitate remotum, quod vobis propositum est, iacentibus in mortis umbra lucem admovere et mentibus in interitum caeli viam aperire. Intelligentes igitur vestrum unicuique dictum a Domino: *obliviscere populum tuum, et domum patris tui,* [1] memineritis non hominum debere vos imperium propagare, sed Christi, nec patriae quae hic est, sed patriae quae sursum, cives adiicere. Ac miserum sane foret, si qui ex Missionariis ita suae dignitatis immemores viderentur, ut potius de terrena patria quam de caelesti cogitarent, eiusque plus aequo studerent potentiam dilatare gloriamque super omnia extendere. Esset haec quidem apostolatus pestis teterrima, quae in Evangelii praecone omnes caritatis animarum ñervos elideret, ipsiusque vulgo debilitaret auctoritatem. Homines enim, quantumvis barbari et immanes, satis

[1] ***Ps, XLIV,*** n.

bene intelligunt quid sibi velit, quid ab eis quaerat Missionarius, sagacissimeque odorando.• perspiciant, si quid aliud, ac ipsorum spirituale bonum, expetat. Fac vero eum terrenis aliqua ex parte inservire consiliis, nec se virum undique apostolicum gerere, sed suae quoque patriae negotia procurare videri: continuo omnis eius opera in suspicionem veniet multitudini: quae quidem facile adduci poterit in eam opinionem ut christianam religionem putet propriam cuiusdam externae nationis esse, quam religionem qui amplexus sit, subiecisse se tutelae imperioque civitatis exterae, propriaeque civitatis ius exuisse videatur.

Magnae Nobis quidem aegritudini illa sunt de rebus Missionum commentaria, quae hisce postremis annis vulgari coepta sunt, in quibus non tam studium apparet Dei regnum dilatandi, quam propriae civitatis amplitudinem augendi : miramurquein eis nihil curari quantum haec abalienent a religione sancta animos ethnicorum. Haud ita Missionarius catholicus, hoc dignus nomine : sed is, perpetuo recogitans, se nequaquam pro sua ipsius natione, verum pro Christo legatione fungi, ita se gerat ut quilibet sine ulla dubitatione agnoscat eius ministrum religionis quae, cum omnes complectatur homines, in spiritu et veritate Deum adorantes, nulli est nationi extranea, atque *ubi non est Gentilis, et Iudaeus, circumcisio, et praeputium, Barbarus et Scytha, servus, et liber: sed omnia, et in omnibus Christus.* [1] Alterum autem perdiligenter Missionario cavendum, hoc est ne alios quaestus velit facere quam animarum. Verum hac de re non attinet plura dicere. Nam quem cupiditas teneat lucri, quomodo ille divinae gloriae studébit unice, ut oportet, in eamque promovendam, alios revocans ad sanitatem, paratus erit sua omnia vitamque ipsam impendere? Accedit quod ob eam causam multum ei decederet auctoritatis apud infideles, maxime si, quod proclive factu est, studium rei quaerendae in avaritiae vitium iam abiisset; cuius quidem sordibus nihil est nec hominibus oontemptibilius nec Dei regno magis indignum. Bonus igitur Evangelii propagator perstudiose in hoc etiam sequetur gen-

[1] ***Colos.*, III,** ii.

tium Apostolum, cuius non solum est illa ad Timotheum hortatio : *habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti, simus,*[1] quandoquidem usque eo laudem abstinentiae magni fecit ut, operosissimi muneris distentus curis, tamen labore et manu sibi victum comparare!

Sed enim Missionario, priusquam ad apostolatum accedat, adhibenda est praeparatio diligens : quamquam quispiam dicat non esse tot rerum scientiam ei necessariam qui gentibus ab humanitate remotissimis sit Christum nuntiaturus. Nam, licet controversia esse non possit quin ad salutarem animorum conversionem plus virtutum ornamenta valeant quam litterarum, tamen si qui bono tamquam commeatu doctrinae non sit instructus, multum sibi saepe sentiet deesse praesidii ad sancti ministerii fructum. Neque enim is raro et librorum copia caret et doctorum, quos consulat, consuetudine, cum tamen respondere rogantibus, quidquid contra fidem obiecerunt, quaestionesque dissolvere, vel perdifficiles, debeat. Ad haec, quo is se eruditiorem ostendet, eo maior eius erit vulgo opinio, praesertim si in populo versabitur, apud quem in honore et in pretio sint studia doctrinae ; quo quidem in genere nimium sane dedeceret veritatis nuntios a ministris errorum superari. Itaque, dum alumni sacrorum, quos Dominus advocet, ad apostolicas expeditiones rite instituentur, omnino eos in omnibus disciplinis, tum sacris «tum profanis, quae Missionariis opus sint, erudiri oportebit. Id ipsum fieri, uti par est, in scholis Pontificii Collegii Urbaniani christiano nomini propagando, volumus : in quibus etiam proprium magisterium scientiae rerum quae ad Missiones pertinent, tradendae posthac esse iubemus.

In iis vero quae Missionarius percepta et cognita habeat necesse est, praecipue est numerandus, ut apparet, sermo populi, cuius se saluti devovebit. Nec enim contentus esse debebit levi quadam huius cognitione sermonis, sed tanta ut expedite atque emendate loqui possit. Siquidem omnibus, imperitis aeque ac doctis, debitor est, nec ignorat quam facile quis possit, bene lo-

[1] I, *Tim.,* VI, 8.

quendo, allicere ad benevolentiam animos multitudinis. Ac praesertim explicatio^m doctrinae christianae non catechistis committat diligens Missionarius, sed hanc provinciam, velut sibi propriam, atque adeo ut potissimam sui muneris partem, ipse retineat, qui non est aliam ob causam missus a Deo, nisi ut Evangelium praedicare! Eidem autem interdum continget ut, tamquam religionis sanctae nuntius et interpres, primoribus populi se sistere debeat, aut in coetus doctorum hominum invitetur: tum vero qua ratione is suam tuebitur dignitatem, si sermonis inscitia exprimere sua sensa prohibeatur? —- Nos igitur hoc ipsum attendimus nuper, cum, catholici nominis apud Orientales incremento et propagationi consulentes, peculiare in Urbe studiorum domicilium instituimus, ubi qui apostolatum in iis regionibus obituri essent, gnari scientesque linguarum morumque Orientis, ceterisque praesidiis instructissimi evaderent. Quod quidem Institutum cum magnae opportunitatis Nobis videatur, hac utimur occasione ad exhortandos, quotquot sunt, moderatores religiosarum familiarum, quibus Orientales Missiones sunt demandatae, ut suos alumnos, iisdem Missionibus destinatas, ea disciplina excolendos expoliendosque curent.

At, qui se ad apostolicum munus recte accingit, unum necesse est ante omnia sibi comparet, utpote maximi momenti ac ponderis, videlicet, quod supra memoravimus, vitae sanctimoniam. Etenim homo Dei sit oportet, qui Deum praedicat; oderit peccatum, qui odisse peccatum iubet. Maxime apud infideles, qui sensu potius, quam rationibus, ducuntur, multo plus proficitur fidem exemplis praedicando quam verbis. Esto igitur Missionarius omnibus mentis animique laudibus praeditus, omnibus doctrinis excultus,, omni humanitate politus; nisi haec cum morum innocentia cohaereant, parum aut nihil efificacitatis habebunt ad salutem populorum, imo plurimum et ipsi et ceteris obesse possunt.

Sit ille igitur in exemplum humilis, obediens, castus, sit praecipue pius, sanctaeque orationi ac perpetuae cum Deo coniunctioni deditus, sedulo apud eum causam agens anima-

rum. Quanto enim fuerit Deo coniunctior, tanto plus ei divinae gratiae et adiumenti impertietur. Audiat autem Apostolurn sic hortantem : *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* [1] Harum ope virtutum patens planusque in animos hominum est veritati aditus, quibusvis submotis impedimentis; neque enim ulla est adeo contumax voluntas quae eis facile obsistat. Ergo Missionarius, qui quidem ad similitudinem Iesu Domini flagre t caritate, cum vel perditissimos- ethnicorum numeret inter filios Dei, utpote eodem divini sanguinis pretio redemptus, non eorum vel inhumanitate irritatur, vel morum perversitate peroellitur, non eos despicit aut fastidit, non acerbe atque dure tractat, verum omnibus christianae benignitatis officiis studet allicere, ut ad complexum Christi, Pastoris Boni, aliquando per ducat. In quo illud Scripturae Sanctae meditari consuevit : *O quam bonus, et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: et de quibus peccant, admones et alloquens, ut relicta malitia, credant in te, Domine.... Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos.* [2] Quid vero est aut difficultatis aut molestiae aut discriminis, quod talem Iesu Christi legatum ab incoepto remoretur ? Nihil sane : nam, gratissimus in Deum qui se tam celso muneri destinavit, omnia quaecumque inciderint adversa et aspera ad tolerandum, labores, contumelias, inopiam, famem, mortem ipsam quamvis crudelem, magno complectitur animo, dum vel unam ex infernorum faucibus animam eripiat.

Ita affectus animatusque, Christi Domini et Apostolorum exemplo, ad suum munus fungendum fidenter Missionarius aggrediatur: sed omnem fiduciae suae rationem in Deo collocabit. Divinum est hoc totum, ut diximus, christianam propagare sapientiam, cum solius Dei sit penetrare in animos, ut et mentes splendore veritatis illustret, et voluntates igniculis virtutum in-

[1] *Colos.*, III, 12.
* *Sap.*, XII, 1-î, 18.

flammet, et idoneas vires homini, ad sequendum efficiendumque id quod verum bonumque cognoverit, adiiciat. Quare, nisi ministro elaboranti Dominus adfuerit, is frustra contendet. Idem nihilo minus tamen strenue pergat pro instituto contendere, auxilio nimirum fretus divinae gratiae, quae nunquam, eam roganti, defutura est. - Quo loco praetereundae silentio non sunt mulieres, quae iam inde a rei christianae primordiis egregiam operam studiumque Evangelii praeconibus navare consueverunt. Ac dignae sunt quae praecipua cum laude hic commemorentur virgines illae Deo devotae, quae in sacris Missionibus frequentes versantur, puerorum educationi, pietatisque et beneficentiae multiplicibus institutis addictae; volumusque haec suorum commendatio meritorum illis ad bene de Ecclesia sancta merendum animos addat et alacritatem. Illae autem pro certo habeant tanto suam operam fore utiliorem, quanto magis suae ipsarum perfectioni spiritus studuerint.

Affari iam libet universos omnes, quicumque, magno Dei miserentis munere, verae sunt Fidei compotes et innumerabilia, quae inde manant, beneficia participant. Ac primum attendant oportet quam sancta teneantur lege sacris ad infideles Missionibus opitulandi. Etenim *mandavit* (Deus) *unicuique de proximo suo;* [1] quod mandatum eo quidem urget gravius, quo proximum premit maior necessitas. At vero quod genus hominum magis fraternae opis indiget, quam infidelium, qui, cum Deum ignorent, caecis effrenatisque cupiditatibus devincti, pessimam omnium, sub diabolo, serviunt servitutem? Quotquot igitur his illuminandis opem pro facultate attulerint, praesertim Missionalium operam adiuvando, ii et maxima in re officii partes expleverint et grates Deo acceptissimum in modum de Fidei beneficio persolverint.

Iamvero triplicis generis sunt adiumenta quae Missionibus afferri possunt, quaeque Missionales ipsi rogare non desinunt. Primum est, quod quidem cuique praestare licet, ut propitius

[1] *Eecli.,* XVII, 12.

eis Deus invocetur. Semel iterumque iam diximus inanem atque irritum, a Missionariis insumptum, laborem fore, nisi eum divina gratia fecundarit, Paulo testante qui ait: *Ego piantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* [1] Huius autem gratiae impetrandae una via est eaque in perseverantia humilium precum consistit, nam *de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo* [2] dicit Dominus. Quae preces, si unquam alias, sane effectu carere non possunt in hac causa, qua nulla praestantior, nulla gratior Deo est. Quemadmodum igitur dum Israelitae cum Amalee praeliabantur, interea Moyses in summo colle divinam eis opem sublatis manibus impetrabat, ita Evangelii propagatoribus laboriose in vinea Domini se exercentibus omnes debent Christifideles sanctarum precationum ope suffragari. Cui quidem officio rite exsequendo cum proprie institutus sit *Apostolatus precationis* qui dicitur, eum hic vehementer bonorum universitati commendamus, optantes ut nemo se ab eius consortione abstineat, sed velint, quotquot sunt, apostolici laboris si non re at studio esse participes.

Secundo loco, Missionalium paucitati medendum est; quae cum antea non exigua esset, summa iam facta est confecto bello, ut multae Dominici agri partes a cultoribus vacent. In quo vestram praecipue, venerabiles Fratres, advocatam desideramus diligentiam; vosque rem facturi estis vestro religionis amore in primis dignam, si et in clero et in Seminario dioecesano apostolatus semina, quae quis forte sibi inesse ostenderit, studiose foveatis. Nec vos ulla species recti decipiat aut humana aliqua ratio permoveat, quasi, quod exteris Missionibus permiseritis, id de utilitate dioecesis vestrae detraxisse videamini. In locum enim unius quem dimiseritis foras, plures domi sacerdotes perutiles Deus vobis suscitabit. Qui vero Ordinibus Institutisve religiosorum praesunt exteras colentibus Missiones, oramus et obsecramus, ne ad tantum opus nisi sodalium lectissimos destinent, eos scilicet qui et vitae innocentia et devotionis ardore et anima-

[1] I, *Cor.,* III, 6.

[2] MATTH., XVIII, 19.

rum studio praestare videantur. Iidem autem cum Missionarios suos cognoverint in aliquo populo ab impura superstitione ad christianam sapientiam traducendo feliciter esse versatos, ecclesiamque ibi satis firme f undasse, eos, ut electos milites Christi, ad aliam gentem ex diaboli manibus eripiendam transferant, et quicquid ab illis iam quaesitum Christo sit, aliis, cultura promovendum in melius, haud inviti relinquant. Quo pacto, opimam facientes tamquam messem animarum, uberrima quoque suis Familiis divinae bonitatis munera acquirent.

Denique opes et eae non ita tenues requiruntur ad Missiones tuendas, maxime cum earum necessitates ex bello in immensum creverint, tot scholis et nosocomiis et domibus hospitalibus et gratuitis rerum diribitoriis aliisque sublatis exstinctis. Hic enimvero bonos omnes appellamus, ut liberales pro facultatibus exsistant. Nam *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?*[1] Ita quidem Ioannes Apostolus, de illis loquens qui rerum externarum necessitate premantur. At quanto est sanctius observanda caritatis lex in hac causa, cum agitur non solum ut mediae et inopiae ceterisque miseriis infinitae multitudinis subveniatur, sed etiam et in primis ut tam ingens animarum numerus e superbo Satanae dominatu in filiorum Dei libertatem vindicetur? Quare illa praesertim quae in sacrarum Missionum commodum sunt instituta, adiuvari catholicorum liberalitate cupimus. Primum est Opus quod appellatur a *Propagatione Fidei,* pluries iam a decessoribus Nostris dilaudatum; ex quo ut vel maior fructuum optimorum ubertas exsistat in posterum, volumus sacrum Consilium christiano nomini propagando diligentissime curet. Maxime enim ex eo copiae suppetant oportet unde Missiones tum quae iam sunt conditae tum quae posthac condendae erunt, sustententur: confidimus autem non permissurum catholicum orbem ut, cum alii ad errores diffundendos abundent affluantque opibus, nostri verum disseminantes cum inopia luctentur. Alterum, quod etiam vehe-

[1] I, Io., III, 17.

menter omnibus commendamus, *est Sanctae Infantiae* Opus, cuius est vigilare ut infidelium parvulis decedentibus baptismus ministretur : idque eo est commendabilius, quia pueri quoque nostri ipsum participare possunt, itaque, mature intelligentes quanti sit Fidei donum, suam operam ad illud cum aliis communicandum discunt conferre. Nec vero praetermittendum est *Opus Sancti Petri,* ut aiunt, quo educationi atque institutioni cleri indigenae Missionum consulitur. - Ad haec diligenter observari volumus quod est a decessore Nostro fel. rec. Leone XIII praescriptum, ut in festo Epiphaniae Domini in omnibus orbis terrarum sacris aedibus stipes « pro redimendis captivis ex Africa » corrogentur, et quantum collectum erit pecuniae, ad S. Consilium Fidei Propagandae mittatur.

Sed quo certius uberiusque optata-Nostra eveniant, debetis omnino, venerabiles Fratres, vestri cleri disciplinam peculiari quodam modo ad Missiones dirigere. Vulgo enim fideles ad opitulandum hominibus apostolicis inclinant et propendent; vosque hac animorum propensione sapienter utamini, ut quam maximo Missionibus sit emolumento. Scitote igitur Nos cupere, in omnibus orbis catholici dioecesibus eam quam vocant *Missionalem cleri consociationem,* institui, quae in dicione sit Sacri Consilii christiano nomini propagando, cui quidem Sacro Consilio omnem iam huius rei fecimus facultatem, ©rta ea nuper in Italia, brevi in alias regiones diffusa est; Nostroque studio cum floreat, multis iam est a Nobis pontificalis indulgentiae muneribus ornata. Et merito; nam eius instituto clericorum actio optime ordinatur, cum ad iniiciendam christianis curam de tot ethnicorum salute, tum ad opera ea cuiusvis generis provehenda, quae in Missionum utilitatem Apostolica haec Sedes iam probant.

Haec, venerabiles Fratres, de fidei catholicae toto orbe propagatione scribere ad vos habuimus. Iam vero, si suo quisque officio, uti par est, omnes satisfecerint, Missionarii foris, Christifideles domi, bona nitimur spe, futurum ut, ex maximis belli vulneribus damnisque refectae, celeriter sacrae Missiones

revirescant. Atque hic, tamquam hortante Nos, ut olim Petrum, ea Domini voce : *due in altum,*[1] quanto urgemur paternae caritatis ardore, ut innumerabiles, qui nunc sunt, homines ad ipsius complexum addueamus. Etenim alitur vigetque semper Dei Spiritu Ecclesia; nec suo possunt effectu carere tot hominum apostolicorum studia, qui ad eam amplificandam laboraverunt adhuc et laborant. Horum autem exemplis excitati, exsistent subinde plurimi, qui, bonorum et pietate et munificentia suffragante, laetissimam parient Christo copiam animarum.

Faveat communibus votis Magna Dei Parens, Regina Apostolorum, Evangelii praeconibus effusionem Sancti Spiritus conciliando; cuius auspicem et benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles Fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxx novembris mcmxix, Pontificatus Nostri anno sexto.

BENEDICTUS PP. XV

[1] **Luc, V, 4.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I -

NOVA IN INDIIS ORIENTALIBUS DIOECESIS PATNENSIS ERIGITUR

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — In suprema Principis Apostolorum Cathedra, nullis quidem meritis, divinitus collocati, Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, spiritualibus fidelium necessitatibus et fidei atque evangelicae veritati provehendae Apostolica Nostra auctoritate providere satagimus. Iam vero cum in septentrionali Indiarum Orientalium territorio, gravibus obstantibus difficultatibus atque illius praesertim amplitudine, impar sit evangelicorum operariorum inibi adlaborantium numerus, novaque dioecesis opportune efformari posse videatur, quae, aliis accedentibus sacerdotibus, uberius fidei incremento consulere possit; Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quo melius prospiciatur catholicae fidei utilitatibus atque incrementis^ haec, quae infrascripta sunt, decernenda in Domino existimavimus. Nimirum, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, ex territoriis, quibus integre constant actualis Praefectura de Bettiah et regio Nepol, nec non orientalis plaga dioecesis Allahabadensis, quae iacet ad meridiem fluminis Ganges, quaeque pars est novarum civilium provinciarum de Behar atque Orissa, districtum includens de Behar portionemque districtus de Patna et districtus de Bhagalpur, novam dioecesim formamus, fundamus, cui nomen ab urbe Patnensi facimus; pariterque decernimus ut episcopi residentiae locus in civitate Bankipur figatur et nova Patnensis dioecesis ad provinciam ecclesiasticam Calcuttensem pertineat, tamquam illae Metropolitanae Ecclesiae suffraganea, eiusque cura Societatis Iesu Missionariis demandetur. Similiter per praesentes, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, statuimus, ut dioecesi Allahabadensi, cui adhuc et Patnensis nomen erat, unicus et exclusivus in posterum sit titulus Allahabadensis. Haec vero mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat, vel in posterum spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suf-

fragari; sicque in praemissis iudicandum esse ac definiendum, atque irritum et inane fieri si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis Constitutionibus ceterisque omnibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die x septembris MCMXIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

TEMPLUM PARISIENSE « VOTI NATIONALIS », SACRATISSIMO IESU CORDI DICATUM, BASILICAE MINORIS TITULO AC PRIVILEGIIS DONATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. - Parisiis, in Monte qui dicitur Martyrum, eo quod sanctus Dionysius, illius civitatis episcopus, cum sociis sancto Rustico presbytero, sancto Eleutherio diacono aliisque pluribus, ibidem, sub Domitiano Caesare, sanguinem suum fudit pro Christo, hodie intuentium admirationem sibi conciliat nova ecclesia in honorem sacratissimi Cordis Iesu exstructa et communiter *Voti nationalis* nuncupata, ex voto quod anno MDCCCLXX, urbe obsidione cincta, nonnulli pii fideles, pro liberatione et salute patriae, voverant. Quod votum ut ad effectum deduceretur, venerabilibus Fratribus Galliae Episcopis adprobantibus, institutum et per totam Galliam propagatum est Sodalitium vulgo *Sainte Ligue du Vœu national au Sacré Cœur de Jésus,* cuius sodales et piis precibus et frequenti Corporis Christi sumptione iram divinam placare et meritas noxarum poenas avertere nitebantur. Cui operi fel. rec. Decessor Noster Pius PP. IX, Litteris Apostolicis ad praesidem Leonem Cornudet," die xxxi mensis iulii anni MDCCCLXXII datis, benedixit et sequenti anno MDCCCLXXIII haud mediocrem pecuniae vim benigne contulit. Deinde piam illam Unionem, quae sibi ecclesiae sub titulo sacratissimi Cordis Iesu aedificationem proposuerat, in Archiconfraternitatem evexerunt et pluribus indulgentiis et privilegiis auxerunt fel. rec. Decessores Nostri Litteris Apostolicis diebus xx mensis februarii, vi mensis martii, xi mensis septembris anni MDCCCLXXVÎI et die iv mensis martii anni MDCCCLXXIX Piscatoris annulo obsignatis. Cum autem fideles e Gallia Romanorum Pontificum, Praesulum suorum et piorum laicorum

quos memoravimus, optatis egregie respondissent, eo vel magis quod duabus legibus decretum erat eiusmodi opus ad utilitatem publicam pertinere, deliberatum est piacularis templi aedificationem inchoare secundum formam ab architecto Abadie, anno MDCCCLXXIV, delineatam et a curatoribus « Voti nationalis » approbatam. Atque anno MDGCCLXXV, altero* saeculo exeunte ex quo Dominus Noster Iesus Christus Cor suum beatae Mariae Alacoque conspiciendum dedit, mense iunio, Ioannes Hyppolitus S. R. E. presbyter cardinalis Guibert, archiepiscopus Parisiensis, adstante, cum Nuntio Apostolico apud Rempublicam Gallicam ac pluribus Archiepiscopis atque Episcopis, ingenti cleri populique multitudine, solemni ritu « solvens votum anno MDCCCLXX conceptum a populo cum bellum in Germanos saeviret », demisit lapidem fundamenti novi aedificii sacratissimo Cordi Iesu dicati. Interea, donec praefata ecclesia perficeretur, oratorium publicum eo ipso loco exstructum est et curis commissum Congregationi Oblatorum Mariae Immaculatae, qui, pietatem peregrinorum foventes, sacris ibidem muniis assidue multos annos functi sunt; quod quidem ad sacellum fideles non modo ex Parisiensi dioecesi, sed etiam ex variis provinciis Galliarum atque ex regionibus exteris frequentissimi confluebant. Progressu temporis, ob laboriosum murorum opus, Castri Nantonis lapidibus confectum, tam lente aedificium crevit, ut anno tantummodo MDCCCLXXXI, die xxi mensis aprilis, idem Archiepiscopus Parisiensis in prima ecclesiae inferioris seu cryptae cella absoluta atque sancto Martino Turonensi dicata, Sacrum peragere potuerit. Deinde, die XIX mensis novembris anni MDGCCLXXXVI Benedictus Maria cardinalis Langénieux, archiepiscopus Rhemensis, adstantibus sibi omnibus, quotquot ad sacram aedem convenerant, Praesulibus ac presbyteris atque populo confertissimo, solemniter duas apsides lustravit; et anno MDCCCXL, die XIII iunii, festivitas sacratissimi Cordis Iesu in ala magna aedis superioris tandem celebrata est. Praecedenti vero anno MDCCCLXXXIX frons praecipua templi istius inaugurata fuerat, conspicua forma, anagliphis statuisque mirabilis, quae, Parisios spectans, inscriptum refert titulum *Sacratissimo Cordi Iesu Christi Gallia poenitens et devota.* Octoginta tribus altis columnis structilibus fundata innixaque sacrae aedis magnifica moles, antiqua artis christianae romanicae-byzantinae lineamentis speciosa, ex duabus nunc ecclesiis superpositis constat. Princeps tholus e medio tecto sublime tollitur; prope apsides turris celsissima exsurgit, unde suos edit concentus aes totius Galliae multo maximum, quod clerus, proceres populusque Sabaudiae, praeeunte Archiepiscopo Camberiensi cum Episcopis Provinciae, coacta stipe, dono dederunt, cum quinquagesimum sacerdotii sui natalem fel. rec, Decessor Noster

Léo XIII ageret. Ambae vero ecclesiae, superior et inferior, quae per plures scalas inter se communicant, non modo amplitudine atque altarium et sacrae supellectilis copia, sed mirificae artis praestantia excellunt; pariterque stemmatibus nominibusque cuiusque eorum gentis ornantur, qui, erga sacratissimum Cor Iesu pietate incensi, largam in erigendum templum stipem contulerunt. Quod ut ex strueretur et perficeretur, plus tricies mille millia librarum impensa sunt; atque ingens haec pecuniae summa ita munusculis ex omni parte Galliarum congesta est, ut aemulatione inter se omnes certaverint Galliae tum dioeceses, tum familiae religiosae, pia sodalitia, exercitus ac classis, homines ex omni conditione, quotquot domum, ex instituto Sancti Foederis, quod memoravimus, templum hoc condi voluerunt « in argumentum amoris erga sacratissimum Cor Iesu, ad luenda et pianda gentis Gallicae crimina, ad opem Dei et praesidium obtinendum, ut Gallia ab hostibus et Romanus Pontifex in libertatem asserantur ». Constat popularium pietatem cotidie vehementius exarsisse; enimvero usque ad hunc diem, peregrinatione fere cotidiana, non modo ab urbe Parisiorum, verum etiam a dissitis tum Galliae tum coloniarum regionibus, turmatim ad aedem sacram confluxerunt ex omni ordine cives, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, diu noctuque venerationi publicae propositum, adoraturi Eiusque opem imploraturi. Quamquam vero monumentum hoc perpetuum voti, quo Gallia poenitens et devota sacratissimo Cordi Iesu se obstrinxerat, iam perfectum erat, pluribus de causis, ob proximum praesertim taeterrimum bellum, Archiepiscopus Parisiensis et Galliae Episcopi impediti sunt quominus sollemnibus illud caeremoniis consecrarent et dedicaren! Porro, immani bello absoluto, sanctuarium istud votivum, die xvi proximi mensis octobris, omnibus Galliae adstantibus Episcopis, erit tandem ritu solemni consecrandum. Ad significandam vero tum pietatem in sacratissimum Cor Iesu Nostram, tum benevolentiam qua Galliam, filiam Ecclesiae primogenitam, prosequimur, decrevimus Parisios mittere venerabilem fratrem Nostrum Antonium S. R. E. cardinalem Vico, episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi praefectum, qui Nostram personam gerat et faustae solemnitati Nostro nomine praesideat. Cum autem dilectus filius noster Leo Adulphus presbyter cardinalis Amette, ex dispensatione apostolica archiepiscopus Parisiensis, quo « Voti nationalis » templi decus maxime augeatur, Nos supplex rogaverit, ut eidem sacrae aedi dignitatem, titulum et privilegia Basilicae Minoris impertiri dignemur; Nos votis his annuendum ultro libenterque censuimus. Quare, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum praepositis, Motu proprio ac de

certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum, enunciatum templum votivum, sacratissimo Cordi Iesu dicatum, in Monte Martyrum, archidioecesis Parisiensis, a die solemnis eiusdem consecrationis, peragendae, dignitate ac titulo Basilicae Minoris honestamus, cum omnibus honoribus, praerogativis, privilegiis, indultis quae Minoribus almae huius Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque integros effectus iugiter sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MGMIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. FELICEM RODULPHUM FELS, ANTISTITEM URBANUM, SUPREMI CONSILII SOCIETATIS GERMANICAE « CHRISTIANO NOMINI PROPAGANDO » PRAESIDEM GENERALEM, QUI IN SUBSIDIUM ERVTHRAEI COLLEGII NUPER CONDITI STIPEM MISERAT.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. - Summas, in quibus versamini, rerum angustias Nobis quidem habentibus probe cognitas, non parum admirationis attulit missa a te collatio petrianae stipis in Collegii Erythraei a Nobis nuper conditi subsidium. Quae collatio cum a tenuioribus ex ista, cui praesides, societate sit facta, praeclare indicat ipsum populum apud vos studere sanctae Ecclesiae prosperitati intimeque esse cum Romano Pontifice coniunctum. Nos vero, id pietatis officium grato accipientes animo magnoque opere laudantes, cupimus has grates laudesque Nostras per te iis omnibus significari qui hanc stipem contulerunt. Atque auspex caelestium munerum benevolentiaeque Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi,

dilecte fili, supremo consilio universisque sodalibus istius societatis amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xu mensis octobris MCMXIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. P. D. IOSEPHUM RUMEAU, EPISCOPUM ANDEGAVENSEM, CUI DE DIOECESANA SYNODO PROXIME HABITA GRATULATUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Dioecesanam Synodum, uti diu exoptaras, potuisse tandem te cogere feliciterque perficere, ex tuis litteris, coniunctim cum clero datis, didicimus perlibenter. Atque iure venimus Nos in laetitiae vestrae societatem; tum quia quidquid singulis prodest ecclesiis, id Nos in primis, qui curam habemus universi christiani gregis demandatam, proxime attingit, tum quia in gravissima re conficienda magno vobis fuisse usui novum Codicem declara visus ; quod quidem egregie promulgationis eius a Nobis factae opportunitatem confirmat, De fructibus vero quos inde exspectari licet, spem bonam faciunt vel pietas vestra, erga Christi Vicarium singularis, vel studium ministerii sacri obeundi. Itaque non ante dimitti conventum vestrum voluistis quam vestram Nobiscum consensionem in iis quae hoc bello gessimus, essetis professi, criminationum et contumeliarum indignitatis conquesti quae Nobis illatae essent. De quibus officiis meritas habentes vobis gratias, valde Deum rogamus ut, ista animorum coniunctione Episcopum inter et clerum vel arctius obstricta, unumquemque vestrum ipse suis muneribus ditet ad ea, quae recte providenterque consulta habueritis, studiose religioseque exsequenda. Quorum caelestium donorum auspicem benevolentiaeque Nostrae testem, apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, cunctoque clero ac populo tuo amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxvi mensis octobris MCMXIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONCILII

I

INDULTUM DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO PRO AMERICA LATINA ET INSULIS PHILIPPINIS.

Plures ex America Latina Sacrorum Antistites nuper ab Apostolica Sede suppliciter expostularunt ut, iisdem perdurantibus causis, benigne renovaretur indultum circa abstinentiam et ieiunium die 1 ianuarii 1910 pro America Latina et Insulis Philippinis ad decennium concessum.[1] Quum hae preces in generali conventu diei 8 novembris 1919 ad trutinam revocatae fuerint, Emi Patres huius S. Congregationis Concilii memoratum indultum pro America Latina et Insulis Philippinis ad aliud decennium quidem prorogandum, sed, quo magis congrueret novi Codicis iuris canonici hac in re praescriptis, prout sequitur moderandum censuerunt. Quapropter statuerunt ut:

1) ieiunium sine abstinentia servetur: feria VI Quatuor temporum in Adventu, feriis IV Quadragesimae et feria V Maioris Hebdomadae; 2) ieiunium et abstinentia: feria IV Cinerum et feriis VI Quadragesimae; 3) abstinentia sine ieiunio: in Vigiliis: *a)* Nativitatis Domini, *b)* Pentecostes, c) Assumptionis B. M. Virginis, *d)* Apostolorum Petri et Pauli vel Omnium Sanctorum; 4) in reliquis vero servetur forma praecedentis Indulti, firmo etiam, quoad abstinentiam et ieiunium, privilegio Nigritis et Indis Americae Latinae concesso a Leone XIII Constitutione *Trans Oceanum,* die 18 aprilis 1897.

Quam resolutionem in audientia subsequentis diei a subscripto Secretario relatam, SSmus D. N. Benedictus PP. XV ratam habere et confirmare dignatus est, eamque publici iuris fieri mandavit, contrariis non obstantibus quibusvis.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Concilii, die 10 novembris 1919.

D. CARD. SBARRETTI, Praefecit.

I. Mori, *Secretarius,*

[1] **Cf.** *Acta* ***Apostolicae Sedis,*** **vol, II, pag. 215,**

II

RIPRISTINAMENTO DELLO STUDIO PRESSO LA S. CONGREGAZIONE DEL CONCILIO

Il Santo Padre, desiderando che i giovani sacerdoti, i quali abbiano compiuto il corso di diritto canonico, acquistino pratica nell'ordinario e regolare disbrigo degli affari ecclesiastici e nella particolare applicazione delle leggi canoniche in via amministrativa, il 28 ottobre 1919, nell'udienza concessa al sottoscritto Gardinale Prefetto, si è benignamente degnato di ordinare il ripristinamento dello Studio presso la S. Congregazione del Concilio; il che viene effettuato con il presente atto.

L'ammissione allo Studio, secondo l'augusta volontà del S. Padre, è limitata ad un numero ristrettissimo di sacerdoti, ed all'uopo occorre che essi:

1) siano particolarmente raccomandati dal loro Ordinario,
2) abbiano conseguita la laurea almeno in diritto canonico,
3) siano muniti del *nihil obstat* da parte del Vicariato di Roma.

Ottenuta l'ammissione, dovranno frequentare lo Studio per un triennio, secondo le norme che verranno stabilite in apposito Regolamento. Allo spirare del triennio riceveranno, se meritevoli, il relativo attestato, che all'occorrenza potrà servire come speciale requisito.

Roma, dalla Segreteria della S. Congregazione del Concilio, 11 novembre 1919.

D. CARD. SBARRETTI, *Prefetto.*

G. Mori, *Segretario.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

CIRCA NOMINATIONEM VISITATORIS APOSTOLICI IN MISSIONES SINENSIS REGIONIS FINITIMORUMQUE REGNORUM.

Cum in amplissimae Sinensis regionis ac finitimorum regnorum missionibus, laeta, Deo adiuvante, his postremis temporibus, catholica fides incrementa susceperit, ac ampliori libertate a publicis auctorita-

tibus ipsa donata sit, hoc Sacrum Consilium christiano nomini propagando, earum missionum necessitatibus commodisque optat uberius prospicere ut, uniformi ad sacrorum canonum normam roborata disciplina atque animorum viriumque inter varias Missiones arcta consociatione firmata, ad feliciores progressus res christiana adducatur.

Qua de re, ab infrascripto eiusdem S. Congregationis Cardinali Praefecto, facta relatione SSmo D. N. Benedicto PP. XV in audientia diei 17 iulii c. a. 1919, Sanctitas sua decrevit ut Apostolicus Visitator in Sinenses regiones ac finitima regna mitteretur, eo fine et consilio ut, de mandato atque auctoritate Apostolicae Sedis Missiones perlustrans, omnia accurate investigaret de praesenti Missionum statu ac necessitatibus; consultisque eorum Praesulibus, praesertim de futuro, si fieri queat, antistitum omnium cogendo generali conventu, cum iis agat de iisdem negotiis; et postea, peracta integra visitatione, Romam veniat ut Sedi Apostolicae ea proponat quae sibi maxime opportuna videantur ad maiora catholicae religionis incrementa promovenda; datis interim, si quae moram haud patiantur, provisionibus, quas magis in Domino expedire iudicaverit, ac ceteris peractis quae, iuxta traditas eidem Visitatori Apostolico per ipsam S. Congregationem instructiones, demandata fuerint.

Hoc autem Visitatoris Apostolici munus, eadem Sanctitas Sua committendum iussit R. P. D. Ioanni Baptistae de Guébriant, Vicario Apostolico de Canton, quem egregiae animi dotes ac rerum experientia ad id officium apprime commendant; cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis.

Qua super re praesens decretum confici Sanctitas Sua iussit, con trariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die *m* iulii 1919.

G. M. CARD. VAN ROSSUM, *Praefectus.*

L. g? S.

C. Laurenti, -*Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

MEDIOLANEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI FORTUNATI REDOLFI, SACERDOTIS PROFESSI E CONGREGATIONE CLERICORUM REGULARIUM S. PAULI, BARNABITARUM.

In oppido Zenano, Brixiensis dioecesis, primus ex decem filiis Iosephi Redolii et Angelae Tonni, progenie et censu praestantium, die 8 novembris anni 1777, ortus est Servus Dei Fortunatus Redolii, qui, ob grave vitae periculum statim lustralibus aquis ablutus, vix convaluit, in parochiali ecclesia sub conditione baptismum cum ritualibus caeremoniis accepit. Speciosus forma moribusque integer ac suavis, succrescebat puer sub domestica disciplina in timore Domini, ab idoneis magistris diligenter instructus litteris bonisque artibus. A prima aetate in pauperes et egenos liberaliter egit; et suos ac extraneos, potissimum coaevos, in societatem bonorum operum efficaciter adscivit. Avunculi consilio et parentum voluntate, anno 1787, Modoetiam missus, in Collegio pro iuvenibus educandis, sub regimine sacerdotum, qui ad Societatem Iesu iam dimissam pertinebant, latinas graecasque litteras artemque diagraphicam didicit. Sacro chrismate confirmatus et ad sanctam Synaxim primum admissus, dein bis in mense angelico Pane se reficere consuevit. Collegii alumni, statis diebus, praesertim in Quadragesima, frequentare solebant ecclesiam Barnabitarum, S. Mariae de *Carróbiolo,* et sacris Maioris Hebdomadae officiis salutariter permotus, Dei Famulus consilium, quod antea iam mente volvebat, se totum Deo in religiosa S. Pauli Congregatione mancipare, recogita vit et patefecit, prompto animo dispositus quantocius exequi. Verum, exortis quibusdam obstaculis, tum ex parte parentum minime annuentium separatione tum ex metu furentis in Gallia perturbationis et imminentis in Italiam Gallorum incursus, Fortunatus sanctum propositum ad opportuniora tempora differre coactus est. In patriam reversus, vitam domi fere claustralem duxit, a mundanis oblectamentis et conversationibus alienus et sacramentis assiduus atque orationi. Attamen, prouti erat inclinatus, graphices ac picturae studiis et operibus incubuit, ad hunc peculiarem finem, ut in posterum,

hisce artibus utens, sacras aedes decore exornare! et pueros ac adolescentes magis alliceret ad fidem religionemque catholicam animose profitendam atque fideliter deserviendam. In Longobardia, sub annum 1799, Republica Cisalpina ad instar Gallicae constituta et bello adversus Reges confoederatos instaurationis fautores indicto, Fortunatus, militiae et nobilium cohorti adscriptus, stationem posuit Brixiae, Mediolani et Modoetiae. Nihilominus quotidiana recitatione Officii Beatae Mariae Virginis, frequenti sacramentorum perceptione, aliisque naturae et gratiae praesidiis suffultus, çommilitonibus suis vitae intemeratae: etiam in castris exempla praebuisse perhibetur. Foederatorum principum copiis parta victoria, pulsis trans Alpes Gallis et Republica Cisalpina dissoluta, Redolii cum sua cohorte a militia dimittitur et ad meliora castra absque ulla mora transire statuit. Revera, annuente suae conscientiae moderatore, de parentum consensu, omnia sua bona vendit in levamen et utilitatem pauperum et Modoetiae, apud Collegium Barnabitarum Sanctae Mariae de *Carrobiolo*, die 30 septembris, eodem anno 1799, tyrocinium init. Hoc feliciter peracto, a Patre Provinciali Francisco Fontana, postea Congregationis Sancti Pauli Praeposito Generali et S. R. E. Cardinali, religiosum habitum accipit ac dein religionis vota simplicia emittit. Mediolani autem, quo se contulerat ad studia theologica in collegio Sancti Alexandri peragenda, solemnia vota, anno 1802, rite nuncupavit eodemque anno ac subsequenti, per gradus ad minores et maiores Ordines promotus, die 14 iulii anni 1803, primum Sacrum pientissimi litavit. Paulo post, Superiorum iussu, Cremonam petiit, ubi in publicis scholis Barnabitarum Ipse, acri ingenio et facili eloquio praeditus, munus sibi commissum tradendi humanas litteras egregie gessit. Suavi ac prudenti disciplina adhibita, intra et extra scholam, suos alumnos attrahebat ad vitam sobriam, iustam et piam agendam; unde non minus discipulorum quam Cremonensium civium admirationem et amorem sibi conciliabat. Ad meliorem corporis et valetudinis firmitatem curandam primum Modoetiam, dein Bononiam concessit. In hac civitate, tum in Collegio Sancti Aloisii, tum in scholis externis ad Sanctam Luciani, optimus magister docuit, simulque sacrum ministerium exercuit in ecclesiis et oratoriis cum spirituali emolumento fidelium. Biennio vix elapso, ex obedientia, Laudem Pompeiani petit, ibique sacras conciones ad populum singulis dominicis habet. Paucos post menses accidit, ut impia et crudelis Ordinum religiosorum abolitio Parisiis decreta, ad Longobardiam, Galliae subiectam, extenderetur. Tunc, e Laudensi asylo expulsus, primum Modoetiam redit et in Collegio Sanctae Mariae Angelorum praeceptoris munus resumit, deinceps, ab avúnculo inyitatus, qui erat

archipresbyter, in oppido Adro, Brixiensis, dioecesis, de consensu superiorum, illuc, se contulit, auxiliatricem operam eidem praestiturus. Humilis, pauper et sibi austeras sicut antea, iugiter mansit fidelis alumnus suae Congregationis, spiritu et professione, suumque avunculum archipresbyterum tamquam legitimum superiorem recognovit eiusque mandatis continuo libenterque paruit. Hinc vicina oppida sacris expeditionibus peragravit et in pago *Capriolo* Sororibus a Sancta Ursula earumque puellis pietatis magister datus. Adri degens in ecclesia Sanctae Annae quam Ipse instauravit ac depinxit, oratorium fundavit pro iuvenibus, ad instar oratorii Sancti Philippi Neri. Extat adhuc Modoetiae tabula a Redolii picta, referens sanctos oratorii Patronos Philippum Nerium et Aloisium Gonzagam cum selectis iuvenibus ad altare Beatae Mariae Virginis confluentibus. Hoc opus votivum Ipse fecit ob superventam surditatem, uti sibi bonum ad humilitatem et sanctificationem, quod constat ex inscripto tabulae titulo: « Surdus gratiarum ergo ». Simile quoque oratorium pro puellis ibidem instituit, quas prudentibus piisque foeminis dirigendas concredidit. Vertente anno 1816, summa annonae penuria Longobardiam devastante, sacerdos Redolii apparuit velut angelus charitatis, omnibus inculcans largitatis et misericordiae opera plenamque in Deum providentissimum fiduciam. Indigentibus procuravit et suppeditavit eleemosinas, vestes et rem frumentariam. Post pactum Vindobonense anni 1815, rebus publicis compositis et ad pristinum statum restitutis, Ordines quoque religiosi instaurati sunt, et cum ceteris in Longobardia etiam Familia Barnabitarum. Fortunatus, redux ab exilio et a sodalibus vocatus, in Collegium de *Carrobiolo* remeavit, ubi, per quinquennium cathechesim populo tradidit atque oratorium erexit, sex post menses translatum in ecclesiam suburbanam S. Mariae a Gratiis, pro alumnis publici gymnasii et civilis conditionis, qui primo anno quadraginta supra ducentos iam adnumerabantur. Alterum simile oratorium, sub titulo et patrocinio Virginis Dolorosae, pro puellis fundavit et rexit usque ad annum 1831; praetermissis aliis huiusmodi fundationibus variis in locis. Tandem Dei Famulus, iam aetate provecta, lethali morbo vexatus, sacramentis Ecclesiae piissime receptis, in medio suorum sodalium atque alumnorum placidissime animam exhalavit, die 8 aprilis anni 1850. Ad corpus Servi Dei publice expositum, sicut ad funus solemniter celebratum, existimationis et devotionis causa, frequentissimus adstitit populus, qui ipsum cadaver ad commune coemeterium usque ad sepulturam comitatus est. - Fama autem sanctitatis, quam Fortunatus Redolii in vita sibi comparaverat, post obitum magis in dies clara et aucta, causam dedit ut Processus super ea, auctoritate Ordinaria, in ecclesiastica Curia

Mediolanensi conficeretur. Quo expleto et Romam ad sacram rituum Congregationem delato, servato iuris ordine, quum, scriptorum Servi Dei revisione rite peracta, nihil obstaret quominus ad ulteriora procedi posset, instante Rmo P. Ianuario Ricotti, Congregationis clericorum regularium S. Pauli Barnabitarum Generali Procuratore et Postulatore, attentisque litteris postulatoriis Emorum S. R. E. Cardinalium Andreae Ferrari, archiepiscopi Mediolanensis, et Alexandri Lualdi, archiepiscopi Panormitani, et plurium Archiepiscoporum et Episcoporum, necnon Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, parochorum et sodalitatum tum religiosarum tum saecularium, virorum et mulierum, praesertim ex dioecesibus Mediolanensi, Brixiensi et Laudensi, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Ostiensis et Praenestinus, huius Causae Ponens seu Relator, in ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes-coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit : *An signanda sit Commissio introductionis Causae, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei promotore generali, super quaestione discussa, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 11 novembris 1919.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Fortunati Redolii, sacerdotis professi e Congregatione clericorum regularium S. Pauli, Barnabitarum, die 12 eisdem mense et anno.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et **S.** Rufinae,
S. ***B.*** *C.* ***Praefectus.***

L. ^ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA ROTA

DERTHONEN.

FINIUM PAROCHIALIUM SEU DOMORUM VINDICATIONE

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quinto, die 31 ianuarii 1919, RR. PP. DD. Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, Ponens, *Ioannes Prior et Aloisius Sincero, Auditores de turno, in causa* Derthonen. - Finium Parochialium, seu domorum vindicationis, *inter. Sac.* Ioannem Baptistam Bracesco, *parochum loci « Vaccarezza », repraesentatum per legitimum procuratorem Ben. D. Hectorem De Angelis, advocatum, ei Sac.* Ioannem Ganegallo, *parochum loci « Casella », repraesentatum per legitimum procuratorem Rev. Ioannem Baptistam Nicola, advocatum, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Exstant in dioecesi Derthonen. duae paroeciae finitimae, quarum una nomine *Vaccarezza* sita est in montana regione, altera, cui nomen *Casella,* reperitur ad ima vallis fluminis Scriviae. Inter praefatarum parochiarum rectores controversia mota est, ad quem pertineat iurisdictio in domibus *Cason di Tonno, Manzanè, Macciò, Magnano,* aliisque humilioribus ad dexteram et sinistram ripam torrentis *Brevenna* erectis. Episcopus Derthonen. ad dirimendam controversiam decretum edidit die 14 septembris 1911, in quo domus supra memoratas adiudicavit parocho *Casella.* Decreto non acquievit parochus *Vaccarezza* et ab Ordinario petiit, ut quaestio definiretur iuris ordine servato. Quod revera factum fuit a Curia Derthonensi, quae, processu rite instructo, die 31 decembris 1914 sententiam tulit, qua domus *Cason di Tonno* aliaeque sitae ad sinistram ripam torrentis *Brevenna* dicebantur pertinere quoad dominium parocho *Casella;* quae vero ad dextram eiusdem torrentis iacent, eidem parocho subesse debebant non ratione dominii, sed ratione possessionis. Ab huiusmodi decisis actor appellavit ad Curiam metropolitanam Ianuensem, quae, nova instructoria peracta, die 11 septembris 1916 confirmavit sententiam iudicum Derthonensium. Parochus *Vaccarezza,* victus sed non fractus, ad H. S. Auditorium provocavit; et hodie tertio causa pro-

ponitur sub dubio a partibus concordato: *Utrum iurisdictio super domum vulgo* Cason di Tonno *aliasque domus sive ad ripam dexteram sive ad sinistram torrentis Brevennae competat parocho Vaccarezza in casu.*

Ius quod spectat. - Quaelibet paroecia suam habere debet peculiarem ecclesiam, suum peculiarem rectorem ac suum determinatum territorium **(C.** *I. G,* can. 216). Semel autem territorii, limitibus a legitima auctoritate constitutis, isti nec praescriptioni, nec mutationibus sunt obnoxii, (can. 1509). Haud raro vero accidit, ut quaestio oriatur circa duarum parochiarum fines, ex eo praesertim, quia deest ordinationis ecclesiasticae documentum, quo iidem fines fuerunt determinati. Hac in hypothesi attendi debet observantia sive in linea interpretativa, sive in linea praescriptiva. Quae observantia primitus erui debet ex antiquis libris et antiquis documentis, etiamsi non pertineant ad publicum archivium, unde in cap. 13, tit. XIX, lib. *Il Decret.* Romanus Pontifex tradit quaestionem circa limitationem duarum dioecesium solvendam esse « secundum divisiones, quae per libros antiquos vel alio modo melius probabuntur ». Attendendi ulterius sunt testes, qui asserant de publica voce et fama vel deponant de auditu ab eorum maioribus. Spernenda tandem non sunt adminicula et coniecturae, quae sola quidem non sufficiunt, sed una cum aliis argumentis possunt controversiam dirimere. Videre deinde interest, quaenam fuerit actio ab actore intentata. Hjc enim rem, domum aut fundum sibi vindicare potest innixus argumento, quo demonstret rem, domum aut fundum ab alio iniuria possideri propter confusionem terminorum; vel etiam asserat ius sibi competere in re, domo aut fundo ab alio possesso, praecisione fere facta a terminorum confusione. In primo casu actio instituitur finium regundorum ; in altero agitur de rei vindicatione.

Ad quamcumque ambiguitatem tollendam animadvertendum est, iuris civilis Doctores primam actionem vocare actionem finium regundorum duplicem, secundam finium regundorum simplicem. Inter utramque actionem hoc maximum discrimen est, quod in prima actione magistratui a iure datur facultas iudicandi ex aequo et bono, in secunda autem attenditur principium - in pari causa melior est conditio possidentis - quia qui possidet titulum habet possessionis, quo adversarius destituitur. Imo qui possidet, nihil tenetur probare, quia, actore non probante, reus, etsi nihilo praestiterit, obtinuit. Ad rem Serafini, par. 99, n. 5: « Neil' *actio simplex* il convenuto, di fronte al diritto formulato dal- « l'attore, si mantiene in una posizione puramente negativa; nell'acro «*duplex* al contrario assume una posizione attiva rispondendo all'at-

«tacco dell'attore con una contro affermazione di quel medesimo diritto « che è vantato da quest'ultimo. Nell'un caso la vittoria dell'attore dipende « unicamente dalla prova del diritto asserito, come la sconfitta dall'in- « sufficienza della prova medesima; nel secondo caso, al contrario, la « vittoria di una delle parti dipende dalla poziorità delle prove da lui « addotte in confronto di quelle addotte dall'avversario: come la scon- « fitta dalla poziorità di quelle addotte dall'avversario sulle proprie».

Modo ad factum. - Sac. Bracesco, parochus Vaccarezzae, in prima et in secunda instantia principaliter et primario petiit sibi adiudicari domos controversas, secundario finium determinationem. In dubio autem concordato in H. S. Tribunali actum tantummodo est de domorum vindicatione, uti manifestum est ex verbis ipsius dubii. Hinc iuxta ea quae superius in iure exposuimus, antequam perpendantur argumenta a Rev. Bracesco allata ad ius sibi vindicandum super easdem domos, in tuto collocandum est, quinam ex litigantibus iurisdictionem super easdem domus quasi possideat. Et, ut clarius procedamus, primitus agendum est de domibus *Magnano*, *Macciò* aliisque erectis ad ripam dextram torrentis *Brevenna.*

Ex actis certum est iam ab anno 1892 usque ad annum 1910, quando nempe lis mota fuit, parochum *Casella* parochialem iurisdictionem super praefatis domibus exercuisse. Hoc testantur omnes illi testes a parocho Bracesco adducti, qui referunt ipsum conquestum fuisse cum Episcopo Derthonensi, quod Rev. Cortasso, qui tunc parochiae *Casella* prae^ erat, iniuria exerceret iurisdictionem in domibus *Magnam* et *Macciò.* Cum autem Episcopus parocho Bracesco dixerit ne Sac. Gortasso, qui senex erat, contradiceret, ipse mandato Superioris ita obtemperávit, ut nec inde, etiam e vivis sublato Rev. Gortasso, praefatas domos uti propriae parochiae subiectas retineret. Verum quidem est actorem ante annum 1892 semel vel bis benedixisse tempore paschali domibus Materno et *Macciò.* At cum non constet de aliquo alio actu iurisdictionali, una aut altera benedictio non potest constituere actum possessionis, praesertim si advertatur quod parochus Gortasso, uti deponit Cresta Aloysius, cum cognovisset « che Í'odierno parroco di Vaccarezza venne a « benedire le case dette Magnano e di Macciò... mosse lagnanze al par- « roco di Vaccarezza, che fino all'anno scorso non venne più a benedire «le case». Quod confirmat Sací Angelus Nicorelli, qui fuit Vicarius Rev. Cortasso: « Ricordo - ait - che essendo sorta contestazione per la « casa di Macciò circa là giurisdizione parrocchiale tra il pàrroco di « Vaccarezza ed il defunto Arciprete di Casella, questi mi diede ordine

« di recarmi a benedire detta casa per mantenere il possesso di giuris- « dizione. Quanto alla casa del Magnano non sorse mai dubbio che fosse « di Casella ». Concludere itaque oportet, iam saltem ab anno 1892, paro? chum Casellaé fuisse in quasi-possessione iurium parochialium super domibus ad ripam dexteram torrentis *Brevenha.* Hinc patet nullo prorsus fundamento inniti patronus Rev. Bracesco, quando scribit admittendam esse in casu possessionem cumulativam aut delegationem factam, a parocho Vaccarezzae parocho Casellae: utrumque enim aperte contradicit iis, quae superius exposita sunt.

De domo *Cason di Tonno,* aliisque sitis ad ripam sinistram torrentis Brevem^*,, acta extra dubium ponunt parochum *Casella* privative super praefatis domibus iurisdictionem exercuisse ab arino 1845; i. e. plusquam per annos sexaginta. Habemus enim librum status animarum parochiae *Casella,* in quo adnotatur coniuges Rossi anno 1845 habitasse in regione *Berchi* in qua sita est domus *Cason di Tonno.* Deinde anno 1847 parochus *Casella* spatio unius mensis bis egit funera praefatorum coniugum, quibus sacramenta administraverat, ipsorumque mortem scripsit in regestis parochialibus subsignatis a duobus loci sacerdotibus. Ulterius funeribus interfuit sodalitas parochiae *Casella,* quae nonnisi pro parochianis intervenire solet. Notandum praeterea est coniuges Rossi fuisse paupérrimos, proinde, si non fuissent parochiani, libenter parochus *Casella* funera reliquisset parocho Vaccarezzae. Tandem contra huiusmodi funera nulla adfuit, protestatio ex parte parochi Vaccarezzae, qui ignorare non poterat praefata funera; multi enim testes, ab eodem parocho aliati, testati sunt se habuisse de peractis funeribus notitiam. Quando autem anno 1910 domus *Cason de Tonno,* quae fuit per longum tempus deserta, iterum habitari coepit, parochus *Casella* Rev. Canegallo novos incolas iure meritoque habuit uti suos parochianos. Adversus haec parochus Vaccarezzae unicam opponit benedictionem eidem domui ab ipso datam tempore paschali. At, quid valeat haec unica benedictio contra recensitos actus vere et proprie iurisdictionales, nemo est qui non videt.

- In tuto igitur ponenda est favore Rev. Canegallo parochi *Casella* possessio exclusiva et pacifica iurium parochialium in omnibus domibus controversis; quod de cetero ipse actor recognoscit; quamvis asserat sibi competere super praefatas domus dominium et iurisdictionem; ait enim: «In questa determinata zona comprendente il Càson di Tonno « é le case del Magnano e del Macciò, il diritto di giurisdizione è mio *«mentre lo esercita il parroco di Casella* ». Perpendenda itaque sunt argumenta, quibus Sac. Bracesco assertam sibi vindicat iurisdictionem.

Primum argumentum desumi! ex confinibus civilibus, quibus, ait, respondent fines ecclesiastici. At hoc principium non potest afferri ad aliquam controversiam circa fines dirimendam, possunt enim in erectione alicuius paroeciae et municipii diversi constitui fines, quia relationes hominum cum municipio non eaedem sunt ac relationes hominum cum paroecia; unde videmus diversas paroecias erectas in territorio unius eiusdemque municipii et unam paroeciam erectam in territoriis, quae ad diversa pertinent municipia. Quare H. S. Auditorium constanter tenuit a finibus iurisdictionis temporalis inferendos non esse fines iurisdictionis spiritualis (De Luca, *De lurisd. disc.* I, n. 17). Ad summum principium allatum potest constituere coniecturam, praesumptionem et nihil aliud. Deinde, admisso etiam principio, confines civiles Vaccarezzae non sunt ponendi, prouti vult actor, prope confluentem cursum torrehtis *Brevenna* et flumen Scriviae ; hoc enim, uti ostendit pars adversa, non eruitur neque ex mappis Instituti geographici militaris, neque ex decreto Ministri italici ab internis, neque ex deliberationibus sive Consilii provincialis Ianuensis, sive Consilii municipalis Savenionis. Ceterum confines parochiae *Casella,* respondere finibus civilibus municipii, saltem prouti nunc sunt, ostenditur ex declaratione Syndici *Casella* diei 28 maii 1911.

A finibus civilibus gradum facit Rev. Bracesco ad fines naturales, asserens quod, his finibus attentis, vallis torrentis *Brevenna* adiudicanda sit parochiae *Vaccarezza,* vallis vero fluminis *Scrivia* parochiae *Casella.* At, iuxta Card. De Luca, *De Begaiiis,* disc. CXXX, n. 20, « viae, flumina et « similia, tanquam fines publici et invariabiles, distinguere quidem solent « territoria et iurisdictiones, sed non est confirmatio, quae concludit per «necesse». Et merito; territoria enim inter paroecias generaliter et praecipue dividuntur ratione habita distantiae et difficultatis accedendi ad parochialem ecclesiam. In casu autem non adest notabile discrimen neque quoad distantiam, neque quoad asperitatem viarum quoad fideles habitantes in domibus controversis; quin imo domus v. g. *Trucco* et *Manzane* proximiores sunt parochiae *Casella,* quam parochiae *Vaccarezza,.*

Tertium argumentum actor sumit ex eo quod ruinae *Cerello* et praedium *Costi,* quae reperiuntur in latitudine inferiori ac *Cason di "Tonno,* ac quaedam capella aut aedicula B. M. Virgini vulgo *della Guardia* dicata et sita in regione *Piano di Massa,* ultima ala dextra vallis *Brevenna,* absque dubio pertineant parochiae *Vaccarezza.* At haec aliaque id generis ad summum probarent fines parochiarum locorum *Vaccarezza et Casella* satis regulares non esse, quod tamen ex planta, quae prostat m summario, non apparet, minime vero evincunt parochiae *Vaccarezza* subesse quoque domos controversas.

Remanet postremum argumentum derivatum ex testibus. Verum testibus parochi *Vaccarezza* contradicunt mon minori numero testes parochi *Casella,* quare ex testibus certum argumentum non habetur. Testes praeterea aliati a Sac. Bracesco in aliquibus discordes sunt et valde contradictorii. Ra ex gr. iosepha Battara asserit Andream Roghitto confessum fuisse limites parochiae, *Yqccarezza* esse illos, quos actor praetendit; at Roghitto, excussus, oppositum testatus est. Item testes diverso modo referunt colloquium habitum a parocho *Vaccarezza* cum eius Episcopo; quidam enim loquuntur de iurisdictionis parochialis exercitio in domibus *Magnano* et *Mdccio,* alii vero de licentia concedenda Rev. Cortasso transeundi per territorium parochiae *Vaccarezza.* Pariter sunt qui deponunt-parochiam *Vaccarezza,* anno 1847, fuisse suo rectore viduatam, ut sic explicent actus exercitus a parocho *Casella,* de quibus supra egimus; dum constat, ex regestis Curiae, quod tunc temporis parochia *Vaccarezza* suum habebat parochum. Quidam circa funera coniugum Rossi deponunt eadem clam fuisse peracta, quod falsum est; alii loquuntur de quarta funeraria soluta a parocho *Casella* parocho *Vaccarezza,* quod pariter falsum est, cum defuncti erant pauperrimi. Haec aliaque, quae brevitatis causa omittuntur, in dubium saltem revocant vim probativam testium allatorum a Rev. Bracesco.

Cum itaque nullo valido ac firmo argumento actor probaverit iurisdictionem sibi competere in domos, de quibus est quaestio, ex iis, quae in iure exposuimus, parochus *Casella* türbandus non est a pacifica possessione, quam obtinet, praedictarum domorum. Quin imo, cum possessio quoad domum *Cason di Tonno* aliasque ad sinistram torrentis *Brevenna* erectas sit plus quam sexagenaria, dicendum est favore ipsius parochi inductam fuisse praescriptionem.

At parochus *Casella* non sola innititur possessione, sed positiva affert documenta ad probandum domos controversas suae parochiae pertinere. Revera hoc concorditer deponunt fere triginta testes, ostendunt regesta parochialia, ac testatur antiquissimum documentum Sac. Dovadola anni 1562J in quo ita fines parochiae *Casel la* describuntur: «E se « confina con granaia et bagoora più avanti, se trova un altro fosato « detto li soglij, il qual fosato parte in spirituale fra ternano parochia «di Vaccarezza et la pieve de la casella si cala giù dal monte, e si va « à fenire nel fiume detto Caverna, di poi si vien giuso drieto a detto «fiume sin rente avosio diritto al monte di la dal fiume, e si monta « suso per la schiena sino al monte detto il carmo ». Quamvis hoc documentum dici nequeat publicum, attamen, propter eius antiquitatem maximi ponderis est.

Etenim libri ecclesiarum antiqui « propter eorum antiquitatem probant « pro Ecclesia, atque istud vel maxime locum habet, quando agitur de « probandis finibus ac territorio » (Reiftenst., II, XXII, 14,121). Est praeterea documentum exaratum a Sacerdote, qui uti Gapellanus et Archipresbyter inservivit ecclesiae *Gasella* per "spatium 50 annorum, quique quatuor seniores paroeciae vocavit, ut eum instruerent de re, quam scribere volebat ad commodum futurorum parochorum. Vim huius documenti recognovit etiam actoris Patronus qui plura scripsit ad infirmandam eius auctoritatem, quae tamen ridicula sunt et prorsus despicienda. Etenim falsum in primis est documentum esse informe, carere videlicet initio et data, incipit enim: « Anno Domini 1562 die 6 augusti io Domenico de «Dovadola », etc.; futile deinde est existentiam ipsam in dubium revocare «Sac. de Dovadola, qui parochiae *Casella* addictus fuit, uti diximus, per 50 annos, quod patet ex regestis parochialibus, quibus subscripsit usque ad annum 1601. Futile pariter est arguere ex eo quod documentum conscriptum fuerit vernáculo pedemontano, cum auctor se dicat romanicum. Nam primo dialectum romanicum potest facile expers conspicere in scriptis Sac. Dovadola. Deinde, etiamsi scriptor se dicat romanicum, post decem annos commorationis Gasellae, poterat optime linguam loci addiscere, eademque lingua conscribere.

Quibus omnibus rite diligenterque perpensis, Nos infrascripti auditores de Turno pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, dicimus, declaramus ac sententiamus iurisdictionem super domus controversas pertinere non parocho *Vaccarezza* sed parocho *Casella* ad normam sententiarum primae et secundae instantiae, quas confirmamus; i. e. ad propositum dubium respondemus, *negative,* condemnantes parochum *Vaccarezza* ad omnes expensas iudiciales solvendas.

Ita pronunciamus mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam *C. I. C,* praesertim tit. XVII, lib. IV, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, 31 ianuarii 1919.

Guilelmus Sebastianeiii, *Dec, Pòn.*

L..© S. Ioannes Prior.

Aloisius Sincero.

Ex Cancellaria, 1 martii 1919.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

PONTIFICIA COMMISSIO

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

DUBIA

SOLUTA IN PLENARIIS COMITIIS EMORUM PATRUM

Can. <$ 1. Utrum praescripta decreti S. G. G. diei 30 nov. 1910 « Decorem domus Dei » *de chori disciplina in urbe servanda,* I-VIII, adhuc vigeant.

Resp.: Affirmative.

Can. io. % Utrum vota religiosa simplicia perpetua ex parte voventis, emissa ante promulgationem Codicis in Religionibus votorum sollemnium, sive virorum sive mulierum, sint moderanda quoad modum dimissionis religiosorum et quoad effectus dimissionis a iure antiquo vigente ante Codicem.[1]

Resp.: Affirmative.

[1] Cadono per conseguenza i commenti fatti in Riviste pur autorevoli ad altro dubbio o incompletamente o indebitamente pubblicato. Ecco, per maggior chiarezza, la domanda presentata alla Commissione, alla quale domanda il dubbio corrisponde : «Fr. Iosephus Antonius a *'Sí* Ioanne in Persicelo, Procurator Generalis Ordinis Fra- «trum "Minorum Gappuccinórum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quae sequun- « tur humiliter exponit :

« In Ordinibus regularibus virorum sive etiam monialium stricte dictarum, vota « simplicia, quae usque ad diem Pentecostes h. a. 1918 solemnibus praemittebantur, « erant (et sunt) *perpetua* ex parte voventis (S. Congr. super st. Reg., *Sanctissimus,* « 12 iun. 1858, n. I; et S. G. Episc, et Regul., *Perpensis,* 3 maii 1902, n. V); eaque « vota, usque in diem quo vigere coepit Codex Iuris canonici : *a) apud regulares viros* «in Ordinibus clericalibus, ex iustis ac rationabilibus causis, solvebantur ex parte « Ordinis in actu dimissionis professorum *(Sanctissimus,* n. III et IV; et quoad reli- « giosos etiam Ordinis laicalis militari servitio adscriptos, S. C. de Relig. *Inter reli- «quas,* 1 ian. 1911, n. VIII) ; *b) apud Moniales* vero solvebantur ab ipsa Sede Apo- « stolica, ad quam recurrendum erat in singulis casibus iuxta praescriptum decreti *« Perpensis,* n. XII.

« Porro, quum dimissio huiusmodi professorum non videatur contemplari saltem « explicite sub tit. XVI, lib. II,Codicis, *de Personis,* infrascriptus Procurator Generalis « Ordinis FF. Min. Capuccinorum humiliter quaerit:

«Utrum praedicti Regulares, *votis tantum simplicibus sed perpetuis* obstricti, «dimitti deinceps possunt, sicut olim, vi decr. *Sanctissimus* S. Cong. super st. Reg.,

3. Utrum ad normam canonum 199, § 1, et 874, § 1, Parochi, Vicarii parochorum, aliive sacerdotes ad universitatem causarum delegati, possint sacerdotibus Sive saecularibus sive religiosis delegare iurisdictionem ad confessiones recipiendas, aut saltem iisdem iam approbatis iurisdictionem extendere ultra fines loci vel personarum, intra quos ad normam can. 878, § 1, fuerit circumscripta; an ad id egeant speciali facultate seu mandato Ordinarii loci. Can. *m*, % i et 874, L

Resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

4. An vi canonis 395, § i, Episcopus teneatur pro quotidianis distributionibus, tam in Cathedralibus quam in Collegiatis, tertiam partem fructuum separare, etiam si in dictis ecclesiis distributiones chorales, quamvis tenues, originem repetant ex privilegio apostolico. Can. 395, § i.

Resp.: Affirmative.

5. An optio, de qua in canone 396, § % censeatur prohibita, etiam ubi viget ex speciali indulto apostolico. Can. 396, § %

Resp.: Affirmative.

6. Utrum Canonici iubilati sint exempti a servitio altaris pro sua vice praestando, non obstante contraria consuetudine. Can. 422, § 2.

Resp.: Affirmative.

7. Utrum verba *qui sectae acatholicae adhaeserunt* canonis 542 sint intelligenda de iis, qui *Dei* gratia moti ex haeresi vel schismate, in quibus nati sunt, ad Ecclesiam pervenerint; an potius de iis qui a fide defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt. Can. 542.

Resp. : Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

8. Utrum, ad normam canonis 567, § 1, et canonis 578, n. 1, novitii et professi a votis temporaneis, si morte praeveniantur, ad eadem ac professi a votis sollemnibus, aut professi a votis simplicibus perpetuis, suffragia ius habeant, etiamsi aliter ferant constitutiones antea approbatae a S. Sede. Cann 567, § 1 et 578, n*1*

Resp.: Affirmative et ad mentem.

« 12 iun. 1858, n. IV, respect. *Inter reliquas*, S. C. de Relig., 1 ian. f911, n. VIII; vel, « si agatur de Monialibus, ad normam decreti *Perpensis* S. Congr. Episc, et Regul. «3 maii 1902, n. XII, ita ut, data dimissione, ab omni vinculo dictorum votorum et « obligatione liberi fiant ; %

« vel utrum etiam quoad eosdem professos servare licebit modum dimissionis « qui, sub cap. I, tit. XVI, lib. II, Codicis, servandus praescribitur circa Religiosos « qui vota *temporaria* nuncuparunt ;

« et, quatenus affirmative ad hanc secundam partem, quaeritur utrum Reli- « giosus (regularis sive monialis), hoc modo dimissus, ipso facto solutus habendus sit « ab omnibus votis religiosis, uti de dimissis professis votorum *temporariorum* statui- « tur in can. 648».

Mens est: Ordines et Congregationes religiosae possunt congrua eademque suffragia pro omnibus novitiis, temporanee professis et professis a votis sollemnibus aut professis a votis simplicibus perpetuis, praescribere in suis constitutionibus emendandis et pro approbatione exhibendis ad S. C. Religiosorum, ad normam eiusdem S. Congregationis Decretum diei 26 iunii 1918,

9. Num verba *nisi constitutiones aliud ferant* canonis 569, § T, ad vocem *libere* referantur, ita ut liceat per constitutiones determinare in quem finem de usu et usufructu a novitiis sit statuendum.

Resp.: Constitutiones ante promulgationem Codicis approbatae servandae sunt sive novitiis adimant ius disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent, seu praefiniant.

10. Utrum canon 621, § 1, intelligendus sit tantum de religiosis mendicantibus strictu sensu dictis ; an etiam de illis, qui latiori sensu tales appellantur, uti sunt Fratres Ordinis Praedicatorum.

Et quatenus affirmative ad primam partem:

An dicti mendicantes indigeant Ordinarii licentia, si velint stipem petere in dioecesi pro aedificatione, ornatu, etc.* suarum ecclesiarum.

Resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; quod vero attinet ad licentiam ab Ordinario obtinendam provisum in cit caii. 621, § 1.

11. Utrum qui ad preces parentum, contra praescriptum canonis 756, a ritus alieni ministro baptizati sunt, pertineant ad ritum in quo sunt baptizati, vel ad ritum-in quo, iuxta praescriptum canonis 756, baptizari debuissent.

Resp. : Prout casus exponitur, negative ad 1™ partem, affirmative ad 2^m.

12. Utrum facultas celebrandi Missam in domo privata sit ab Ordinario, ad normam canonis 822, § 4, interpretanda restrictive.

Resp.: Affirmative.

13. Utrum, ad normam can. 987, impeditis adnumerandus sit is, cuius pater vel mater tantum est acatholicus, alter parens catholicus. Et, quatenus affirmative, an etian» eo in casu, quo matrimonium mixtum datis cautionibus cum dispensatione in hoc vetito contractum fuit.

Resp.: Affirmative in omnibus.

14. An sepultura fidelium, quae locum obtinet in ecclesia subterranea, censenda sit facta in ecclesia in sensu canonis 1205, § 2.

Resp. : Affirmative, si agatur de ecclesia subterranea, quae sit vere et proprie ecclesia, divino cultui addicta.

15. Utrum periculum offensionis, vulgo *malumore*, ex parte fidelium et cleri sit, ad normam canonis 1215, gravis causa, quae excuset a transferendis cadaveribus fidelium e loco in quo reperiuntur, ad ecclesiam ubi funus persolvatur. **Can. 1215.**

Resp.: Negative, et consuetudinem non transferendi cadavera fidelium, antequam tumulentur, e loco in quo reperiuntur in ecclesiam esse reprobandam.

16. An in collatione paroeciarum non reservatarum possit Episcopus imponere pro una vice tantum moderatam taxam favore Seminarii, etiam si paroecia de qua, obnoxia sit tributo huic Instituto solvendo. cann. 1355, 1356, 144L

Resp.: Recurrendum esse in singulis casibus ad S. Congregationes competentes.

17. Utrum Ordinarius, praetermissis iuris sollemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium possit declarare nullum cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia, hisce in casibus, nempe: **Can. 1990.**

.1) Si duo catholici, in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, vel post Decretum *Ne temere*, matrimonium civile tantum inierunt, omisso ritu ecclesiastico, et, obtento civili divortio, novum in Ecclesia inire student matrimonium vel novum matrimonium, civiliter initum, in foro Ecclesiae convalidare.

2) Aut catholica pars, quae cum acatholica, spretis Ecclesiae legibus, in templo sectae protestanticae (in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, et ubi Benedictina declaratio extensa non est, vel post Decretum *Ne temere)* matrimonium contraxit, obtento civili divortio, in facie Ecclesiae novum matrimonium cum catholico consorte inire vult.

3) Aut apostatae a fide catholica, qui in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, obtento civili divortio, poenitentes ad Ecclesiam redire et cum parte catholica alteras nuptias in Ecclesia celebrare desiderant.

Resp.: Casus supra memorati nullum iudicialem processum requirunt aut interventum defensoris vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a Parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in can. 1019 et seqq.

Romae, 16 octobris 1919.

PETRUS Card. GASPARRI, *Praeses.*

Aloisius Sincero, *Secretarius.*

Parimenti è stato sottoposto alla Commissione Pontificia per la interpretazione del Codice di diritto canonico il seguente dubbio:

Può ritenersi tuta conscientia *la dottrina insegnata da alcuni autori, che dopo la pubblicazione del Codice è permesso nei giorni di solo digiuno mangiar carne più volte il giorno?*

L'Erri o Presidente della Commissione ha risposto il giorno 29 ottóbre 1919: *Negative.*[1]

PIETRO Card. GASPARRI, *Presidente.*

Luigi Sincero, *Segretario.*

[1] Nella adunanza plenaria del 9 dicembre 1917, gli Emi Padri, propostosi il seguente dubbio : *Utrum dubia quae minoris sint momenti aut non multum difficultatis habeant, solvi possint ab Eñio Praeside Commissionis,* hanno risposto : *affirmative.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 4 novembre 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Preparatoria,* nella quale, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati e dei Consultori teologi componenti la medesima, si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù della Ven, Serva di Dio Maria Michela del Ssmo Sacramento, Fondatrice della Congregazione delle Ancelle del Ssmo Sacramento e della Carità.

Martedì 11 novembre 1919, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Ordinaria* dei Sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:

1) introduzione della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Servo di Dio Fortunato Redolii, Sacerdote professo della Congregazione dei Chierici Regolari di S. Paolo, detti Barnabiti;

2) intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Giuseppa Du Bourg, fondatrice della Congregazione delle Suore dette del Divino Salvatore e della Ssma Vergine;

3) intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio proprio con la Messa e dell'elogio da inserire nel Martirologio dell'Ordine in onore del Beato Isnardo da Chiampo, Sacerdote professo dell'Ordine dei Predicatori,

4) e parimenti intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio proprio con la Messa e dell'elogio da inserire nel Martirologio dell'Ordine in onore del Beato Giovanni Pelingotto del Terz'Ordine di S. Francesco.

Martedì 25 novembre 1919, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Gennaro Granito Pignatelli di Belmonte, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Ven. Francesco da Camporosso, Laico professo dei Minori Cappuccini, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti, *Antipreparatoria,* nella quale, dai Rmi Prelati Officiali e dai Consultori teologi della medesima, si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù, esercitate dallo stesso Venerabile Servo di Dio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

15 *novembre* **1919.** Il Revino P. Giovanni Lottini, dei Frati Predicatori, *Commissario della Suprema Sacra Congregazione del S. Offizio.*

18 » » Il sig. avv. Giovanni Guasco, *membro del Collegio degli Avvocati del Sacro Concistoro.*

19 » » L'Emo signor Cardinale Oreste Giorgi, *Protettore della Congregazione degli Oblati di Maria Vergine.*

20 » » Mons. Benedetto Aloisi Masella, *Nunzio Apostolico del Chile.*

27 » » Mons. Ermenegildo Pellegrinetti, *Uditore di seconda classe,* destinandolo à prestar servizio presso la Nunziatura Apostolica in Polonia.

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistenti al Soglio Pontificio:

25 *ottobre* **1919.** Mons. Francesco d'Aquino Correa, Vescovo titolare di Prusiade e Presidente dello Stato di Matto Grosso nel Brasile.

17 *novembre* » Mons. Andrea Karlin, Vescovo titolare di Temiscira.

Prelati Domestici di S. S.:

2 *agosto* **1919.** Mons. Ignazio Seipel, dell'archidiocesi di Vienna.

5 *novembre* » Mons. Giovanni Peiffer, della diocesi di Lussemburgo.

» » » Mons. Ignazio Malandrucco, della diocesi di Alatri.

18 *>y* ; » Mons. Guglielmo Hume, dell'archidiocesi di Nuova Orleans.

» » » Mons. Francesco Müller, del Vicariato Apostolico di Sassonia.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze :

La Commenda con placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

12 *novembre* **1919.** Al sig. Maurizio Margot, dell'archidiocesi di' Parigi.

La Commenda con placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe milliare:

25 ottobre 1919. Al sig. capitano Antonio Tommaso d'Aquino Correa, Direttore generale delle Poste nello Stato di Matto Crosso in Brasile.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 luglio 1919. Al sig. Gerardo Goemaere, della diocesi di Namur.
4 novembre » Al sig. avv. Giuseppe Casini, di Roma.
» » » Al sig. avv. Giacomo Salvatori, di Roma.
6 » » Al sig. Alberto Fleskens, della diocesi di Bois-le-Duc.
12 » » Al sig. cav, Augusto Florio, di Roma.
13 » » Al sig. Enrico Leman-Denoyelle, della diocesi di Tournay,

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

4 agosto 1919. Al sig. Eugenio Delchambre, della diocesi di Namur.
7 ottobre » Al sig. Giorgio Adolfo Strieder, del vicariato apostolico di Sassonia.
20 » » Al sig. prof. Aurelio Mariani, della diocesi di Velletri.
» » » Al sig. avv. Fortunato Mongini, della medesima diocesi.
4 novembre » Al sig. dott. Augusto Schumacher, della diocesi di Lussemburgo.
» » » Al sig. avv. Giuseppe Amici, di Roma.
» » » Al sig. Desiderato Pesnel, della diocesi di Coutances.
» » » Al sig. Filippo M. Leone Oberlin, della medesima diocesi.
» » » Al sig. conte Luigi de Kergorlay, della medesima diocesi.
8 » » Al sig. Giovanni Carrol Griffin, dell'archidioeesi di Westminster.
12 » » Al sig. Maurizio Chardard, dell'archidioeesi di Parigi.
18 » » Al sig. Giovanni Verhejien de Roosendal, dell'archidioeesi di Breda.
» » », Al sig. Michele Krings, della diocesi di Treviri.

La Commenda dell' Ordine di 8. Silvestro Papa :

20 ottobre 1919. Al sig. dott. Ludovico Mader, dell'archidioeesi di Monaco.
28 » » Al sig. Saturnino J. Unzué, dell'archidioeesi di Buenos Aires.
20 novembre » Al sig. rag. Filippo Cancani Montani, di Roma.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

16 novembre 1919: Al sig. maestro Filippo Mattoni, di Roma.

MAGGÍORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Camerieri Segreti soprannumerari di S. ***S.:***

10 *novembre* ***1919.*** Mons. Anisio Ayres Estéves, della diocesi di Barra.
12 » » Mons. Francesco Ricci, della diocesi di Velletri.
13 **»** » Mons. Francesco Severiano de Figueredo, dell'archidiocesi di Parahyba.
14 **»** » Mons. Gregorio Magni, della diocesi di Velletri.
» » » Mons. Tommaso Onnelli, della diocesi di Velletri.
10 » » Mons. Francesco Bracci, della diocesi di Civitaeastellana.
» » » Mons. Felice Conti, della medesima diocesi.
19 **»** » Mons. Marcello Mimmi, dell'archidiocesi di Bologna.
21 » » Mons. Giovanni Battista Imperiali, della diocesi di Sabina.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa soprannumerari di S. S. :

6 *novembre* ***1919.*** Il sig. Walter Raleigh Kerr, dell'archidiocesi di Quebec.
19 » » Il sig. visconte Carlo Enrico du Laurent, dell'archidiocesi di Rennes.
21 » » Il sig. conte Isidoro Colonna Czosnowski, di Roma.
» » » Il sig. Emanuele Lopez de Ayala y del Hierro, della diocesi di Madrid.

Camerieri d'onore m abito paonazzo di S. S.:

14 *ottobre* ***1919.*** Mons. Antonino Prato, della diocesi di Piazza Armerina.
11 *novembre* » Mons. Paolo Tuching, dell'archidiocesi di Colonia.
21 **»** » Mons. Massimino Milani, della diocesi di Sabina.
» » » Mons. Alfredo Ferri, della medesima diocesi.

Cameriere d'onore di Spada e *Cappa soprannumerario di S. S.:*

13 *novembre* ***1919.*** Il sig. Giorgio di Garmona, dell'ai chidiocesi di Messico.

Cappellani d'onore extra Urbem *di S. S:*

10 *novembre* ***1919.*** Mons. Leone Greco, della diocesi di Lecce.
» » » Mons. Gioacchino Sansonetti, della medesima diocesi.

NECROLOGIO

U *novembre* ***1919.*** L'Emo sig. Cardinale Felice De Hartmann, arciv. di Colonia.
14 **»** **»** Mons. Pietro Giuseppe Geay, vescovo titolare di Samo.
24 **»** **»** Mons. Paolo Gastone Laperrine d'Hautpoul vescovo titolare di Carisio.

Annus XI - VoL XI 19 Decembris 1919 Num. 14

ACTA APOSTOLICAE SEDE

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

SACRUM CONSISTORIUM

Die 15 decembris 1919, in palatio apostolico Vaticano, habitum est Consistorium secretum, cuius Acta ex ordine referuntur:

I

I. - CREATIO ET PUBLICATIO S. R. E. CARDINALIUM

Ssmus Dominus Noster Benedictus Papa XV, allocutione in S. Consistorio habita, publicavit S. R. E. presbyterum Cardinalem

ADULPHUM BERTRAM, archiepiscopum Vratislaviensem, creatum et reservatum *in pectore* in S. Consistorio diei 4 decembris 1916.

Creavit deinde et publicavit S. R. E. presbyteros cardinales:

PHILIPPUM CAMASSEI, patriarcham Hierosolymitanum;

AUGUSTUM SILJ, archiepiscopum tit. Caesariensem, S. R. E. vice-camerarium;

IOANNEM SOLDEVILA Y ROMERO, archiepiscopum Caesaraugustanum;

THEODORUM VALFRÈ DI BONZO, archiepiscopum tit. Trapezuntinum, Nuntium apostolicum in Austria;

ALEXANDRUM KAKOWSKI, archiepiscopum Varsaviensem;

EDMUNDUM DALBOR, archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem.

II. - PROVISIO ECCLESIARUM

In eodem Consistorio Ssmus Dominus Noster has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

Archiepiscopali ecclesiae Ferrariensi et episcopali Comaclensi praefecit R. P. D. Franciscum Rossi, hactenus archiepiscopum Calaritanum.

Titulari metropolitanae ecclesiae Bardinensi, R. P. D. Gisienum Veneri, hactenus episcopum Aquaependentem.

Titulari archiepiscopali ecclesiae Tamiathensi, R. P. D. Sebastianum Leite de Vasconcellos, hactenus episcopum Beiensem.

Titulari archiepiscopali ecclesiae Caesariensi, R. D. Benedictum Aloisi-Masella, Nuntium apostolicum apud Rempublicam Cilenam.

Titulari archiepiscopali ecclesiae Constantiensi, R. D. Petrum Pisani, Delegatum apostolicum in Indiis Orientalibus.

Metropolitanae ecclesiae Bombayensi, R. P. Albanum Goodier, e Societate Iesu.

Titulari episcopali ecclesiae Themiscyraeae, R. P. D. Andream Karlin, hactenus episcopum Tergestinum et Iustinopolitanum.

Cathedrali ecclesiae Tergestinae et Iustinopolitanae, R. P. D. Angelum Bartolomasi, hactenus episcopum titularem Derbensem.

Cathedrali ecclesiae Maceratensi et Tolentinae, R. P. D. Dominicum Pasi, hactenus episcopum titularem Philadelphiensem.

Titulari episcopali ecclesiae Besainensi, R. P. D. Dominicum Scopelliti, hactenus episcopum Oppidensem.

Titulari episcopali ecclesiae Paltensi, R. P. Prosperum Bernardi, praelatum Acrensem et Puruensem.

Cathedrali ecclesiae Nuscanae, R. D. Paschalem Mores, in Lucerinae dioecesis cathedrali canonicum poenitentiarium.

Cathedrali ecclesiae Oppidensi, R. D. Antonium Galati, in loco vulgo *Vallelunga,* dioecesis Miletensis, archipresbyterum.

Insuper Beatissimus Pater alios etiam, iam renuneiatos per Apostolicas sub plumbo Litteras, Sacrorum Antistites publicavit, scilicet:

ARCHIEPISCOPOS :

Mocissensem, Adulphum Fritzen, iam episcopum Argentoratensem.

Attatiensem, Willibrordum Benzler, iam episcopum Metensem.

Fogarasiensem et Albae-Iulien., Basilium Suciu.

Theatinum, Nicolaum Monterisi, iam episcopum Monopolitanum.

EPISCOPOS:

Fortugallensem, Antonium Barrosa Leâo, iam episcopum Pharaonensem.

Cusarum, Romualdum Ialbrzyhowski.

Argentoratensem, Carolum Ruch.

Metensem, Ioannem Baptistam Pelt. ^

Verae Crucis, Raphaelem Guizar Valencia.

Tepicensem, Emmanuelem Azpeitia Palomar.

Madaurensem, Ignatium Le Ruzic, iam episcopum Caiesensem.

Paraetoniensem, Ernestum Tonizza.

Polemoniensem, Iosephum Dardand.

Catennensem, Raimundum Calvo.

Orthosiensem, Hyppolitum Olivelli.

II

I. - EMI PP. CARDINALES RUBRO" GALERO ORNANTUR

Die 18 decembris 1919, in palatio Apostòlico Vaticano, habitum est Consistorium publicum, in quo Ssmus Dominus Noster Purpuratorum Patrum galero ornavit, in primis Cardinalem creatum die '4 decembris 1916, nempe:

Emum ADULPHUM BERTRAM,

deinde Cardinales die 15 decembris 1919 creatos, nempe:

Emum PHILIPPUM CAMASSEI,

Emum AUGUSTUM SILJ,

Emum THEODORUM VALFRÈ DI BONZO,

Emum ALEXANDRUM KAKOWSKÍ,

Emum EDMUNDUM DALBOR.

IL - PROVISIO ECCLESIARUM

Eadem die, in Consistorio secreto, Beatissimus Pater has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

Cathedrali ecclesiae Arrelinae praefecit **R.** P. D. Emmanuelem Mignone, hactenus episcopum Volaterranum.

Cathedrali ecclesiae Giennensi, R. P. D. Emmanuelem Basulto y Jiménez, hactenus episcopum Lucensem.

Titulari episcopali ecclesiae Thapsensi, R. P. D. Arthurum Caelestinum Alvarez, hactenus episcopum Zuliensem.

Cathedrali ecclesiae Lucensi, R. P. D. Placidum Angelum Rey-Lemos, hactenus episcopum titularem Hamathensem.

Titulari episcopali ecclesiae Tlousinae, R. P. D. Franciscum Uranga y Saenz, hactenus episcopum Sinaloensem, deputatum in auxiliarem Rmi Archiepiscopi de Guadalajara.

Cathedrali ecclesiae Nanceyensi, R. D. Hippolytum De La Celle, vicarium generalem honorarium Molinensem.

Cathedrali ecclesiae S. Germani, R. D. Iosephum Romualdum Léonard, canonicum et parochum loci *Mont-Joli* eiusdem dioecesis.

Cathedrali ecclesiae Caratingensi, R. D. Carolum Fernandum da Silva Tavora, parochum et vicarium foraneum S. Iosephi Além Parahyba, in archidioecesi Mariannensi.

Titulari episcopali ecclesiae Sozusensi, R. D. Alphonsum Belloso, canonicum theologum metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris in America.

Titulari episcopali ecclesiae Flaviadensi, R. D. Ioannem Murray, deputatum in auxiliarem Antistitis Hartfortiensis.

Titulari episcopali ecclesiae Temnitensi, R. D. Michaelem De Andrea, parochum ecclesiae S. Michaelis in civitate Bonaerensi.

Titulari episcopali ecclesiae Hamathensi, R. D. Valentinum Cornelias y Santamaria, deputatum in administratorem dioecesis Celsonensis.

Insuper Beatissimus Pater alios etiam, iam renunciatos per apostolicas sub plumbo Litteras, Sacrorum Antistites publicavit, scilicet:

ARCHIEPISCOPOS :

Sardicensem, Paulum de Huyn, iam archiepiscopum Pragensem.

Pragensem, Franciscum Kordác.

EPISCOPOS :

Bolivarensem, Carolum Mariam de la Torre, iam episcopum Loiensem.

Maximianopolitanum, Gulielmum O' Hare.

Vaciensem, Stephanum Hanauer.

Ehithymnensem, Antonium Antunes.

Catacensem, Ioannem Fiorentini, iam episcopum Tricaricensem.

Pentacomiensem, Ceslaum Sckolowski.

ABBATES:

B. M. V. Maris Stella, Cassianum Haid.

Ssmae Trinitatis Cavensis, Placidum M. Nicolini.

III. - TITULI EMIS PP. CARDINALIBUS ASSIGNATI

Deinde Beatissimus Pater assignavit:

Emo BERTRAM titulum S. Agnetis extra moenia;

Emo GAMASSEI titulum S. Mariae in Aracoeli;

Emo SILJ titulum S. Caeciliae;

Emo VALPRO DI BONZO titulum S. Mariae supra Minervam;

Emo KAKOWSKI titulum S. Augustini;

Emo D ALBOR titulum S. Ioannis ante Portam Latinam.

IV. - SACRI PALLII EXPOSTULATIO ET CONCESSIO

Tandem Beatissimus Pater sacrum Pallium expostulatum concessit ecclesiis:

Melburnensi (ex successione), *Ferrariensi, Montis Begalis* (ex successione), *Theatinae, Bombayensi, Pragensi, Fogarasiensi, Vaciensi* (ex privilegio), *Arretinae* (ex privilegio).

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

SS. CONGREGAZIONI ASSEGNATE AGLI EMI CARDINALI

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre si è degnato di assegnare ai nuovi Emi e Rmi signori Cardinali, che nel Concistoro pubblico del 18 dicembre **1919** ricevettero il cappello cardinalizio, le seguenti SS. Congregazioni:

All'Eûio signor cardinale Adolfo Bertram, le sacre Congregazioni: dei ***Sacramenti,*** del ***Concilio,*** del ***Cerimoniale*** e della ***Rev. Fabbrica_,di S. Pietro.***

All'Emo signor cardinale Filippo Camassei, le sacre Congregazioni: dei ***Sacramenti,*** di ***Propaganda Fide,*** dei. ***Seminari e delle Università degli Studi*** e per la ***Chiesa Orientale.***

All'Emo signor cardinale Augusto Silj, le sacre Congregazioni: del ***Concilio,*** dei ***Religiosi,*** dei ***Seminari*** *e delle* ***Università degli Studi*** e della ***Rev. Fabbrica di S. Pietro.***

All'Emo signor cardinale Teodoro Valfrè Di Bonzo, le sacre Congregazioni: del ***Concilio,*** dei ***Religiosi,*** degli ***Affari Ecclesiastici Straordinari*** e per la ***Chiesa Orientale.***

All'Eolo signor cardinale Alessandro Kakowski, le sacre Congregazioni: dei ***Sacramenti,*** di ***Propaganda Fide,*** dei ***Seminari e delle Università degli Studi*** e della ***Rev. Fabbrica di S. Pietro.***

All'Emo signor cardinale Edmondo Dalbor, le sacre Congregazioni: del ***Concilio,*** dei ***Riti, del Cerimoniale e dei Seminari e delle Università degli Studi.***

INDEX GENERALIS RERUM

(ANN. XI — VOL. XI)

n

INDEX DOCUMENTORUM
CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

VIII. - S. **C**ONGREGATIO DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS.

III. - ACTA TRIBUNALIUM

I. - **S**ACRA **P**OENITENTIARIA **A**POSTOLICA.

II. - **S**ACRA **R**OMANA **R**OTA.

t

4

•4

INDEX ANALYTICUS RERUM NOTABILEM

M

O

P

T

U

V

W

Z

INDEÎ personarum

A

B

; C

D

, F

G'

H

hi

K

O

P

U

y

W

Quaedam *corrigenda* in vol. XI (1919) Commentarii *Acta Apostolicae Sedis:*

Pag,	36	lia.	Í2	***legatur:***	innumerabiles
»	37	»	1	»	romanum
»	»	»	8	»	ad astringendas
»	»	»	14	»	Fidei quum in disciplinae cursu penitus imbiber in t,
»	• 214	»	6	»	atque exspectationem non modo impleret, sed . etiam abunde superaret,
»	215	»	17-18	»	tum etiam, adiutoribus quampJuribus *etc.*
»	329	»	1	»	Cameracen.
»	435	»	17	»	Ginevra.

UNDECIMUM VOLUMEN COMMENTARII OFFICIALIS « *Acta Apostolicae Sedis* »
ABSOLVITUR DIE 19 DEC. 1919. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS